



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Cautela Confessarii Pro Foro Sacramentali Occasione
Decretorum S. M. Alex. VII. Innoc. XI. Et Alexandri VIII. ...**

Matthaeucci, Augustín

Francofurti Ad Moenum, 1711

Liber Secundus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40684



LIBER SECUNDUS CONTINENS PROPOSITIONES AB INNOCENTIO XI. PROSCRIPTAS.

Successivè ad Alex. tempora sub anno 1679. die 2. Martii &c Innoc. XI. alias quinque supra sexaginta propositiones, in praxi itidem perniciosas, ac Ecclesiasticæ disciplinæ relaxativas, proscripsit; quas, consulendo utilitati pœnitentis, & ad effectum, ut à Confessario, in suo munere non errante, in foro pœnitentiæ plenè, & sanctè instruat, caveatque errores per eas assertos, hic eas, variis resolutis dubiis, per sequentia capita brevi methodo exhibeo.

CAPUT PRIMUM.

*Prop. I ab Innoc. XI. damnata.
Opiniatur circa valorem Sacramentorum.*

ria probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

Authores propositionis volunt essentialibus Sacramentorum, & illorum administratione fas esse, uti opinione probabili, & minus tuta, relicta tutiore, & probabiliore; ac propterea licere in ipsorum administratione, etiam materia incerta uti, eò quia probabile id à nonnullis reputetur, tametsi contrarium sit probabilius & tutius, & Minister se exponat periculo faciendi irritum Sacramentum.

PROP. I. Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id veteris, conventio aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc senten-

Restit-

Restringunt tamen opinionem propriam, dum recte affirmant in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis, aut ad vitandum periculum gravis damni, esse semper eligendam opinionem tutiorem circa valorem Sacramenti, quod est commune apud omnes; ratio est, quia, si in praefatis eligeretur minus tuta, gravia sequerentur incommoda in perniciem salutis animarum; in Baptismo quidem periculum damnationis aeternae in baptizato; in Ordine verò Sacerdotali periculum nullitatis consecrationis, & absolutionis Sacramentalis, si eam conferat inordinatus; & in Ordine Episcopali periculum nullitatis Ordinum: & inde innumera absurda, quae quisque potest colligere; sed errant, dum in conferendis ceteris Sacramentis admittunt, fas esse in concursu tutioris de validitate, & valore Sacramenti, uti minus tuta, & probabili; nam certè, quamvis inde nullum damnum tertio oriretur, irreverentia Sacramento esset inevitabilis, propter periculum nullitatis, & frustrationis, cui exponeretur; propterea id esse absolute, & in quolibet Sacramento illicitum, debet Confessarius notare.

2. Supponat de fide esse ex Florentino quòd omnia Sacramenta tribus perficiuntur, materia, forma, & intentione ministri.

3. Quòd Sacramenta habent materiam, & formam determinatas à Christo Domino, quae semper necessariò requiruntur, & nunquam, quoad substantiam, mutari possunt, ex Trid. sess. 21. cap. 2. ubi declaratur, fuisse semper in Ecclesia Dei potestatem in Sacramento-

rum administratione, ea statuere, vel mutare, quae suscipientium utilitati, & Sacramentorum venerationi magis expedire judicaret, *salva illorum substantia Sacramentorum* (per quam intelligitur materia, & forma) demonstrat Concilii sensum fuisse, quòd non possit immutari; quòd si Ecclesia id facere nequit, certum est multò minus ullum alium id facere posse.

4. Quaeritur, qua opinio dicatur minus tuta circa valorem Sacramentorum, & qua magis tuta?

Resp. Illa minus tuta dicitur, quae affirmans probabile esse valere Sacramentum sic, vel sic collatum, exponit ipsum periculo nullitatis: illa verò tutior, quae non exponit Sacramentum tali periculo, dum probabiliter asserit Sacramentum tali modo administratum non esse validum: explico: est quaestio inter DD. an valeat Baptismus collatus in lixivio: opinio probabiliter affirmans valere, dicitur minus tuta, quia, cum non sit certum baptismum valere, exponit ipsum periculo nullitatis; materia enim Sacramentorum à nostro iudicio non pendet, & ideo ad ipsorum validitatem est necessaria materia, quam Christus instituit, & determinavit: propterea, si coram Deo lixivium non foret materia apta pro Baptismo, nec opinio id asserens vera, Sacramentum foret nullum, & Baptizatus privaretur fructu, & effectibus suis, gratia nimirum, & caractere, & sic non obtineretur effectus intentus à Christo in institutione Sacramentorum.

Opinio verò, quae dicit illum Baptismum non valere, dicitur tutior; ex qua sequitur, quod, (extra casum necessita-

(L1) 3 (tis)

tis) inlixivio conferendus non est, ne Baptismus exponatur præfato periculo, & baptizans periculo faciendi ipsum irritum; & hinc tutius est, quod in lixivio non conferatur, sed materia certa adhibeatur.

5. Sed quid, si non habeatur materia certa, aqua nimirum naturalis, & usualis, que per Trid. sess. 7. canon. 2. de Baptismo, est materia Baptismi?

Resp. Quod, sicut, nulla necessitate urgente, unquam licet in administratione Sacramentorum uti materia probabili, incerta, & dubia, omissa probabiliori, & certa; sic in necessitatis casu, dum certa non habetur, nec haberi potest, & ex omissa Sacramenti administratione exponitur anima periculo damnationis, potest quis materia probabili uti; explico exemplo; infans est moribundus, habetur lixivium, non aqua, debet in lixivio baptizari sub conditione, ut, si fortè eorum Deo, & à parte rei sit materia Baptismi, consequatur vitam æternam.

Nec tunc potest dici, quod eligatur minus tuta, relicta tutiore, quia, cum in eo casu urgentis necessitatis aqua naturalis non possit haberi, impossibile est eligere tutiorem; & idèd non relinquatur tutior; quoniam non dicimur relinquere, nisi, quæ habere possumus.

Quanam autem sit opinio probabilis, quantumvè tutior, tuta, & probabilior, habes lib. 1. cap. 20. num. 2.

6. Queritur, an Confessarius possit absque peccato ad praxim deducere sententiam, dicentium attritionem sufficere ad Sacramentum penitentia, relicta opinione asserentium, eam non suffi-

ficere, sed requiri contritionem perfectam; quod est idem ac querere, an possit absolvere penitentem, quem cognoscit habere dolorem attritionis de suis peccatis?

1. Resp. Sed suppono, quod dolor de peccatis est pars essentialis Sacramenti penitentia, sine quo validum esse non potest, nam validum sine sua parte essentiali esse nequit, sicut sine anima rationali homo non subsistit, prout infr. cap. 3.

2. Quòd dolor de peccatis, sive attritio sit, sive contritio, debet esse supernaturalis, ut ex dicendis ibid. constabit, quibus suppositis ad dubium.

Quidam negant, & moventur, ex quo Confessarius in casu se exponeret periculo faciendi nullum Sacramentum; nam, cum opinio asserens ad valorem Sacramenti attritionem sufficere, sit minus tuta, & tutior sit opposita id negans, & requiritis contritionem perfectam, Confessarius illam sequendo exponit Sacramentum periculo nullitatis, quoniam, si coram Deo, & à parte rei attritio non esset dolor sufficiens, Sacramentum esset nullum; & idèd deberet abstinere ab absolutione penitentis, quem solùm attritum agnosceret.

Sed nos contra præfatos affirmamus: quorum discursus concluderet, si sententia affirmativa de sufficientia attritionis esset merè probabilis, & non omninò certa, & indubitabilis; sed certa est omninò propter definitionem Trid. Sess. 14. cap. 4. ubi: illam verò contritionem imperfectionem, que attritio dicitur, Sc. & infrà, & quamvis sine Sacramento Penitentia per se ad justificationem perducere

docere peccatorem nequeat, tamen ad Dei gratiam in Sacramento impetranda disponit. Unde ex Concilio aliter ad Dei gratiam disponit intra Sacramentum, & extra: nam extra Sacramentum dixit non perducere peccatorem ad justificationem, intra verò disponere peccatorem ad illam; & quidem proximè, & immediatè, quia remotè, etiam extra Sacramentum disponere dicitur; & ideò, cum sententia, quòd attritio sufficiat, sit omninò certa, dici non potest esse minus tuta circa valorem Sacramenti.

7. Sed instant. In articulo mortis non sufficit attritio, sed requiritur etiam contritio perfecta: quod verum non foret, si attritio esset certo sufficiens ad Sacramentum Pœnitentiæ; nam tunc etiam in eo articulo foret sufficiens.

Resp. Negando, quòd in articulo mortis ad justificationem obtinendam per Sacramentum Pœnitentiæ non sufficiat attritio, nec ex isto capite contritio perfecta charitate formata tunc requiritur, sed ex alio asseritur à D. D. necessaria; tum ex quo pro tunc Deus est super omnia diligendus, & dolendum est de offensa ipsi, ut summo bono, facta; tum ex quo homo non habens omnimodam evidentiam, aut certitudinem de valore sui baptismi, neque de valore Ordinis Sacerdotis illum absolventis, debet se reddere securum pro salute aeterna consequenda per actum dilectionis Dei super omnia, & detestationem peccati, ut est offensa Dei summi boni: ad quam securitatem requiritur contritio charitate formata. Vide cap. 34. in fine.

8. An autem sufficiat attritio cognita

ut talis, vel debeat esse cognita ut contritior dicendum infra cap. cit. nu. 31.

Sed adhuc queritur, an opinio affirmans attritionem conceptam ex metu pœnarum temporalium, quæ à Deo, tamquam à delictorum vindice, infliguntur, esse sufficientem ad valorem, & effectum Sacramenti, licite possit ad praxim deduci, relictæ tutiore, quæ dicit, sufficientem non esse: & sic absolvi pœnitens, qui cognoscitur solum dolere de peccatis, quia timer à Deo bonis temporalibus, sanitate nimirum, & filiis, privari?

Resp. Negativè, ratio est, quia opinio illa non modò est minùs tuta, verum etiam improbabilis, & falsa; nam, ut dolor attritionis sit dispositio sufficiens ad justificationem, debet esse supernaturalis, hoc est, regulatus à fide, quæ est principium supernaturalitatis; & hinc non sufficit timor pœnæ temporalis, cum fides non doceat peccanti propter peccata imminere talem pœnam, seu peccatum à Deo castigari morte, aut bonorum temporalium amissione; nam mors temporalis omnibus, etiam iustis, communis est, & cetera hujus vitæ mala, etiam iustos, affligunt, non solos peccatores, quos sæpè potius prosperari experimur; fides autem docet imminere peccanti pœnam aeternam inferni, eumque ob peccatum à Deo castigari morte aeterna, & aeternæ beatitudinis carentia; hinc dolor de peccatis conceptus ex timore pœnarum inferni, & amissionis beatitudinis est à fide regulatus, non verò ille conceptus ex timore pœnarum hujus vitæ; & propterea iste sufficiens non est ad valorem Sacramenti, bene verò ille: super

per quo debent, etiam pœnitentes instrui, sed de hoc cap. cit.

9. Quæritur, contra quam virtutem peccet, qui utitur opinione minus tuta circa valorem Sacramenti, relicta tutiore?

Resp. Contra Religionem, & Charitatem; contra Religionem sanè, quia, cum conficere Sacramentum irritum, atque nullum, sit peccatum mortale contra reverentiam Sacramento debitam, exponere se periculo faciendi nullum Sacramentum est peccatum mortale contra eandem reverentiam, & est Sacrilegium; quandoquidem, ut loquitur Suarez, in moralibus perindè est aliquid facere, & exponere se periculo faciendi; contra Charitatem verò, quia exponit se periculo defraudandi fideles fructu Sacramentorum, quæ instituta sunt, ut fideles eorum fructus percipiant.

Et idè, ut ex Scoto in 4. dist. 3. qu. 2. ponderat Fagnan. in 1. Decretal. ad cap. Ne innotaris de const. num. 303. non modò ex charitate erga proximum, sed etiam ex reverentia, quæ debetur Sacramento, semper tenetur quis sequi partem omninò tutam, ne se exponat periculo faciendi illud, irritum.

10. Sed dubitabis, non ne, dum Confessarius absolvit Pœnitentem, quem probabiliter cognoscit esse verè dispositum per contritionem, vel attritionem, sine peccato, etiam extra casum necessitatis, absolvit? & tamen tunc exponitur Sacramentum periculo nullitatis; quia ea cognitio est de materia essentiali, seu requisita ad valorem Sacramenti, & cum sit morè probabilis, fallibilis est, & falsa esse potest; in casu vero, quod esset falsa, & co-

ram Deo peccator non sufficienter dispositus, Sacramentum esset nullum, ergo non peccat, qui exponit Sacramentum nullitati, sequendo opinionem minus tuta de valore Sacramenti, relicta tutiore?

Resp. Ut non peccet Sacerdos absolvendo, non modò de dispositione pœnitentis debet cognitionem probabilem, sed moraliter certam habere; nam non debet prudenter dubitare, aut suspicari de legitima dispositione pœnitentis, aliàs in validè absolvit; quam cognitionem Confessarius colligit ex pœnitentis Confessione, dolore, proposito, lachrymis, compunctione, emendatione vitæ, &c. quæ licet secundùm se sint fallibilia, tamen in istis circumstantiis apta sunt, ut ex ipsis formetur iudicium moraliter certum, hoc est, prudenter judicetur de vera dispositione peccatoris, sic, ut imprudentissimum sit quodlibet aliud iudicium: & idè tunc non peccat, sed prudenter operatur, nec minus tuta utitur, relicta tutiore: nam tutior non habetur, & estimabile, quod alia tutior, præcisa divina revelatione, pro isto statu à Confessario habeatur. De absolvendo in articulo mortis dicendum cap. 3. à num. 4. & cap. 37. nu. 9.

11. Si dicas, non ne tutius esset non absolvere?

Resp. Hoc esset negare Sacramentum pœnitentiæ; nam, cum Confessarius non possit de pœnitentis dispositione habere pro statu isto, præciso miraculo, maiorem certitudinem, & tutiorem securitatem, quàm moralem (physica enim, & methaphysica est impossibilis, nec exigitur) cum dicas, cum hac non posse licitè absolutionem conferre, sequitur, quod num;

nūquam poterit, & sic frustra, & inutiliter esset à Christo Domino Sacramentum penitentiae institutum, & praecipua Confessio, quod est haereticum asserere; quid autem sit certitudo moralis, diximus cap. 20. cit. nu. 15. in fine.

12. Quæritur, an sit valida absolutio data à Confessario, qui communiter reputatur habere jurisdictionem, quam à parte rei non habet?

Resp. Affirmative; sed requiritur: primo, quod error sit communis, seu communiter teneatur ut Confessarius ab omnibus, tam sapientibus, quam insipientibus; nam, si aliqui dubitarent, error esset, sed non communis; cum commune non sit, quod communiter non admittitur.

2. Quod Confessarius habeat titulum à legitimo Superiore collatum, hoc est, quod ab Ordinario Parochiam, vel jurisdictionem obtinuerit, ad eum ut ab omnibus pro Parocho, & Confessario habeatur, quamvis propter aliquod impedimentum occultum titulus invalidus sit, ut, quia est suspensus; in quo casu affirmant DD. valere absolutionem, quia Ecclesia supplet jurisdictionem, juxta dicta lib. 1. cap. 9. nu. 16. Vide Bonacc. de iurim. q. 2. punc. 8. nu. 32. & Fagnan. ib. allegatum: qui optimè scripsit non supplere, si fuerit sua autoritate intrusus, & in 1. Decretal. ad alleg. c. Ne dimitaris nu. 380. dixit, Ecclesiam non tribuere jurisdictionem ad absolvendum Sacerdoti eligenti opinionem probabilem, prætermilla probabiliori, nam eo ipso, quod Sacerdos eligens opinionem probabilem cognoscit contrariam esse probabiliorum, excluditur communis error, & titulus. *Matthæi Cautela Confess.*

lus putativus proveniens à legitimo Superiore; sed oritur tantum ex sua propria opinione: quod debet Confessarius notare; quemadmodum scire, quod quamvis aliquis communiter teneretur pro Parocho, & à legitimo Superiore Parochiam obtinisset, si baptizatus non foret, vel esset fœmina, aut non Sacerdos, ei ab Ecclesia ad absolvendum jurisdictionem non tribueretur, non obstante communi errore, ac putativo titulo à legitimo Superiore obtento, propter impedimentum, & incapacitatem lege divina, & Ecclesiastica statutum.

13. Quæritur, an in conferendis, vel recipiendis Sacramentis detur parvitas materiae, sic, ut quis valde ipsa conficiat, vel recipiat, tametsi aliquod minimum ad ipsorum valorem requisitum prætermittat?

Resp. Negative, nam Sacramentum, formaliter loquendo, in indivisibili consistit, & ideo, quocumque minimo prætermisso, de requisitis ad valorem, & essentiam, totum Sacramentum est nullum, & non subsistit; sicut non subsistit homo, si omnia ad essentiam ipsius requisita non ponantur.

CAPUT II.

Prop. II. ab Innoc. XI. Sc.
Judicium juxta probabiliora ferendum.

1. PROP. 2. probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem, etiam minus probabilem.

Judicem posse sequi opinionem probabilem, etiam contra communem, & probabiliorum.

(Mm)

habilio-

babiliorem, docuit Ledesma apud Fagnanum in 1. *Decretal. ad cit. cap. Ne in-
u. i. ar. 31.* ubi Sanchez affirmat, hanc
opinionem esse probabilem; utrumque
autem damnari Innoc. quod debet Con-
fessarius notare, & ad praxim non de-
scendere *contra* praescriptum, sive peni-
tentes sint Iudices, & Advocati, sive Me-
dici, caeterique, quibus non licet juxta mi-
nus probabilium, relicta probabiliore,
operari. De ministris Sacramentorum
diximus cap. praeterito; & in praesenti
aliqua, etiam ipsi Confessario, ut Iudex
est, & Medicus, possunt aptari.

2. *Quaeritur, quid respondere debeat
Confessarius Iudici penitenti, dicenti:
feruulis vexor: mihi juxta allegata, &
probata constat Petrum fuisse homici-
dam Pauli, & aliunde habeo certitudi-
nem physicam, quod Petrus sit inno-
cens; nam tunc temporis à Civitate e-
rat absens: quare, quid mihi agendum
sit; si eum ad mortem condemno, ope-
tor contra conscientiam, & veritatem, ac
innocentem damno, quod est ab incri-
feco malum, contra omnia jura, & ra-
tionem: si liberem, facio contra iusti-
tiam, & officium à Republica mihi com-
missum; utrumque malum est, expecto
instructionem?*

Resp. Debet videre, an Iudex sit supre-
mus habens facultatem condendi leges,
an inferior: si supremum invenit, signi-
ficet se teneri ad pronuntiandum contra
allegata, & probata, sed secundum scien-
tiam, quam privatim habet, ne innocen-
tem damnet; ratio est, quia in casu ju-
stam causam habet derogandi legi: & in
favorem innocentis debet, modo id pos-
sit sine gravi scandalo populi, & damno

Reipublicae. Caeterum ad satisfaciendum
populo, & evitandum scandalum,
debet rem sibi notam, caeteris aliquo
modo aperire.

Si verò fuerit inferior: quidam cen-
sent, eum debere judicare juxta allegata,
& probata, ac secundum conscientiam,
quam ex probatis in causa, ut Iudex, ha-
bet; qui conformari debet in iudicando,
non secundum id, quod ipse novit, tam-
quam privata persona, sed secundum id,
quod sibi innoscit, tamquam persona
publica; de quo, ut notavit Cajetanus,
diceretur judicare secundum Deum, seu,
ut vult Deus, qui statuit, ut homo ju-
dicet secundum veritatem publicam ex
probationibus, dum statuit, quod in
ore duorum, vel trium stat omne ver-
bum; & propterea non diceretur, ut
Iudex, innocentem damnare, quia in
scientia, quam, ut Iudex haberet, in-
nocens non foret.

Caeterum crediderim esse prius instruen-
dum, eum teneri Petrum liberare, si
posset: vel impediendo accusationem,
vel remittendo causam Superiori, si po-
test sine gravi damno, & infirmando co-
ram illo testium probationes: quod, si id
non possit, concedat reo appellationem,
& in eius favorem eoram Superiore testi-
ficetur. Et, si adhuc causa ad eum devol-
vatur, adeat Superiorem, eumque de ve-
ritate moneat, vel pressius, & multoties
testes examinet, eis suum testimonium
exprobando, vel, si absque scandalo
potest contingere, carcerem aperiat, ut
reus fugiat. Quilici *Confess. manud. q. 15.
art. 7. nu. 9.* De la Cruz 7. *praecept. qu. 3. de
injust. Jud. nu. 9.* quod, si haec nec exe-
cutioni

cutioni dari poterint, poterit prior sententia ad praxim deduci.

3. Sed quid, si Judex sciat aliquem reum esse, & reus juridicè non probetur, sed potius innocens?

Resp. Non potest ipsum damnare; ratio est, quia cum judicet, ut persona publica, debet judicare juris ordine servato, adeoque, nisi reus juridicè probetur, cap. cum à nobis de test. & attestat. Immo nec potest reum damnare ex aliorum dictis, nisi prius ejus causa diligenter examinetur, & detur reo locus se defendendi, per se, vel per alium, cum jus naturæ id postulat, alioquin posset innocens damnari, cap. qualiter si 2. de accusat. Vide Bonacc. 8. praecept. Decal. disp. 10. q. 2. punc. 2. num. 5.

4. Quæritur, quare Judex debet sententiam ferre pro parte, quæ habet pro se rationes validiores, & fortiora motiva contra partem, quæ leviores rationes adducit?

Resp. Quia ab Innoc. damnatur oppositum, & etiam, quia Judicibus à Republica commissa est cura, ut ferant sententiam juxta partem magis probatam. Tum quia, heret injuria ei, qui melius probavit suam partem. Tum quia, sententia opposita viam aperit oppressioni pauperum, & acceptationi personarum; propterea ab omnibus supponitur Judicem ex pacto, & conventionem per acceptationem, & collationem officii inita, obligari ad pronunciandum in favorem habentis pro sua parte validiores rationes. Tum, quia ipse Judex conquereretur de injustitia, si alius Judex in aliqua sua causa pronunciarer pro parte minus probabili in favorem partis adversæ, ergo nec ipse de-

bet pronunciare in causa aliorum, juxta id, quod tibi non vis, &c.

5. Sed quid, si cognoscat probationes esse aequales, & jus utrique parti aequaliter favere?

Resp. Non debet pro suo speciali favore rem litigiosam parti, cui voluerit adjudicare; nam, cum non sit Dominus rei, non potest aliquid jus in alterutram partem transferre, & cum videat utramque partem habere æqualem probabilitatem, tam facti, quam juris, non potest salva veritate, & justitia, ac pacto ex officio suscepto, declarare, quod una habeat probabilitatem majorem. Ideo, vel res dividenda erit in æquales partes, si est divisibilis; vel retinens totam rem, debet alteri compensationem reddere secundum æstimationem dimidii: æquale enim est jus ambarum partium.

6. Sed quæritur, an peccet, si uni potius quam alteri adjudicet?

Resp. Affirmativè, peccat contra justitiam Reipublicæ, ac partis, contra quam pronunciat, cui proinde tenetur ex justitia damna compensare; immo est perjurus, si juravit jus dicere secundum leges, & sententias injustas non dare; ac mentitur, si videns utramque opinionem esse probabilem, affirmet unam esse alia probabilioram.

7. Quæritur, an si Judex non damnet reum ad penam pecuniariam secundum legem applicandam Fisco, Accusatori, aut aliis, teneatur eam restituere illis?

Resp. Affirmativè: ratio est, quia ratione officii tenetur ex justitia reddere partibus suum jus, sed accusator habet jus legale ad illas pœnas. Idem tamen non videtur dicendum de teste injustè negante,

te, quia non est minister justitiæ, sicut Judex. De la Cruz 3. *præcept. articul. 1. qu. 3. in fine.*

8. *Quæritur, an peccet Advocatus suscipiens defendendam causam manifestè injustam, quæ scilicet, sit aperitè contra leges, aut sciat debitum solutum, &c.*

Resp. Affirmativè, si id scienter faciat; & restituere tenetur parti contrariæ expensas, & damna secuta ex sua Advocacia, & suæ parti restituet, etiam expensas, quia eam injustè lædit, si non monuit de injustitia suæ causæ. D. Thomas 2. 2. *qu. 1. art. 3.*

9. *Sed quid, si suscipiens patrocinium causæ, quam putabat justam, in processu reperiat injustam?*

Resp. Tenetur statim deserere, & monere suam partem de injustitia comperita ipsamque ad cedendum inducere; sed non potest prodere parti contrariæ injustitiam, & secreta suæ causæ, ibid S. Thomas.

10. *Quæritur, an, si Advocatus Clientulo significet rationes partis adversæ esse probabiliores, & tamen voluerit Clientens ejus operam conducere, possit hæc ille patrocinium præstare?*

Resp. Negativè; ratio est, quia cum Clientens non possit agere causam minus probabilem, seu litigare de re, quam putat probabilius ad alterum spectare (hoc enim esset directè procurare, quod fieret injustitia, cum injustum sit rem judicare habenti minus probabilem titulum) sic, nec Advocatus potest ejus patrocinium suscipere, quia, ut ibi loquitur D. Thomas in corpore quæsitum, est illicitum, alicui cooperari ad malum faciendum sive consulendo, sive adjuvando, si-

ve qualitercumque consentiendo, quia consiliarius, & coadjuvans est quodammodo faciens, in quo injustè læditur is, contra quem Patrocinium præstat; nam licet nemo potest consulere alteri id, quod ille absque peccato exequi non potest *cap. Error cum duobus 83. dist. sic nec patrocinari, quod minus probabile ipsi apparet.*

Et sic discurre potest: vel Advocatus videt se inducturum Judicem ad ferendam sententiam adversus partem, quæ habet probabilius jus, & tunc est causa injusta damni partis læsæ, quæ jus habet, ne alter cooperetur ad ablationem rei, quæ juxta probabiliores rationes ad se spectat; vel prævidet causam esse ab Judice adjudicandam parti habenti probabiliorum titulum, & tunc esset injusta causa inutilium expensarum, & sic restitutioni obstructus. Vid. Fagnan. in 1. ad *cap. ne innotaris de const. num. 387.*

11. *Quæritur, an tuta conscientia, possit Advocatus suscipere causam defendendam, pro qua sunt rationes utriusque aequæ probabiles?*

Resp. Affirmativè, nam hæc est propria materia litis, unde si in causis dubiis non liceret Advocatis patrocinari, vix unquam liceret, & supprimi possent ferè omnia orbis Tribunalia: ut plurimum enim solet litigari de rebus dubiis, quæ ob conflictum rationum, utrinque probabilium, sunt dubiæ; & propterea incertus dicitur litis eventus; satis est itaque, ut Advocati moveantur probabilibus rationibus.

Caveant tamen, ne proponant Clientulis suis partem probabilem, & dubiam, tamquam certam, & tutam quia tunc

mentis

mentirentur proponendo rem dubiam, tamquam certam, & Clientulos deciperent, ac per deceptionem ad litigandum inducerent, qui forte non litigarent, si rem dubiam intelligerent; & propterea Advocati peccant, & eis tenentur ad damna & interesse.

12. Quæritur. *An possit Confessarius absolvere Advocatum, qui paratus est curvis patrocinari, sive causam justam, sive injustam litigandi habeat?*

Resp. Negative, quia paratus est ad admittenda peccata contra justitiam, & ideo peccat. Layman. lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 3. num. 8.

Pro instructione Confessarii danda Advocatis, notetur 1. quod Advocatus suscipiens defendendam causam dubiam obligatur, ut prius diligenter inspiciat causam sibi propositam æquitatem, vel probabilitatem, & si injustam esse comperiat, hoc est, contra leges, vel debitum fuisse solutum, &c. nullo modo ejus patrocinium suscipiat, nec partem ad litigandum inducat.

2. Ut post diligentem totius causæ considerationem aperiat sincerè Clienti, quanta sit probabilis spes victoriæ.

3. Ut, dum causam dubiam patrocinium suscepit, paratus sit, ubi primum in progressu invenerit causam manifestam iniquitatem, abstinere, & Clienti significare.

Quæ dicta sunt de Advocato dicat de Procuratore, & servata proportione de cæteris justitiæ Ministris.

De Tabellione seu Notario, nota eum De la Cruz cit. dub. 12. conc. 2. quod si conficiat falsam, & injustam scripturam, peccat mortaliter contra Religionem,

cum sit perjurus (similes enim jurant de proprio munere fideliter exercendo) & contra justitiam Reipublicæ, & contra justitiam partis damnificata.

13. Quæritur. *An Medicus possit licitè dare infirmo medicamentum, quod probabiliter putat minus profuturum, relicto eo, quo probabilius posset prodesse?*

Resp. Negative, nam sanè nullus sibi eligeret Medicum (nil mente infirmus foret) quem probabilius putaret, quod occideret, quam sanaret; debent itaque Medici, & Chirurgi in curationibus semper sequi sententias certas, & tutiores, relicti incertis, & dubiis; hinc, ut ex proprio officio certiori modo agris subveniant, debent adhibere remedia, quæ probabilius judicant eis debere proficere, & non nocere; propterea sequentes scienter partem minus probabilem, & eligendo medicamenta, quæ ad propositum sanitatis finem minus idonea reputantur, suo officio non satisfaciunt, & sic peccant contra justitiam; & quia amor proximi postulat, ut meliori modo, quo possumus, ei subveniamus peccant etiam contra Charitatem, dum eis adhibent medicamenta, quæ probabilius judicant esse nocitura, quam profutura. DD. apud Fagnan. cit. nu. 293.

14. Sed quid, si adesset solum medicamentum dubium, de quo equaliter judicatur, quod proficere, & nocere possit?

Resp. Non possunt illud adhibere, ut optimè Sylvester ver. Medicum qu. 3. scribens eos debere diligenter attendere, ne illas medicinas conferant, de quibus illis secundum artem non constat, quod sint profutura; quia, si dubitant, utrum prodesse debeant, vel obesse, dando

(M m) 3

pec-

peccant; in dubiis enim *tutius sequenda est vita*: tutius autem est relinquere infirmum naturæ, & in manu Creatoris, quam ipsum exponere periculo, supponendo eum dubitabili medicinæ, quæ posset mortem accelerare; vide alleg. Fagnan. num. 374. & Layman. cit. nu. 15. unde peccant Medici, si experiendi tantum causâ inexplorata medicamenta infirmis adhibeant.

15. Quæritur. *An Confessarius iudicans probabiliter pœnitentem esse dispositum, sed probabilius esse indispositum, possit eum absolvere?*

Resp. Negative, nam exponit Sacramentum periculo nullitatis, patet ex dictis superiori capite. Confessarius enim nunquam debet pœnitentes absolvere, nisi sit moraliter certus de ipsorum dispositione; & in casu necessitatis, nisi adhibita conditione, *sæc. capax.*

16. Quæritur. *An Confessarius in foro, & iudicio Sacramentali teneatur sequi opinionem pœnitentis, etiam si pœnitens eligat minus probabilem, & minus tutam, adeo ut, si ex hoc capite deneget absolutionem, mortaliter peccet?*

Resp. Duplex est sententia; altera Bonæcin. disp. 5. qu. 7. punct. 4. §. 2. num. 26. & 27. cum aliis, & Poncii disp. 46. qu. 11. conc. 6. resolventium Confessarium teneri se conformare opinioni pœnitenti contra suam propriam probabiliorem, quorum ratio est, quia pœnitens sequendo illam opinionem non peccavit; cum non peccet, qui operatur juxta opinionem probabilem, ergo, si nil aliud obstat, absolvi debet, cum ex isto capite censeatur bene dispositus pro absolutione; & Confessarius tenetur pœnitentes ab-

absolvere, quoties sunt ritè dispositi, aliâ mortaliter peccat.

Altera est Fagnan. cit. num. 304. id negans, & movetur, ex quo per Trid. sess. 14. de cas. refer. sit Judex: quod officium exercet pronuntiando sententiam absolutionis, tamquam actum judicialem, vel remittendo peccata, dum absolvit, vel retinendo, dum sine absolutione dimittit pœnitentem indispositum, vel pœnitentiam injungendo, & ad pœnam ligando, quod fallum esset, si sententiam deberet profere juxta iudicium pœnitentis: iudicet Confessarius, eum debere restituere, negotiationem dimittere, votum adimplere, occasionem peccati relinquere, & similia; statim posset pœnitens respondere, super hæc sunt opiniones DD. probabiles in contrarium mihi faventes, quas sequor; & hinc in foro animæ cogeretur Judex sequi iudicium rei, & non reus iudicium Sacerdotis, & iudicis, ac absolvere, & operari contra legem conscientiæ reluctantis, quod esse fallum patet.

Ideo prima sententia videtur limitanda, ut non debeat, nec possit Confessarius sine peccato sacrilegii sequi opinionem pœnitentis, dum agitur de valore Sacramentorum, & damno tertii; & cum verè probabilis non reputatur, sed nimis laxa, & nutritiva peccati, instruendus est, ut ipsam deponat, vel, quia est unius, vel alterius nimis laxi Doctoris, vel, quia licet olim fuerit probabilis, hodie tamen, quia ab Ecclesia fuit proscripta, improbabilis effecta est, & falsa; quod si parere noluerit, tamquam indispositus dimittendus est; cum siquidem indispositi sint pœnitentes, qui accedunt

caſunt non recepturi monita prudentis, & boni Confelloris, quem Deus in hoc iudicio ſibi iudicem, & Doctorem conſtituit, ſed potius, ut, mutato ordine, velint ſupra magiſtrum ſe extollere, & contra Doctorem ſentire. Conetur itaque Confellarius ignorantiam à pœnitentibus tollere, eoſque ad veritatis notiſiam reducere, ubi per rationes fundatas viderit aliquam opinionem eſſe verè improbabilem, eſto illam plures ſequantur, ut optimè diſcurrit Campionus.

CAPUT III.

Prop. III. ab Innoc. XI. Sc.
Opinio tenuiter probabilis.

I. PROP. 3. Generatim, dum probabilitate ſive intrinſeca, ſive extrinſeca, quamvis tenui, modo à probabilitatis finibus non exeat, conſiſt, aliquid agimus, ſemper prudenter agimus.

Lib. 1. cap. 20. nu. 2. videri poteſt, quid ſit opinio probabilis, quid probabilitas ab intrinſeco, quidve ab extrinſeco, & nu. 3. quæ opinio ſit verè probabilis; & interim.

2. Queritur. Ex quibus poteſt quis moveri ad rationabiliter dubitandum de probabilitate opinionis?

Reſp. Ex pluribus, 1. cum Auctor opinionis non eſt omni exceptione major, timorata conſcientia, & in moralibus peritus; nam per Boetium probabile eſt, quod videtur, vel omnibus, vel pluribus, vel maxime noris, atque præſentibus. 2. Cùm Auctor opinionis rationes

graves, & firmas non aſſert, ſed levibus moveatur, à contrariis enervantur, & ipſa contraria non ſolvit. 3. Cùm unus, vel alter docet opinionem, quæ communiter ab aliis Doctoreſ, ut improbabilis, & minus tuta in praxi reprobatur. 4. Cùm dubitatur, an ratio cui opinio nititur, ſit levis, an gravis, vel firma: in dubiis enim oportet non citò credere: nam, qui citò credit, levis eſt corde: idè debet alios conſulere, ut de veritate inſtruat, & interim ſequi, quod tutius eſt; ubi ergo hæc, vel ſimilia motiva inventa fuerint, dicendum erit opinionem eſſe tenuiter probabilem, & non poſſe prudenter eligi, adeò ut in praxi prudenter non operetur, qui eaſ ſequitur; cum prudenter non agat, qui vel ſe exponit periculo peccandi, vel ad operandum non magni ponderis, & momenti, ſed potius moveatur levibus rationibus, & operatur practice dubitans de oppoſito. Vid. Fagn. in 1. ad cap. ne innitatis, de conſ. nu. 449.

3. Sed dubitatur, an liceat in aliquo caſu operari, electa opinione tenuiter probabili?

Reſp. Filguzza apud Cardenas cap. 7. dixit à Pontifice non damnari pro poſitionem docentem, in aliquo caſu poſſe ſequi opinionem tenuiter probabilem, & deducit: ex quo damnatur pro poſitione aſſerens, generatim licere uti opinione tenuiter probabili, non verò aſſerens licere ſolum in aliquo caſu.

Verùm hoc non probo, nam ſemper, & in omni caſu verificabitur de operante ducto opinione tenuiter probabili, quod imprudenter operetur, & hic, & nunc, propter præponderantes rationes in opoſitum,

positum, & tenuitatem propriæ opinionis, dubitet de honestate suæ operationis, adeoque quod peccet; & idè accendendum, numquam licere uti opinione tenuiter probabili.

4. Nota, Sacerdotem inuenientem moribundum, & dubitantem, an dolor ipse sit sufficiens ad valorem Sacramenti, dum non potest ad maiorem excitare, debere ipsum absoluerè, apponendo conditionem, *si es capax*: per quam vitatur irreuerentia Sacramenti: ex lege Charitatis succurritur salutis animæ, extremè indigenti, & ipsa necessitas operatur, ut non leviter, sed prudenter operetur. Felix exam. to. 1. nu. 78.

CAPUT IV,

Prop. IV. ab Innoc. XI. Sc.

Infidelis.

PROP. 4. *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, autius opinione minus probabili.*

Author propositionis fuit Sancius in *selectis disput. 19. nu. 7.* scribens, quòd, sicut homo in aliis matris, & præceptis excusatur à peccato, si sequatur opinionem minus probabilem de non peccato: ut si supponatur esse probabile non licere piscari die festo, & minus probabile licere, qui operatur secunda opinione ductus, à peccato excusatur; ita in præcepto credendi veritates fidei Catholice, ait, excusabitur infidelis à peccato infidelitatis, ductus opinione minus probabili; sic Lutheranus minus probabiliter iudicans, quòd sua secta sit vera, & magis probabiliter, quòd vera sit Religio Ca-

tholica, excusatur per Sancium, si suam sectam, & infidelitatem non deponat. Verùm, quòd illatio sit falsa, constat manifestè. 1. Ex decreto Innoc. 2. Ex quo Hæreticus veram probabilitatem habere non possit de veritate suæ falsæ sectæ; etenim si attenderet, vel ponderaret motiva credibilitatis, propter quæ evidenter constat mysteria fidei Catholice esse à Deo revelata, juxta dicenda cap. 13; experiretur suam sectam esse certò falsam.

2. Hinc hæreticus prudenter dubitans de veritate suæ sectæ, tenetur suam infidelitatem deponere, procurando sibi certitudinem fidei Catholice, ad quam, sufficenti adhibita diligentia, infallibiliter perveniet, si sincero animo veritatem quærat, & cum viris in Catholica Doctrina peritis, conferat; adeò ut, si hanc diligentiam omittat, peccet: quemadmodum peccat, qui dubitat, an hodie, v. g. urgeat præceptum autentici Missam, si non adhibeat diligentiam pro comperienda veritate, vel Missam non audiat; sed infidelis habens opinionem probabilem de veritate suæ sectæ, & probabiliorem de veritate fidei Catholice, debet prudenter dubitare de suæ sectæ veritate, & quòd in errore versetur; nam per iudicium magis probabile, magis verisimilis ei apparet Religio Catholica, quàm sua secta, ergo non potest absque peccato eam retinere, sed debet ipsam deserere, & Religionis Catholice fidem suscipere, vel argumenta examinare, propter quæ Mysteria fidei ita apparent ut imprudentissimus esset, qui non crederet. Quæ omnia in instructione penitentis ponderet Confessarius eum.

eumque ad sequelam probabilioris inducat: nam sanè res maximi momenti est, Deum offendere moraliter, aut non; & in praxi circa eum in materia hæresis hæc reddat, quæ diximus *lib. 1. cap. 3. per totum*; & *ibi nu. 4.* videat hæresis definitionem, *nu. 5.* naturam pertinaciæ; & *nu. 6.* divisionem hæresis in internam, & externam, & sequentibus numeris alia plura de schismaticis, & Apostatis, Blasphemia hæreticali, & absolutione ab hæresi; legat etiam *cap. 33. sub nu. 17.* & *cap. 34. nu. 29.* decretum Alexand. VII. declarantis in Jubileis non dari facultatem absolventi ab hæresi; & interim subsequenti non negligat, ut optimi Confessarii partes impleat, & de re non ad eò Confessariis obvia plenè instruat.

3. Quæritur. *In quo differant infidelis materialis, & infidelis formalis?*

Resp. In hoc, quod infidelis materialis, seu materialiter ille dicatur, qui ideò non credit mysteria fidei divinæ, nec diligentiam adhibet, ut ipsius veritatem assequatur, quia nil de ipsa, aut Ecclesiæ definitione audivit; & propterea credere non potest, teste Apostolo ad Roman. 10. *quomodo credent ei, quem non audierunt, & quomodo audient sine predicante?* in quo infidelitas peccatum non est ex D. Thoma 2. 2. *quest. 10. in corp. & damnatur propter alia peccata, quæ sine fideremitti non possunt: iste consignandus est Catechista instruendus pro Baptismo, & consulendus Inquisitor, vel Ordinarius.*

Infidelis verò formaliter ille est, qui, vel postquam recepit fidem, eam, ut Apostata, in totum discredendo pertinaciter

Martha d'cci Caurela Confess.

omnibus articulis fidei, vel in partem, ut Hæretici, aliquem negando, deserit; vel, qui credere non vult, quamvis ei mysteria fidei sunt sufficienter ab Ecclesia proposita, esse à Deo revelata; vel diligentiam non adhibet in indaganda veritate fidei Catholica, postquam de ipsa notitiam habuit; in quo infidelitas culpabilis est, & peccatum, nec absolvendus à Confessario ordinario.

4. Quæritur. *Quanam sit differentia inter Paganismum, Judaismum, & Hæresim?*

Resp. Hæc, quod Paganismus sit infidelitas eorum, qui nunquam receperunt fidem, nec credunt ullo modo in Christum, aut venturum, aut venisse. Judaismus verò sit infidelitas eorum credentium Christum venturum, postquam fides Catholica dicitur eum venisse: præfati egent instructione pro Baptismo.

Hæresis autem, est infidelitas eorum, qui licet credant Christum venisse, discredunt aliquibus articulis fidei sufficienter propositis; quam suo loco supra citato descripsimus: quod sit error intellectus cum pertinacia voluntatis contra aliquem articulum fidei, quæ absolvi non potest juxta dicta *ibid. cap. 3. nu. 7.*

5. Quæritur. *An sit Hæreticus, qui in ebrietate hæresim internam ore pronunciat, & ab aliis didici se pronunciasse?*

Resp. Distinguas triplex genus ebrietatis, *levissima, levis, & magna.* 1. Est quæ mentem non impedit sed hominem tantum exhilarat, & promptiorem ad loquendum reddit. 2. Mentem turbat, sed plenè usum rationis non aufert, 3. Totaliter alienationem mentis inducit, & usum rationis impedit sic, ut non advertens

(Nn)

tens

tens ebrius loquatur; quod ebrius, 1. & 2. fe. alicuius hereticus formaliter sit, conveniunt DD. asserentes, quod ebrietas levissima, nec à toto, nec à tanto excusat, nec propter eam minuitur pœna, sicut minuitur propter ebrietatem levem, Carena de off. Sup. Inquisit. par. 2. tit. 5. nu. 32.

Dubium est de ebrio tercia ebrietatis specie, & ratio dubitandi est; quia hæresis est error intellectus cum pertinacia voluntatis, & pertinacia in hoc consistit, ut quis, non obstante, quod cognoscat aliquid ab Ecclesia de fide teneri, non velit illud credere, sed contrarium: de ebrio autem, ut ebrio, non potest dici ipsum cognoscere, esse contra determinationem Ecclesiæ, quod ipse tenet, vel ore pronunciat, quia supponitur per ebrietatem usum rationis perfecte turbatum, & verbum non significativè, & formaliter, sed solum materialiter pronunciat.

Verum, quia difficillimum est cognoscere, an ebrietas inducat totalem mentis alienationem: tutissima sententia est, quod tali ebrio, deposita ebrietate, à Confessario Ordinario absolutio non conferatur, maxime, quia ad hæresim externam per DD. fat est, quod hæresis interna extra scripto, verbo, vel facto ostendatur: ab excommunicatione excusant manifestantem hæresim internam coram Inquisitoribus, vel in Confessione Sacramentali, aut ad petendum consilium, vel auxilium ad effectum eam relinquendi; sed hic hunc effectum non reperio: Et ex his patet, quid dicendum de manifestante hæresim internam, in ira, Insaniam, somno & inadvertenter. In quo meliorem iudicio submitto.

2. Queritur. Quid agendum Confessario cum penitente, qui se accusans, hæc aperit: Pater, à quindecim diebus non fui confessus, ab illo tempore mihi aliud non occurrit, quam significare, quod in itinere per vim me coegerunt hæretici ad adorandam effigiem Lutheri, & frangendam Imaginem D. Petri, & Romani Pontificis?

Resp. Debet videre, an coactio fuerit absoluta, & precisa, in hoc consistens, quod quis ligatus, & profusus voluntate tenens, ab extrinseco impellente cogitur genua flectere Idolo, aut frangere Imaginem Sacram; vel conditionalis tantum, quæ habetur, dum, quis pro evitanda morte aliquod factum hæreticale committit.

Si invenerit coactionem fuisse precisam, & in mente errorem non habuisse contra fidem (quem haberet credens Lutheri, non Sacris Imaginibus, adorationem deberi, & Romanum Pontificem non esse Christi Vicarium, D. Petri successorem) hæreticus non est, nec in eo peccavit, ratio est, quia sic coactus magis pati, quam agere convincitur cap. Sacris de iis, qua vi, mesure, &c. Carena est. par. 2. tit. 1. §. 15. nu. 80.

Si coactio non precisa, sed conditionalis fuerit ad instantem mortem vitandam (quam vitam, ut optimus Christianus sustinisset,) si corde credat totum, quod Ecclesia Romana credendum proponit, hæreticus non est, sed gravissimo Sacrilegio peccavit externa illa adoratione, quia cum id sit ab intrinseco malum, nullo potest sine honestari; ideo posse absolvi à Confessario non dubitatur, quia non est excommunicatus

tas excommunicatione Bullæ: verum ante absolutionem deberet ab eo abjurationem exigere, hoc est, curare, ut ipsum detestaretur Lutherum Hæreticam, ejusque dogmata, & crederet quidquid Ecclesia Catholica credit, & in ea Romani Pontificis primatum, ac esse Sanctorum Imagines colendas, cum juramento permanendi in fide Catholica, & quod amplius in futurum non sit similia commissurus. Monere quoque ipsum deberet, ut se præsentaret S. Tribunali ad factum sincerè fatendum, ut in casu denunciationis per alium gauderet beneficio spontè comparentium; immò optimum esset ad Sacrum Tribunal absolutum dimittere. & ita ego præticarem.

7. Quæritur. *Quid agendum Confessario, apud quem pœnitens se accusat: Pater, videns improbos bonis fortuna, ac corporali salute abundare, sæpè hæc protuli: oportet in Mundo infamem ducere vitam, ut bona habeamus, nam improbi à Deo prosperantur; & sæpè addidi: pro me non est Deus.*

Resp. Debet interrogare, an, cum similia pronunciaverit, corde crediderit Deum in suis dispositionibus falli, injustum esse, acceptatorem personarum, ac approbare peccata, eaque his temporalibus remunerare; vel, Deum curam, & providentiam non habere; si invenerit talem, ad absolvendum est impotens, quia contra fidem pertinaciter errat; si verò errorem in mente non habuisse comperiat, peccavit peccato gravissimo blasphemie hæreticæ, quæ potest absolvi, ubi non est reservata, quæ

tamen ubique extra Urbem talis reputatur.

8. Quæritur. *Quomodo se gerere debeat Confessarius cum rustico pœnitente, quem inter constitendum reperit credere pœnas Inferni, sed non esse æternas, quia id à suo Parocho, instruente Parochianos, audivit?*

Resp. Videat, an dubitaverit de veritate sui Parochi, & quod falsum dicere potuerit; vel, an aliandè sciat, Ecclesiam tenere oppositum; si primum reperiat, eum peccasse pronunciet, non adhibendo diligentiam pro indaganda veritate, & se in Confessione de negligentia accuset; quinimò, si aliàs cum eo dubio Confessiones instituit; debet omnes ex integro repetere, dum in eis de tali negligentia mortaliter peccaminosa, non se accusaverit: si secundum, verè hæreticus est, & inabsolvibilis, si error mentis fuerit, etiam externus.

9. Sed quid, si non dubitavit?

Resp. Eum ignorantia inculcata à peccato excusat, & ab hæresi formali pertinacia. Vide Soula cap. 12. num. 11.

10. Quæritur. *An quodlibet peccatum contra fidem sit hæresis?*

Resp. Negativè; nam hæresis, ut diximus, est error intellectus cum pertinacia voluntatis, hoc est, viri Catholici; qui, tametsi sciat Ecclesiam aliquod definiuisse, adhuc vult tenere contrarium, quæ in quolibet peccato contra fidem non reperitur; ut legens libros prohibitos blasphemias hæreticæ proferens, exponens se periculo perdendi fidem, peccant contra fidem, & tamen, quæ tales, hæretici non sunt.

A1. Sed quid, dicendum de dubio in fide,

(Nn) 2

fide, Francisco V. G. qui non absolute dis-
scredit, E. C. Corpus Christi esse sub spe-
ciebus panis, sed de eo duntaxat dubitat,
quamvis sciat Ecclesiam contrarium te-
nere?

Resp. Si dubitat voluntarie, & cum
advertentia, hoc est, non obstante,
quod advertat, Ecclesiam id tenere, ad-
huc vult credere oppositum, hæreticus
est; nam sanè habet errorem in intelle-
ctu cum pertinacia voluntatis, vid. lib. I.
cap. 3. num. 11.

Diximus, si dubitat voluntarie, quia si
involuntarie dubitet sine ullo consensu
præstito, vel non obstante dubio, actum
fidei eliciat, dubiumque repellat, non
peccat immò potius meretur patiendò &
repellendò tentationes fidei. Signa ve-
rò, quod consensus defuerit, est dolor,
quem quis habet in istis dubiis; quæ nul-
lo modo vellet habere, & ipsa repellere
statim, ac cognoscuntur pulsare, elicien-
do actus ipsi contrarios.

12. Quaritur. An penitens in Con-
fessione teneatur aperire qualitatem hære-
si: interne, an nimirum fuerit Lutheri, an
verò Calvinii?

Resp. Quamvis neget Sanchez disp. 46.
de penit. qu. 7. num. 79. ex quo una hæ-
resis ab alia non videatur specie differre,
cum tota malitia, quæ est in hæresi, con-
sistat in irreverentia, qua fit Deo, cum
ipsi non creditur, quando ab Ecclesia
proponitur sufficienter testimonium ip-
sius; cenfeo tamen esse affirmandum:
ratio est, quia ex parte objecti materialis
sunt diversæ; nam Lutherus dicit,
corpus Christi esse simul cum substantia
panis in hostia consecrata: & Calvinus,
in ea non esse verè, & realiter Christi

Corpus; sed solum figurativè; propter
eà penitens diversa instructione eger;
immò, cum debeat hæreses abjurare, seu
detestari, necesse est, ut eas specificet;
quia igitur sunt circumstantiæ, admittit
notabiliter aggravantes, & mutantes ju-
dicium prudentis Confessarii, aperiendæ
sunt.

13. Quaritur. Penitens se accusat:
Pater, dixi, Deus est maledictus: Divus
Petrus non est Sanctus; & semel: Deus
sit maledictus, peto absolutionem?

Resp. Cautè est in hoc procedendum;
primò, super duobus primis interroge-
tur, an interne crediderit Deum esse ma-
ledictum, & D. Petrum non esse San-
ctum? & si affirmet, cum sit formaliter
hæreticus, absolvi non potest; si verò
non crediderit, est solum blasphemus hæ-
reticalis, & absolvi potest, si casus non
sit reservatus, vel nil aliud obstat; in
2. casu protulit solum blasphemiam sim-
plicem, quia non affirmat, sed tantum
opiat.

14. Hinc notet Confessarius, quod
blasphemia est convicium, seu locutio
per modum convicii, aut contumelie,
& maledictionis in Deum, vel Sanctos;
cujus species sunt simplex, & hæretica-
lis; hæreticalis est, quæ errorem sapit
in fide: seu, est locutio contumeliose
contra Deum, continens errorem con-
tra fidem; quatenus aliquid contra fi-
dem per modum indicativi de Deo affir-
mat, vel negat; & idè hæreticalis non
est, cum pronunciatur per verba impe-
rativi, vel optativi modi, ut Deus sit
maledictus, quia per hos modos, cum
indicativi non sint, nil fallum dicitur de
Deo, nisi in tali locutione aliquid affir-
mat.

mativum, vel negativum includatur contra Deum, ut si quis dicat, *o Deum injustum*, quod quidem valet, ac est *injustus*.

15. Simplex, non sapit hæresim, nec contra fidem aliquid affirmat, sed solum verba injuriosa, & irrisoria, ac maledictionis in Deum, & Sanctos enunciat. Vide lib. 1. capit. cit. num. 9. & Soufa o. sp. 19. num. 7. ac Suarez to. 1. de Relig. lib. 1. capit. 6.

16. Quæritur, in quo differat blasphemia hereticalis ab hæresi?

Resp. In hoc, quod hæreticus corde credit aliquid contra fidem, blasphemus autem hereticalis nil contra fidem sentit, licet verba proferat continentia errorem contra fidem: explicio: ore pronuncio, *Deus est injustus*: si corde credo esse injustum, sum hæreticus, etiam si pronuncio instanti cum pertinacia crediderim, quia, sicut cætera peccata, potest hæresis crimen in unico instanti committi; si autem id non credo, sed iustissimum esse, solum blasphemus hereticalis efficior; patet à simili, possum verba injuriosa dicere contra Paulum, vocando spurium, non credendo, quod sit spurius; & vocando spurium, & simul credere talem esse; quæ certè est major injuria, dum à parte rei talis non sit.

17. Quæritur, an blasphemia possit esse venialis ex sola levitate materia?

Resp. Negativè, ratio est, quia blasphemia Deus injuriatur, levis autem injuria certè non est, quæ sit Deo proferendo verba contumelia, & improperii, ac maledictionis in ipsum, cujus infinita excellentia offenditur, & ipsius divinæ bonitati derogatur; venialis, & levis esse potest ex non plena advertentia, &

surreptione, ut, si quis conviciam in Deum diceret; vel contra Deum ex subito motu loqueretur, non advertens verborum sensum, nam tunc diceretur proferre verba non formaliter, & perfectè significantivè.

18. Sed quæritur, an blasphemus debeat intendere Deum injuriari, vel ipsius honori detrudere?

Resp. Negativè, sed ad malitiam contrahendam, sat est, quod voluntas advertenter faciat actum de se inhonorativum Dei, & in contemptum ipsius eudentem, quamvis honoris detractio expressè non intendatur; quemadmodum, ut quis peccet peccato furti, sufficit, quod rem surripiat, quam alienam cognoscit, quamvis non intendat offendere Deum. Suarez cit. cap. 6. num. 8. certè, si blasphemia prolata sit cum formali intentione inhonorandi Deum, est circumstantia intrinsecè aggravans, & augens Dei despectum, & irreverentiam; immò, cum ea intentio solet sæpè provenire ex odio, quo quis velit Deo illud malum irreverentiæ, & contemptus, (quod est peccatum distinctum à blasphemia) debet Confessarius interrogare penitentem de intentione, qua eam protulit, & si ex ea intentione prolata, & hereticalem invenerit, eum triplex commississe peccatum judicet: alterum odii contra charitatem, & Dei dilectionem; alterum blasphemia contra reverentiam, & cultum, ac laudem Deo debitam; & tertium contra externam fidei Confessionem.

Hinc, cum penitens se blasphemasse accusat, ad officium Confessarii spectat inquirere, quomodo, quibus verbis,

(Nn) 3

qua

qua intentione, coram quibus, & quoties blasphemaverit. Vide lib. I. cap. 3. num. 9. & 10.

CAPUT V.

Prop. V. VI. & VII. ab Innoc. XI. Sc.
Dilectio Dei.

1. PROP. 5. an peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audeamus.

PROP. 6. Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquennis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

PROP. 7. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possumus.

2. Ne dicta repetantur, videndus est liber primus cap. 1. ubi nu. 2. referimus, quid sit aliquod præceptum per se obligare, & nu. 17. taxavimus tempus, in quo per se præceptum charitatis obliget, cuius objectum formale, & materiale, ac modus eliciendi actum amoris Dei aperitur nu. 23. ex ipsa itaque dignitate, primatu, & magnitudine præcepti (nam hoc est maximum, & primum mandatum) est communis DD. opinio, ita obligare, ut per multum temporis non sit actus dilectionis Dei super omnia differendus, sed frequentandus, si non sæpius, ad minus sexies in anno; unde Confessarius requirendo numerum peccatorum, interrogabit penitentem, an Deum super omnia dilexerit? qui fortè negaturus erit, & tunc, considerato tempore, à quo non fuit confessus, facile numerum colliget, adeo ut, si per integrum annum in-

confessus vixerit, sex peccata mortalia ad minus in transgressione præcepti de diligendo Deum commiserit, & fortè sex in omissione actus fidei, & alia sex in omissione actus spei, quos fortè etiam omisit elicere.

Proinde in præfenti alia dubia circa dilectionem Dei aperienda sunt, ne Confessario in instructione penitentis delicta doctrina, quam maximè utilis.

3. Quod Deus sit super omnia amandus, nullus, nisi insipiens, posset negare; nam, si bono (cum sit objectum amoris) amor debetur, infinito bono, & super omnia bona, à quo omne bonum, & sine quo nihil est bonum, amor super omnia debetur; quod nobis & naturali, & divina lege præcipitur.

4. Amare, est, velle bonum, sive desiderando alteri bonum, quod non habet, sive gaudendo, aut complacendo de bono, quod habet. Deo possumus desiderare gloriam externam, ut, quod ab omnibus ametur, honoretur, & laudetur (cultus enim, & laus sunt bona externa ipsius) Et possumus gaudere de ipsius bonitate, & perfectionibus. *Lauræ de charitat. disp. 9. art. 1. num. 6.*

5. Sed dubitatur, an Deus amandus sit super omnia appreciatiuè, & pralatiuè, an intensiue?

Resp. Quamvis decens sit, & ad maiorem charitatis perfectionem spectet, ut quis conetur Deum amare amore intensiori, & vehementiori, quàm cetera; adhuc tamen id nobis non est præceptum, ut uno ore DD. loquuntur: ex eo enim homines maximis vexarentur scrupulis semper dubitando, an actus esset sufficienter intensus, & vehemens; tamen quia tenemur

nemur solum Deum super omnia amare, idèò dicendum, esse amandum super omnia *appretiative*, *æstimative*, *seu praelative*; tunc autem sic amatur, cum omnibus aliis præfertur, & quis paratus est pati potius omnia mala, vel perdere res omnes, quàm ipsum Deum offendere, ac ipsi placere, magis, quàm cuilibet alii; De hoc amore est præceptum; nam de illo amore est præceptum, qui infert affectum efficacem non peccandi, & observandi omnia præcepta, sed huiusmodi est amor *appretiativus*; nam, qui Deum tali modo amat, certè ejus præcepta servabit, alioquin potius creaturæ vellet placere in transgressione præcepti, quàm ipsi Deo in observantia; exemplum de amore *appretiativo* est in homine ingenuo, habente castrum, & catulum: censeret quis ipsum magis amare catulum, quàm castrum, illum tenerius fortè amabit, & ferventius, & forsan amore in gradu intensiori, non tamen firmius, aut magis *appretiative*, seu *æstimative* amat; deducitur ex eo, quod si vel catulus, vel castrum amittendum foret, sine dubio, si sanæ mentis esset, canem, & non castrum relinqueret; sic patet, licèt quis tenerius, & intensius amet honesto amore Patrem, Matrem, Filios, amicos, &c. quàm Deum, non tamen eos amat magis firmius, & *appretiative*, quandoquidem, si deberet relinqui, vel amicitia Patris, uxoris, &c. vel Dei, potius illam Patris, & uxoris, quàm Dei omitteret, & sic vellet potius Deo placere, quàm ulli alii.

6. Quæritur, an peccet mortaliter, & contra præceptum de diligendo Deum ex charitate, qui cupit, & paratus est degere perpetuo in hoc mundo, & Deo

Colum relinquere, si ipse sibi terram daret?

Resp. Affirmative, ratio est, quia magis æstimat hæc terrena, quàm Deum, ejusque visionem, & fruitionem, quibus præfert delicias hujus sæculi, & in istis ultimum finem constituit, quod non nisi sceleratissimus facere potest; & mortaliter peccat, non modò contra charitatem, non amando amore amicitie Deum super omnia propter se *appretiative*, verùm etiam contra spem, non amando ipsum amore concupiscentiæ, ut est nostrum bonum, ei hæc temporalia præponendo; quare non est absolvendus, nisi se corrigat; immò interrogari debet, an crediderit, quòd, non Deus, sed bona mundi sint hominis ultimus finis, & beatitudo, & si affirmet, dum error non fuerit merè internus, absolvi non potest.

7. Sed quid, si optet non semper, sed longo, & determinato tempore in hoc mundo manere?

Resp. Hoc etiam sufficit, ut mortaliter peccet, si, cum longam vitam desiderat, præfert pro illo tempore delicias humanas bonis æternis; nam summa perfectitas est pro uno, & minimo instanti æternam beatitudinem humanæ voluptati postponere: quod certè nec intendere debent ii, qui ad senectutem optant pervenire.

8. Sed quid etiam, si ex pusillanimitate, & timore gehenna optaret semper esse in hoc mundo, timendo gravitatem culparum suarum?

Resp. Nisi inadvertentia, vel perturbatio mentis excusaret, mortaliter peccaret; nam debet quilibet credere, & sperare remissionem peccatorum, dum

ad Deum totis vitibus convertitur: unde peccat contra spem peccato desperationis, & si crederet, Deum non posse sua peccata remittere, esset etiam hareticus.

9. Quæritur, an, si quis statuat in peccatis perseverare, dum benevalet, & tamen speret se facturum penitentiam, peccet mortaliter?

Resp. Affirmativè, nimis enim confidit in divina misericordia, & propterea in peccatis imputrescit, & sperat, ut peccet, & addat peccata peccatis; ideo peccat peccato præsumptionis contra spem, nec Deum sibi bonum, nec in se bonum amat.

10. Quæritur, an, ut quis impleat præceptum diligendi Deum super omnia, debeat ipsum diligere amore supernaturali?

Resp. Affirmativè ex Trid. sess. 6. ubi can. 3. definit, sine adjutorio gratiæ non posse hominem credere, sperare, diligere, aut penitere, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; dilectio autem Dei super omnia est dispositio ad justificationem, ad quam actus naturalis est improporcionatus, nec potest ad eam disponere, utpote inferioris ordinis ad ipsam: nam dispositio, & forma debent esse ejusdem ordinis, ideo, ut in peccatore dilectio Dei ad justificationis gratiam disponat, & in justo, ut sit meritoria vitæ æternæ, & augmenti gratiæ (cum hæc omnia sint supernaturalia) debet esse supernaturalis, hoc est, elicitæ ex prævia cognitione fidei cum auxilio gratiæ.

11. Sed unde cognoscendum, quod sit supernaturalis?

Resp. Cum evidentia, & certitudine

physica, ex nullo capite; cum nesciat homo, an odio, vel amore dignus sit, & ignoret, an sit in statu gratiæ; conjecturaliter tamen, arguitivè, & quadam morali certitudine cognoscitur esse supernaturalis, cum à fide divina regulatur, seu, cum tendit in Deum ob motivum revelatum, & supernaturale, & propositum per fidem supernaturalem, adeoque, ut est finis ultimus beatificans, ac in se omni perfectione bonus cognoscitur.

Distinguat Confessarius: fides est necessaria, ut amor sit, & ut cognoscatur esse supernaturalis; non sufficit ipsa sola, ut sit supernaturalis, sed ulterius requiritur, ut procedat à voluntate, & comprincipio aliquo supernaturali, auxilio nimirum divino: in justo à voluntate, & habitu per se infuso charitatis, ac auxilio procedit: in peccatore à voluntate, & auxilio gratiæ; bene verò sufficit ipsa, ut supernaturalis arguatur; quod satis est Confessario hic scire. Si alia desiderat, legat Theologos in tractatu de auxiliis, & de justificatione.

12. Quæritur, an in odio Dei deum parvitas materia?

Resp. Negativè, quia quodcumque minimum malum velis Deo, ejus summam bonitatem tollis, consequenter Deum; qui non potest esse Deus, nisi summè, & infinitè bonus sit: & sic ipsum non potes super omnia amare, dum ei aliquod malum optas, cum eo actu omnie ei malum desideres, ipsum nimirum non esse, quod gravissimum est peccatum. Campion. Vide lib. 3. cit.

CAPUT VI.

Prop. VIII. ab Innoc. XI. Sc.
Gula, & ebrietas.

1. PROP. 3. comedere, & bibere usque ad satietatem, ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obste valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis attribus frui.

In hoc capite pro instructione Confessarii agendum est de Gula, & ebrietatis vitio, nimis Christianos inter domesticos.

2. Sed difficultas est, quando quis censetur comedere usque ad satietatem, & ob solam delectationem?

Resp. Usque ad satietatem comedit, qui in majori quantitate cibum sumit, quam sit necessarium ad vitæ sustentationem: & ob solam voluptatem, dum sumit aliquid superfluum, & non necessarium, neque utile ad conservationem ejusdem; etenim si comedatur, quod est præcisè necessarium, aut utile ad sustentationem, saltem implicite, & virtualiter assumitur, non propter solam voluptatem; sed etiam propter sustentationem vitæ.

3. Sed quaeritur, an, cum dicitur esse peccatum comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, intelligatur de peccato mortali?

Resp. Solutio dubii pendet à quaestione, an Gula sit ex genere suo peccatum mortale; & communiter negatur à Doctoribus, asserentibus per se, & ex genere suo esse dumtaxat veniale, & probant, ex quo nec opponatur charitati Dei, nec

Alcithaenci Castela Confessi.

proximi; & constat ex modis, quibus committitur: prapropere, laute, nimis; ardentem, studiosè; ex D. Thom. 2.2. qu. 148. ar. 4.

Prapropere, cum tempus debitum ad se cibandum prævenitur.

Laute, cum pretiosi, & exquisiti cibi sumuntur, quos nec natura, nec Ecclesia per se sub mortali prohibent.

Nimis, dum quis se cibant, & bibit, plusquam eget.

Ardentem, qui non servat modum debitum in edendo, sed voraciter comedit.

Studiosè, qui cibos nimis delicatos, & præparatos suscipit.

Colligitur etiam ex Divo Augustino de Purgat. ab eodem Sancto Doctore allegato ibidem, ubi: quoties aliquis in cibo, aut potu plus accipit, quam necesse est, ad minuta peccata pertinere noverit; ac ex ratione; nam, cum alimentum institutum sit à natura, & juxta rationis præscriptum utendum eo sit ad conservandam vitam, id, quod superfluum respectu conservationis sumitur, est contra ordinem à natura præfixum, & à recta ratione alienum, ergo peccatum est saltem veniale; ergo comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem est peccatum veniale; verum potest esse mortale, ut dicendum nu. 5.

Ut plene Confessarius instruat: observet, I. Quod gula, est inordinata concupiscentia edendi, & bibendi: vel, est inordinatus appetitus usus cibi, & potus; opponitur virtuti abstinentiæ, quæ secundum rationis regulam moderatur appetitum, usumque ciborum: regula, & mensura cibi, & potus capiendi,

(O o)

di,

di, attenditur ex necessitate, & utilitate conservandi vitam.

4. II. Quod non omnia septem peccata capitalia sunt ex suo genere mortalia: sed hæc sunt tantum, *Superbia, Luxuria, Invidia, & Acedia*: *Cætera, ut Gula, Ira, & Avaritia*, non sunt huiusmodi; possunt tamen per accidens esse; verum omnia sunt capitalia, quatenus ab eis, tamquam à capite, & fonte, quadam alia vitia dimanant. Vide *capit. 28.*

A gula proveniunt 1. Inepta lætitia, in hoc consistens, quod quis supra modum lætetur. 2. Multiloquium, quo quis immoderate loquitur: per quod sæpissime in detractiones, contentiones, & rixas prorumpit, & propterea mortale tunc erit. 3. Turpiloquium, seu scurrilitas, per quam quis utitur verbis inhonestis ad delectandum: si intendatur sola delectatio, est contra modestiam; si sint scandalosa, contra Charitatem: & propter periculum, ut excitentur species venereæ, est contra castitatem, & mortale erit. 4. Immunditia, vomitus nimirum cibi, & potus superflui, & hæc inordinatio directe opposita: abstinentiæ: *carnalis quoque immunditia, seu emissio superflui pro individuo, sed necessarium ad generationem, qua fit per pollutionem, ex Gula, & Crapula oritur, ac ad libidinem veneream pertinet, & castitati opponitur.* 5. Hebetudo mentis, per quam ineptus quis fit ad cognoscenda distincte objecta, ut cognoscere debet. Vide D. Thomam cit. *articul. 6.*

5. Queritur, quid agendum Confessa-

rio cum panitente, dum se accusat de peccato gula?

Resp. Interroget. 1. An ob delectationem gulæ fuerit inobediens Ecclesie, aut violando præceptum jejunii Ecclesiastici, vel naturalis, per necessarii ad celebrationem, & Communionem: aut comedendo carnes, & lacticia diebus prohibitis: aut non audiendo Missam. 2. An ineptum se notabiliter reddiderit ad functiones, ad quas exercendas tenetur sub mortali. 3. An cum gravi præiudicio propriæ salutis comederit, vel quia immoderate, vel nondum facta competenti digestionem, cibos sumperit. 4. An ita continuo epuletur, ut merito dici possit: quorum Deus venter est. 5. An carnes humanas, non per modum medicinæ, comederit. 6. An superflue comederit ad excitandum in se carnis stimulum, & ut aptior fieret ad fornicandum, & pollutionem procurandam. 7. An expertus sit ex immoderato cibo se cedere in peccata carnis; quia in casu, ut satisfaciat gulæ, nil timet se ponere in periculo proximo peccandi. 8. An cum notabili detrimento sui status, & familiarum egerit. 9. An propter pecunias consumptas in superfluo ciborum, reddiderit se impotentem ad solvenda legata pia, debita, dandam operariis mercedem, & restituendam rem alienam. 10. An se infortiaverit, vel periculo ebrietatis se exposuerit. Quibus, & similibus gula, quæ ex suo genere est veniale, fit mortale per accidens: & ideo Confessorius eum mortaliter deliquisse iudicabit, cum invenerit vitium gulæ cum uno ex præfatis conjungi.

6. Queritur, quid sit ebrietas?

Resp.

Resp. Est immoderatus appetitus, & usus potus potentis inebriare, seu privare usu rationis; propterea ab aliis describitur: est insania voluntaria, qua hominem ratione privans amantem reddit, & stultum; opponitur sobrietati, quae moderatur inordinatum appetitum, & usum potus, qui vim habet inebriandi.

7. Queritur, in quo formaliter consistat ebrietatis malitia?

Resp. In hoc, quod quis voluptatem ex potu provenientem tanti faciat, ut ob eam, saltem indirecè, velit contra ordinem naturae se privare usu rationis, sic, ut in ejus arbitrio non sit ad eum redire, & bene, & virtuosè operari, cum sibi placeat; sicut potest redire, somno non obstante, si aliquem adhibeat, à quo in tempore excitetur, vel horologium, aut simili modo, per quem somnus excutitur; per quod patet differentia somnum inter, & ebrietatem; & alia addi potest, quia somnus est medium ordinatum à natura, & naturae debitus, ac necessarius ad reparandas vires, non sic ebrietas.

Distingueada itaque sunt actiones à natura instituta, & actiones contra naturae ordinem ex malitia hominum introductas; de primarum numero est somnus, per quem licet pro aliquo tempore impediatur usus rationis, tamen non peccat, qui ad rationis regulam, hoc est, juxta necessitatem conservandi vitam ad dormiendum se componit, quia quies illa à somno proveniens est à natura instituta, non, ut vim usui rationis inferat, sed in utilitatem naturae, & ut vires per eam restantur, & aptior quis post eam sit ad

operandum; de numero aliarum est ebrietas, quae à natura non est instituta: & per quam certè violentia usui rationis inferitur; nam quis pro suo arbitrio, etiam peccati ministerium, non est dominus ad ipsum redire, ideò eam allumens graviter peccat; sicut peccat, qui contra naturae ordinem aliquod membrum sibi abscindit: non verò, si membrum abscindatur ad vitam salvandam, quia tunc abscissio fit juxta naturae ordinem.

8. Queritur, an ebrietas sit de se peccatum mortale?

Resp. Affirmativè D. Thom. 2. 2. qu. 150. art. 2. nam, cum ebrietas opponatur charitati erga se ipsum, mortale est judicanda: quemadmodum judicandum de natura sua mortale, quodlibet habens oppositionem cum charitate, & cum ipsa incompatible, vel mediis necessariis ad conservandam charitatem. Quod charitati opponatur ebrietas, patet; nam charitas vult bonum ei, quem amat: hinc si ex charitate me ipsum amo, debeo velle meum bonum, adeòque rationis usum, qui maximum est hominis bonum in operando, eum à brutis primario distinguens; ebrietas autem tale bonum destruit, ergo cum charitate non compatitur.

9. Sed queritur, an ebrietas pro prima vice sit peccatum; vel, an peccet, qui primo se inebriat?

Resp. Affirmativè, quia cum charitate erga se ipsum non compatitur, quod quis se voluntariè privet maximo, & specifico hominis bono usui rationis: excusari tamen propter ignorantiam potest, ut, si ignorans efficaciam vini, potentis inebriare; etiam in moderata

(Oo) 2 - quam

quantitate hausti: quia tunc non voluntariè privat se usu rationis; sic propter eandem rationem, peccato ebrietatis non peccat is, cui ab amico datur vinum aliqua qualitate inebriativa conditum, si id ignoret; nam non est peccatum, nisi voluntarium, & voluntarium, si sine cognitione non subsistit; potest tamen peccare venialiter, quia plus æquo bibit, *D. Thom. cit. in corp.*

10. Sed quid, si dubitet, an unico etiam vitro vini possit se inebriare?

Resp. Mortaliter peccat, si cum dubio illo operetur, quia se exponit periculo peccandi.

11. Sed quid de eo, qui inter bibendum, sentit, ex calore, & fumositate vini sibi cerebrum aliquo modo perturbari, & praevidet, quod si non cessat plene, & perfecte usu rationis privabitur?

Resp. Peccat mortaliter propter periculum, si non cesset, etiam si postea plene usus rationis non perturbetur; quod si cesset, solum venialiter peccat propter excessum: sicut venialiter peccat, qui bibit paulo longius solito ad latitiam, quia vinum est valde suave.

12. Queritur, an mortaliter peccet, invitans amicum ad bibendum, qui vino inebriatur?

Resp. Si invitet cum advertentia, & intentione, quod amicus se inebriet, vel quia vinum scit esse tantæ efficaciam, ut potens sit ad statim inebriandum amicum: vel expertus sit, quod amicus uno, vel altero vini poculo inebriatur, aut talis naturæ, & vini amator, quod à bibendo non discedat, nisi ebrius; nam eum constituit in occasione proxima peccandi, & ideo mortaliter peccat, cum pec-

cato proximi cooperetur, quem ad peccatum inducit: secus dicendum, si neutrum ex præfatis concurreret, sed solum ex motivo latitiæ: in quo tamen propter excessum potest venialiter peccari.

13. Sed queritur, an sit licitum alios invitare salutationibus, vulgo Beindeh ad bibendum, vel illis correspondere?

Resp. Si fiant cum intentione eos inebriandi, sunt mortaliter illicitæ, sicut, si prævideatur ebrietatis periculum, quod quilibet vitare tenetur: præcisus illis circumstantiis, regulariter, cum sunt frequentes, sunt venialiter illicitæ propter excessum bibendi.

14. Queritur, an peccet canones, qui apponunt vinum accedentibus, relicta illis libertate, ut bibant, quantum velint, quorum plures usque ad ebrietatem bibere putant?

Resp. Affirmativè, si sine incommodo petentibus denegare possunt, & ebrietatem eorum impedire; nam tunc censentur ebrietati cooperari, & consentire, quam non modo non impediunt, verum etiam, materiam peccandi ministrant; quod si caupo timeat rixas graves, querelas, vel convitia, blasphemias, & juramenta, si denegat: non peccat, si apponat, quia censetur facere involuntariè, & ad vitandum incommodum; nam ea appositio est indifferens, & abusus est ex malitia bibentis, qui ad aliam tabernam posset accedere.

Deducitur ex D. Thoma, qui 2. 2. qu. 169. art. 2. querens, an ornatus mulierum fiat sine peccato, ad 4. respondet: si ars sit ad faciendum opera, quibus homines uti non possunt absque peccato, artifices faciendo peccant, nisi pote præben-

ter alijs directè occasionem peccandi: ut, qui fabricat idola, vel alia ad cultum idololatria pertinentia; si verò sit ars, cuius operibus possunt homines bene, vel malè uti, sicut gladii, sagitta, & similia: usus talium artium non est peccatum, &c. quia ergo mulieres licitè se possunt ornare, vel, ut conservent decentiam sui status, vel etiam aliquid superaddere, ut placeant viris, consequens est, quod artifices talium ornamentorum non peccent in usu talis artis, nisi fortè inveniendò aliqua superflua, & curiosa: hæc Sanctus Doctor; hic applica; & ex eis colligas regulam universalem ad plura dubia.

Verùm crediderim optimum esse, si Confessarius Tabernarios instruxerit, quod similibus, vel, absolutè vinum denegent, vel in ea quantitate, in qua solent inebriari, modo id moraliter possint, juxta dicta lib. 1. cap. 22. num. ult.

15. Sed quid, dicendum de Domino respectu famuli, Patre respectu filii, & Superiore respectu subditi?

Resp. Peccant mortaliter, quia tenentur vigilare, & curare, ne mortaliter peccent, quorum cura eis commissa est; & ideo, non solum materialiter, apponendo materiam, sed etiam formaliter ipsorum ebrietati cooperantur.

16. Queritur, an, dum medicus consulit ebrietatem, ad provocandum vomitum ad effectum restituendi salutem infirmo, si ebrietas licita: quod est idem ac querere, an ebrietas licita sit ad recuperandam sanitatem, & adhiberi possit ut medicina?

Resp. D. Thomas ait. qu. 50. art. 2. ad 3. negat licere, quia ad vomitum pro-

vocandum non est necessarium vinum inebrians; nam eum, etiam potus aquæ tepidæ potest causare; ad quem, sicut ad procurandam sanitatem non desunt alia media, & propterea non excusabitur ab ebrietate, qui vinum ad id adhibet.

17. Queritur, an blasphemia, verba injuriosa, homicidia, uxoris maledictiones, verbera, & similia vitia inordinata, que solent ab ebrijs in ebrietate patrari, sint verè, & formaliter peccata, de necessitate explicanda in Confessione?

Resp. Vel, qui se inebriat, prævidet, quod in ebrietate blasphemias pronuntiabit, occidet, adulterium committet, proximis detrahet, modò contumelia, modò irrisio, turpiloquio, &c. vel non: si prævidet, & postea culpabiliter se inebriat, peccat peccato ebrietatis, & peccato homicidii, &c. ratio est, quia dum prævidet, quod, si se privet rationis usu, occidet, si culpabiliter eo se privet, jam vult nunc pro tunc occidere.

18. Quòd si queratur, quando committat peccatum homicidii?

Resp. Actu anteriori illud committit, quando inebriatur, quoniam tunc vult ebrietatem, & sequens peccatum; actu vero exteriori, quando jam ebrius, occidit, blasphemat, &c.

Nec est necesse, quod prævideatur talis actus in particulari, hoc est, quod homicidium, furtum, &c. sit commissurus, sed sufficit prævidere, quod ebrii soleant in ebrietate committere aliquos actus peccaminosos; vel scire se ebrium in aliquo peccare, licet nesciat, in quo genere tunc peccabit; nam, tunc ei im-

putantur actiones, quas in ebrietate facit, propter periculum prævisum, cui se exposuit.

Si peccatum, vel effectus prævisus non sit, nec debuit prævideri, tunc ebrius non imputatur ut peccaminosus, quia nec in se, nec in causa fuit volitus; verum videndum est, an effectus per se, & semper, & ut in pluribus sequatur, quia tunc imputatur; nam tunc, qui vult causam, consequens est, ut velit effectum; si vero effectus non per se, sed per accidens, raro, & contingenter, & in paucioribus sequatur, tunc non imputatur, ut optimè D. Thomas cit. in corp. adducens ver. Augustini scribentis contra Faustum: *Loth culpandus est, non quantum ille incestus, sed quantum ebrietas meruit; quia neque in genere præviderat, quod filia esset peccatura cum ipso. Et raro contingit, ebrios induci ad actionem, ad quam filia induxerunt Loth.*

19. Nota, quòd plena ebrietas, quæ est mortale, & in qua perfectè usus rationis amittitur, ex his dignoscitur 1. si non recorderis eorum, quæ fecisti, & dixisti. 2. si ea commisisti, quæ sana mente nunquam fecisti, V. G. si protulisti blasphemias verberasti uxorem, & similia; vide c. 4. n. 5. triplicem ebrietatis speciem.

20. Queritur. *An liceat, se inebriare Tabaco?*

Resp. Quamvis ebrietas propriè ex dictis sit excessus in potu, donec usus rationis adimatur, quia tamen plures per suffitum Tabaci amittunt usum rationis, & sunt similes ebriis: ideo dicendum, quòd lethale sit, per suffitum Ta-

baci se privare usu rationis; nec potest dari disparitas, cur se privare tali usu per potum sit lethale, non verò per fimum Tabaci; cum hic ratio naturalis ligetur non naturaliter per quietem sensuum, sed violenter per operationem Tabaci. Tum quia, malitia mortalis ebrietatis in hoc consistit, quòd ebrius se privet potentia proxima usus rationis, itaut non sit in ejus potestate, dum ebrius est, eo uti pro suo libitu; nam se liberare ab ebrietate non potest, quando vult, etiamsi famulos adhibeat, ut se ad ministerium sensuum vocent; & hinc non potest redire ad rationem, dum vult; consequenter, cum sit magnum malum se privare potentia proxima usus rationis; & aliud sit certum, hominem non esse dominum, sed tantum administratorem suæ rationis, sicut aliorum membrorum, & potentiarum naturalium, sequitur, ut se inebriando, vel per potum, vel Tabaci suffitum, & fimum inferat sibi grave damnum, cuius sibi inferendi potestatem non habet, adeoque quod mortaliter peccet, Gobat. tom. 2. oper. moral. tract. 5. cap. 3. n. 4. in fine.

CAPUT VII

Prop. XI. ab Innoc. XI. Sc.
Debitum conjugale.

1. PROP. 9. *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.*

Occasione cuius, agitur hic de debito conjugali, seu obligatione, quam habent conjuges reddendi sibi invicem debitum, dum

dum rationabiliter petunt, in quo mortaliter peccant, cum id sine rationabili causa unus alteri negat.

2. Sed nota, posse conjuges in copula conjugali mortaliter peccare. 1. Si semen scienter, & voluntarie extra vas effundant, quia est contra finem generationis, 2. Si in actu generationis mentem ad alia objecta divertant, ita ut vir aliam mulierem, & mulier alium desideret, quod est in Confessione aperiendum cum obiecto cogitato: quia, si vir virginem optaret, esset peccatum stupri, si uxoratam adulterium: & de qualitate obiecti tenetur Confessarius interrogare, 3. Si vir in vase præpostero uxorem cognosceret, etiam cum animo consummandi in debito vase; magna enim indecentia in matrimonio apparet: hinc dixit Divus Thomas in 4. distinct. 32. quæst. 1. artic. 5. ad tertiam quæstionem: tenetur unus alteri debitum reddere, salva debita honestate. 4. Si quis sua uxore utatur, non tamquam uxore, sed præcisè, tamquam esset simplex femina, & meretrix, paratus ea uti, etiam in tali statu, de quo idem D. Thom. cit. dist. 31. q. 2. art. 3. ad 1. scripsit: tunc voluptates meretricis vir in uxore quarit, quando nihil aliud in eo attendit, quam quod in meretrice attenderet. 5. Si luxuriis prohibitis se faciant impotentes ad reddendum debitum; nam præbent causam ruinæ spiritualis. 6. Cum faciunt aliquid, per quod impediatur conceptionem, etiam si de facto non impediatur, quia per eos non stat, quin impediatur, 7. Si habens votum simplex castitatis debitum petat, quod tamen potest, & tenetur reddere; & in aliis casibus, quos Autho-

res referunt, ex quibus aliquos dabimus infra.

Nec Authores propositionis asserunt in præfatis casibus mortaliter conjugatos non peccare; sed quod affirmant, est, non peccare venialiter, qui utitur matrimonio ob solam delectationem; & tamen sciendum eis erat, quod qui ob solam voluptatem carnalem utuntur copula conjugali, non utuntur ea propter finem intentum à matrimonio: nam usus matrimonialis copulæ in natura lapsa ordinatur ad gignendos, & educandos filios, tamquam in finem primarium, & ultimum, & in remedium concupiscentiæ, seu ad vitandum periculum incontinentiæ, juxta Apost. 1. ad Corinth. 7. Propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat: ideò, qui ob solam voluptatem carnalem uxorem suam cognoscit, venialiter peccat, ex D. August. lib. de bono conjugali cap. 6. ubi hæc habet: conjugalis concubitus generandi causa non habet culpam: concupiscentiæ verò satiandæ, tantum cum conjugate, venialem. Ipsum vide, & infra cap. 28.

Sed hodie de hoc dubitari non debet propter decretum Innoc. Ideò Confessarius aliis circa hujusmodi debitum, magis practicis & communibus instruitur.

3. Quæritur. Quid agendam sit Confessario cum nupta se accusante, à quatuor mensibus sum nupta, & à sex non sum confessa, hoc tempore semel carnaliter cognovi fratrem mariti, nunc ne possum reddere, & prætere debitum?

Resp. Interroget, an cum eo peccaverit ante, vel post contractum matrimonium:

nium: si ante: affirmet matrimonium esse nullum propter impedimentum dirimens, quod contraxit propter copulam cum fratre futuri sponsi.

Ponderet Confessarius I. Ex copula carnali affinitatem induci, ad eodque impedimentum dirimens matrimonium; postea contrahendum; describitur autem affinitas: est quadam conjunctio, & propinquitas personarum orta ex copula carnali, licita, vel illicita, siue sit publica, vel occulta: ratione cujus consanguinei viri, qui habet copulam cum aliqua muliere, (idem dicatur de consanguineis mulieris respectu viri) dicuntur esse conjuncti cum muliere in eodem gradu, quo sunt cum viro; ad quam contrahendam non sufficit copula attentata, sed requiritur copula perfecta, & consummata; ac seminat in vase naturali, quamvis generatio non sequatur.

II. Quod licet omnes consanguinei uxoris sint affines marito, & e contra, inter ipsos tamen consanguineos utriusque partis non contrahitur affinitas, quae causet impedimentum matrimonii: & hinc sequitur, quod duo fratres ex una parte possint accipere duas forores ex altera; & pater, & filius ex una, matrem, & filiam ex altera, ut clarè textus in cap. quod super his de consang. & affinis.

4. Notant DD. differentiam inter affinitatem ortam ex copula licita, & illicita, hanc esse, quod impedimentum ortum ex copula licita, & conjugali dirimat matrimonium usque ad 4. gradum inclusivè; adeo ut maritus propter copulam cum uxore non possit, mortua uxore, ducere ullam, quae sit conjuncta uxori defunctae, in 1. 2. 3. & 4. gradu, nam omnes consan-

guinei uxoris in istis gradibus sunt affines mariti; ortum verò ex copula illicita, ad secundum gradum tantum sit restricta per Trident. sess. 24. de ref. matrim. cap. 4. unde licet, qui cognovit fororem, vel aliam conjunctam Bertam in primo, vel secundo gradu, non possit postea Bertam ducere, potest tamen, si cognovit aliam eidem conjunctam in 3. vel 4. gradu, de quo lib. 4. de matr.

4. Sed quid, si affirmet, cum eo peccari ante matrimonium invincibiliter ignorans, quod esset frater sponsi: vel quod ex tali copula induceretur impedimentum dirimens matrimonium contrahendum: adeoque cum ignorantia juris, & facti?

Resp. Propter ignorantiam excusatur ab excommunicatione, qua ligantur contrahentes scienter in gradibus affinitatis, & consanguinitatis, aliisque impedimentis dirimentibus, à qua absolvi non possunt, nisi separentur; & si fuerint denunciati excommunicati, à solo Episcopo. Clement. Quoniam de consang. & affinitat. excusatur etiam à sacrilegio, quod commisisset faciendo Sacramentum omnino irritum; at non proinde sequitur, quod matrimonium sit validum, quamvis illud bona fide contraxerit, quia revera est affinis cum sponso, & conjuncta in gradu prohibito cum viro; nec in hoc contractu bona fides supplet, quod Ecclesia pro substantia exigit. Consultat itaque, ut recurrat ad Sacramentum Penitentiarum pro dispensatione, (nam supponitur non posse à viro separari sine gravi scandalo, & praesudicio propriae famae, ac filiorum damno,) & interim injungat, quod debitum non peccat: & dum

maritus exigit, quærat ipsa modum, & verisimilem exculationem non reddendi; nam, eum matrimonium sit invalidum, quælibet copula, tam petita, quam reddita est fornicaria: quæ, cum sit intrinsecè mala, à nullo, etiam evidentissimo periculo; & mortis metu honestari potest, nam peccatum mortale propter nullum metum licet admittere, *cap. Sacris de iis, qua vi, &c.* & ideo debet potius mortem sustinere, quam consentire; caveat tamen Confessarius, ne consulat, quod mendacis reddere debitum effugiat, quia; cum mendacium sit malum, pro nullo bono consuli potest.

Recepta dispensatione, antequam petat, vel debitum reddat, est renovandus consensus matrimonialis, sine quo adhuc copula fornicaria foret, sed non est opus renovare coram Parocho, & testibus, quia occultum fuit prorsus impedimentum (ut supponitur) & in facie Ecclesiæ matrimonium validum reputatur: renovabitur itaque inter ipsam, & virum, cui tamen non debet id significare ad impedienda mala, quæ possent suboriri, & prudenter timeri; & propterea huiusmodi modum servet, priusquam reddat debitum marito petenti, suaviter inquirat, & postulet: *amas me affectu maritali, ut ceteri viri proprias uxores? si me non duxisses, jam duceres? nonne vis me semper habere pro tua uxore?* & ubi affirmet, jam habetur renovatus consensus; quod si neget, occasionem justam habet negandi petenti, & volenti debitum affectu fornicatio.

§. Sed quid, si dixerit, se cognovisse *Matthæi Cauvela Confess.*

fratrem sponsi post contractum matrimonium?

Resp. Tunc matrimonium non dissolvitur, quia est insolubile, sed privatur jure petendi debitum; non tantum, quia commisit adulterium, sed singulariter, quia evasit affinis sui mariti, tenetur tamen ex justitia reddere viro petenti, quia maritus propter malitiam uxoris non debet suo jure privari, *cap. Tua de eo, qui cogn. consang.* Interim injungat (ut in futurum ipsa quoque petere valeat) ut dispensationem à Pœnitentiaria impetret, aut Ordinario loci, vel à Sacerdote habente ab eo facultatem dispensandi: aut per se immediatè, aut tacito nomine, pro ea Confessarius quærat sibi communicari facultatem, ut super eo ex rationabili causa, quæ certè non deerit, dispense, *Gobat Theolog tract. 10. casu 15. num. 604. Quilici Confess. mand. qu. 15. art. 4. num. 13. ex Lezana, & De la Cruz de matrim. art. 6. dub. 12. de dispens. num. 3. resolvunt, posse Regularem à Superiore specialiter deputatum, & ab Ordinario approbatum dispensare cum conjugatis incestuosus post matrimonium, ad debitum petendum, in Sacramento Confessionis, in Ecclesiis suis tantum, quæ deputatio durat ad libitum, & expirat morte, vel mutatione ipsius Superioris; hac formula dispensationem exposcat. Peto à P.V. ut mecum dispense in debiti petitione, quo jure privor ob affinitatem contractam cum meo marito, & Confessarius, data prius absolutione à peccatis, respondeat: *dispense*, modò subsit causa rationalis; quæ sanè reputatur sufficiens, vel, ut mulier vitet incontinentiam in se ipsa, vel ne superba, &*

(Pp)

erga

erga se ipsum parum benevola ab ipso met marito cognoscatur. Videatur Tamb. hb. 8. de *matrim. tract. 2. cap. 6. n. 5.* & infra lib 3. cap. ult.

6. Sed quid, si fateatur, Pater ignorans fuisse fratrem mariti, aut copula incestuosa annocti privationem juris petendi debiti, ab eo invita, & per violentiam cognita sui?

Resp. Communiter DD. resolvunt, non privari jure petendi, si inculpabiliter accessit ad Confanguineum sui viti, hoc est, cum ignorantia invincibili, argum. ex cap. si quis est. tit. aut per violentiam fuerit cognita; nam cum sic non sit incestuosa, excusatur à pena incestus per Ecclesiam statuta, etenim sine sua culpa non debet, quis suo jure privari, cap. discretionem tit. cit.

7. Sed dices, affinitas contracta, & ignorata, ante matrimonium, illud contrahendum dirimit, ergo post matrimonium contracta privabit, saltem jure petendi debitum.

Resp. Negatur consequentia, & discrimen est, quia ante matrimonium non habet femina jus contrahendi, cum consanguineo illius, cum quo vi, aut ignoranter peccavit, sed post matrimonium habet jus petendi debitum ab eo: quo sine culpa privari non debet; nec affinitas dirimens est pura pena, sed inhabilitas, quae etiam sine culpa, contrahitur.

Crediderim tamen, quod si femina post contractum matrimonium voluntarie cognovit fratrem mariti, quamvis ignorarent ex eo impediti jus petendi debitum, quod adhuc privetur; ratio

est, quia, illa copula fuit peccaminosa, & propterea poenam inde resultantem impotentia petendi debitum sibi ipsi ascribere debet; nec obstat, quod poenam ignoret, quia cognoscit copulam prohiberi, quod sufficit, Sum. Leand. *debit. conjug. num. 4.*

8. Ponderet Confessarius ex Sacramento Baptismi & Confirmationis contrahi cognationem spirituales, quae est quadam propinquitas personarum exstituto Ecclesia orta, ex eo quod cooperentur ad Baptismi, vel Confirmationis collationem, aut susceptionem; contrahitur à baptizante, & confirmante cum baptizato, & confirmato, ac istorum patre, & matre; & reperitur in patre, ac matre baptizati, & confirmati cum patris, & in istis cum baptizato, & confirmato juxta Trid. *can. cap. 2.* & à B. Pio V. apud Dela Cruz *art. 6.* fuit declaratum patris inter se non contrahere. Quae, si contrahatur ante matrimonium, dirimit postea contrahendum; si vero post matrimonium contractum, privat dantem causam illius culpabiliter jure petendi debitum, servata proportione de affinitate.

9. Sed quid, dicendum de patre, qui filium proprium baptizavit an proceat jure petendi debitum, & cognationem spirituales contrahat cum propria uxore?

Resp. Negativè; si baptizat in extrema necessitate, cum nimirum alius non sit, qui baptizet, & infans periclitatur; nam, sine culpa non debet suo jure privari, ita cap. ad limina 30. qu. 1. Et cap. si vir de cognat. spirit. aliàs baptizando peccaret, quod non videtur asserendum; in qua

qua Decretali excusatur, etiam si ignoranter suscipiat: si verò scienter, jure petendi privatur, sed reddere debet, de quo *lib. 4. suis locis.*

10. Quæritur, quomodo se gerere debeat Confessarius cum muliere, quæ se excusat: Pater: sum adstricta voto simplici castitatis, & nupta, vxor scrupulis, quomodo me gerere debeam circa petendum, & reddendum debitum?

Resp. Eidem significet non posse debitum petere, quamvis teneatur reddere (modò votum non sit emissam de consensu viri, quia tunc censetur juri suo renunciare, adeò ut mulier tunc nec petere, nec reddere licetè possit) sive votum sit emissum ante, sive post contractum matrimonium; quòd, si emisit votum simplex ante matrimonium, quod postea contrahitur, non dirimitur, sed ipsa contrahendo peccavit, & videns se non posse aliò modo castitatem servare, quam ingrediendo Religionem, modò sit ad illam habilis, debet eam ingredi ante consummationem matrimonii, intra tempus duorum mensium à contracto matrimonio, (quos *ius cap. ex publico de conver. conjug. maritatis assignat ad deliberandum, an velint Religionem ingredi, vel in matrimonio perseverare,*) & idèò intra illos duos menses non tenetur debitum reddere; si perideret in matrimonio, debet dispensationem obtinere, ut etiam petere possit; verùm, marito defuncto, non potest ad alias nuptias transire sine expressà licentia Papæ. Layman. *lib. 5. tract. 10. qu. 3. capit. 1. num. 10.*

11. Sed quæritur, an mulier illa pec-

cet, cum secunda vice exigit debitum, an verò solum peccaverit prima vice?

Resp. Aliquorum opinio est, quòd mulier voto adstricta, peccet solum prima vice debitum petendo, quoniam putant per subsequens matrimonium, præsertim consummatum, votum extinguì: quòd esse falsum non dubito; nam, ut DD. communiter loquuntur apud Sylvestr. *v. matrim. 7. qu. 4.* votum non est extinctum, sed executio voti suspensa, pro tempore, & usu matrimonii contracti, & idèò tenetur votum servare, quantum ad ea, in quibus non est facta impotens.

12. Sed quæritur, quid dicendum, si voverit ingredi Religionem, aut suscipere Sacros Ordines, vel non nubere?

Resp. Qui, votum Religionis emisit, peccat nubendo, & prima vice consummando, sive petendo, sive reddendo: peccat nubendo, quia transgreditur votum Religionis, cum nuptiis incompatibile: peccat prima vice consummando, quia est ei liberum, Religionem ingredi, & ad id ante consummationem tenetur, ut votum impleat, de quo *lib. 4. de matrim.* & tenetur reddere petenti; nubendo etiam peccat, qui voverit Sacros Ordines suscipere, quia nubendo factus est impotens ad votum implendum.

Sed, an ante consummationem debeat ingredi Religionem ad suscipiendos Sacros Ordines? Res est sub dubio. Ego eum non obligarem ad statum tam difficultem, nisi ipse id intenderit.

Item, nubendo peccat, qui post votum non nubendi nupsit; sed postea potest petere, & reddere, quia voto

(Pp) 2 non

non nubendi opponitur contrahere, non verò consummare. Felix tom. p. Exam. num. 4264. & sequen.

13. Quæritur, an dubitans de validitate matrimonii possit debitum exigere?

Resp. Negativè, ex cap. Dominus de secund. nupt. ubi deciditur, mulierem dubitantem de morte prioris conjugis debitum non posse exigere à secundo marito, cui tamen reddere tenetur: & tenetur ad primum redire, dum noverit ipsum adhuc vivere. Idem habetur cap. Inquisitioni de sentent. excomm. & ibi resolvitur, quòd si dubium sit ex levi fundamento, poterit & reddere, & petere, modo dubium ad consilium sui Pastoris deponat; si verò probabiliter dubitet, seu ex fortibus rationibus, vel quia audivit ab hominibus, quibus credere tenetur, ad dubitandum moveatur, petere non debet, ne contra justitiam conscientie committat offensam, sed debet reddere, ne peccet contra legem conjugii, ut ibi textus; & interim adhibeat diligentiam ad indagandam veritatem; quòd si noluerit, non est absolvenda: & quatenus censet de certa nullitate matrimonii, nec exigere, nec reddere potest, ibid.

14. Sed cur, si bona fide contraxit, & fuit in possessione, non modo reddendi, verum etiam exigendi debitum, non potest, exorto dubio, exigere, cum pro se habeat regulam: in dubiis melior est conditio possidentis.

Resp. Quia regula illa procedit solùm in materia justitiae, & foro judiciali, in quo Judex non potest aliquem ad penam per sententiam damnare, nisi probetur

reus: dubium est apud Judicem: an ego occiderim Paulum: non possum ab eo irregularis judicari, vel absolvi: non judicari, ne mihi absque causa injuriam inferat: non absolvi, ne peccet contra justitiam; ad quam pertinet, quòd delicta non remaneant impunita; & hinc cum Judex non possit partem tutiorem reperire, in dubio debet servare regulas ab jure præscriptas, ut: in dubiis melior est conditio possidentis; verùm, ego in eo dubio debeo me irregularem judicare, & abstinere à ministerio Altaris, quia id est tutius; & in dubiis tutior pars est eligenda: ut loquuntur Canones cap. petro de homicid. quæ necessitas eligendæ tutiorem confurgit ex obligatione, quia quis tenetur vitare periculum peccati; & propterea dixerunt DD. in foro penitentiali ad evitandum tale periculum partem tutiorem esse eligendam. Lege D. Thom. 2. 2. qu. 60. art. 4. unde, cum tutius sit, quòd mulier dubitans debitum non exigar, debet omninò abstinere: de qua re diximus aliqua lib. 1. cap. 20. nu. 71.

15. Sed dubitatur, nonne tutius etiam esset, si non redderet, cum peccatum possit esse tam in reddendo, quam denegando debitum? Immo, si semper deberemus tutiorem sequi ex duabus partibus, de quibus dubitatur, si ego dubitem, an in collatione, jejuniis tempore concessa, octo uncia violenter jejunium, deberem nil omninò in se jejunii comedere, quia verius est observare jejunium nil comedendo, quam comedendo aliquid; quòd falsum est omninò. & potest esse res scrupulis abundans.

Resp. Peccatum utique potest esse tam in reddendo, quàm denegando debitum:

nam, si matrimonium fuit validum, non licet denegare: si nullum, non licet reddere; tamen cum non constet, quae pars sit tutior propter aequalem probabilitatem, quam mulier habet de nullitate, & validitate conjugii, in eo dubio est eligendum, quod est favorabilius matrimonio, juxta textum in *cap. duobus de sent. & re judicata*; & promae Innoc. III. in *alleg. cap. Inquisitioni* in dubio, quod alter conjugum habebat de impedimento conjugii, dixit: *debitum esse reddendum, ne contra legem conjugii committatur offensa*; quod si judicaret probabilius esse nullum, tunc res non esset dubia, sed certa certitudinae, si non morali, majori sane ex parte nullitatis, & ideo deberet abstinere & ab exigendo, & reddendo; alias operaretur contra conscientiam sibi dictantem, probabilius esse matrimonium esse nullum, quam validum, & reddere debitum illicitum, quam licitum.

Ad exemplum de jejunio dicitur: si est moraliter certum, quod sufficiant sex unctiae, non teneor ad quinque, vel nullam, sed non teneor excedere sex; nam, si sum certus, quod sex, aut octo sufficiant, non dubito, ideo possum, tuta conscientia, sex, vel octo sumere; nec datur hic locus praefatae regulae in dubiis, cum hic, ut supponitur, non dubitem, sed sum certus; haec ponderet Confessarius.

16. Sed quid, si tam mulier, quam vir dubitent de valore matrimonii?

Resp. Dum sic dubitant, nullus potest reddere alteri petenti ratio est, quia petens non petit licite; nam propter dubium non habet jus: cum ex conscientia

dubia non liceat operari; & sic alter non potest reddere.

17. Quiritur, an possit licite mulier denegare debitum suo viro, ut se liberet a doloribus partus?

Resp. Negative, quia liberet, & spondet ad id se subjecit.

18. Sed quid, si medicorum judicio, vel ipsa experta sit per partus antecedentes, sibi ex partu probabilissimum vitae periculum imminere?

Resp. Non teneri ad reddendum debitum, docet Sum. Leand. cit. nu. 2. ratio est, quia non habet dominium propriae vitae, sed administrationem, ergo non potest usum sui corporis alteri permittere cum probabili periculo ejusdem; maxime, quia conjuges in matrimonii contractu sibi invicem corporum potestatem tradunt, & promittunt inservire propagationi speciei salvis propriis individuis. Si vir stimulis carnis pulsetur, potest alia remedia, orationis, jejunii, &c. adhibere ad vincendam concupiscentiam. Layman. cit. cap. 1. nu. 5. dum tamen est inepta ad concipiendum, tunc reddere tenetur, quia periculum cessat.

19. Quiritur, an sit mortale peccatum conjugum serio, & instanter petenti, debitum negare, ne proles multiplicetur, quam parentes ob paupertatem difficile alere possint?

Resp. Affirmative; nam aut uxor vult perpetuo negare, aut tantum ad tempus: si perpetuo, exponit matrem sine justa causa manifesto periculo incontinentiae, & sic mortaliter peccat: si ad tempus solummodo, ergo frustra negat; quia, quando consentiet marito, probabilissime concipiet, & quidem facilius: me-

Ius est proli, ut vivat inops, quam ut omnino non vivat. Layman. *cas. num. 16*. Gobat. *cas. 16. nu. 623*. Absolvenda itaque non sunt mulieres habentes animum negandi matrimonium ob metum difficultatis in prole nutrienda, dum maritus ferio, & instanter petit, nam maritum tunc exponunt periculo incontinentiæ, & in re gravi ei debita ex justitia sunt inobedientes.

20. Queritur, *accedit mulier, & se accusando aperit*: Pater: sum nupta, sed in ætate quasi sexagenaria, habeo vicum sæpe exigentem debitum; cum difficultate ipsum reddo, nam, cum sum inepta ad generationem, credo id mihi non esse licitum; *peto instructionem?*

Resp. Confessarius intetroget, à quanto tempore, & quoties debitum reddiderit: & an tunc temporis debitum reddiderit cum dubio, quod sibi non esset licitum, & quod mortaliter peccaret; & tunc toties peccasse judicet; & instruat, tria debere concurrere, ut impotentia ad generandum dirimat matrimonium.

I. Ut sit impotentia ad copulam, quæ per se apta sit ad generationem: cuiusmodi non est illa spadonum; utroque testiculo carentium, cum semen verum, & prolificum non emittant: quorum propterea matrimonia sunt nulla, ex constit. Sixti V. apud de la Cruz *art. 7. nu. 2*.

II. Quod impotentia sit perpetua, & perfecta; perfecta censetur, cum quis est impotens cum omni femina; nam, si cum una sit impotens, & non cum alia, matrimonium valet, etiam cum illa cum qua est impotens, ut expresse tex. in capit. *Fraternitas. de frigid. & malef. cense-*

tur autem perpetua, cum nec successa temporis, nec modo naturali, & licito, nec tunc corporis periculo tolli valet, ut ibid. textus, dum ait: *impedimentum illud non erat perpetuum, quod præter divinum miraculum per opus humanum absque corporali periculo potuit removeri.*

III. Quod impotentia præcesserit matrimonio jam contracto; etenim obligatio ab initio contracta non dissolvitur, tamen ad eum casum deveniat, à quo incipere non posset; sic affinitas, vel aliud impedimentum superveniens matrimonio illud dissolvere non valet.

IV. Quod ex sententia totius Ecclesiæ, & DD. matrimonia Senum, & sterilium valida sunt, nam possunt uti naturali copula, solum per accidens inepta ad generandum, omitto, quod sæpe contra spem generant prolem. Tum quia, quamvis non possint generare filios, qui est finis primarius, & ultimus matrimonii, servatur tamen in eo finis non ultimus matrimonii, scilicet coniunctio concupiscentiæ. Vide cap. *Nuptiarum 17. quæst. 1. & lib. 4. de matrimon.*

21. Queritur, *quid agendum Confessario, si animadvertat penitentem laborare ignorantia circa impedimentum dirimens matrimonium?*

Resp. Si penitens labore ignorantia vincibili, & mortaliter culpabili, tenetur illi suum errorem aperire, quia forte, sic monitus, non contrahet; vel, si contraxit, aut separabitur à putata uxore, aut, cum id moraliter fuerit impossibile, dispensationem à Sacra Penitentiaria impetrabit: interim abstinabit

à de-

à debito, tum exigendo, tum reddendo; quod si pertinax exequi noluerit, intelliget, cur Confessarius absolutiorem neget, eoque rebore percussus, & conscientie stimulis pulsatus, postea fortasse se corriget, & alio tempore confitebitur suum peccatum.

Si verò invincibiliter ignoret se invalide contraxisse, tenetur Confessarius super eo ipsum instruere; ratio est, quia potens, & debens alios ab errore relevare, & tacens, se ipsum errare demonstrat *cap. 1. de hær. Tum* quia Confessarius exercet munus doctoris, & medici, ideo, ut doctor errantem debet instruere, & ut medicus sanare, ac adhibere remedia ad tollendum morbum, ut sic, vel à matrimonio contrahendo desistat, vel dispensationem impetret, si contraxit, & separari non potest.

22. Sed quid, si ex apercitione veritatis, & admonitione, nullus speretur fructus, sed potius prudenter timeantur rixa, scandala, lites Parentum, vel liberorum infamia, & Confessarius agnoscat penitentem, ita dispositum, ut sciens illud impedimentum, perseveraret in illo statu fornicario, in quo cum ignorantia formaliter non peccat, & cum admonitione peccabit?

Resp. Bonacc. de matrim. q. 3. punct. ult. num. 4. Layman. lib. 5. tract. 6. cap. 13. ar. 5. Gobat. cit. cas. 20. num. 357. Alique resolvunt, in casu dubii, Confessarium non teneri penitentem monere de suo errore, quia frustra, & sine fructu, imò cum gravi damno salutis spiritualis penitentis; & propterea debere dissimulare, & illum relinquere in tali ignorantia potius; in qua formaliter non peccat,

quàm aperire impedimentum dirimens, quo patefacto forsitan peccaret; quod probatur ex *cap. quia circa de consang. & affinit.* ubi Pontifex rescribit esse dissimulandum cum illo, qui contraxit cum impedimento dirimente, si grave scandalum ex admonitione immineret; & ex August. relato *cap. si quis il 2. de penit. dist. 7. si scirem tibi non prodesse, te non monerem, te non tererem*; & ex D. Th. 2. 2. q. 33. art. 6. qui in corpore quaesiti: hac habet: *ubi probabiliter asseritur, quod peccator admonitionem non recipiat, sed ad pejora labatur, est ab hujusmodi correctione desistendum, quia ea, quae sunt ad finem, debent regulari, secundum quod exigit ratio finis.*

Limitatur 1. Si agatur de matrimonio non contracto, nam tunc occultum impedimentum est significandum, quia in casu vix possent prudenter, & verisimiliter timeri incommoda enunciata: id enim exigit reverentia Sacramenti, ne invalide suscipiatur.

2. Si agatur de contracto, & populus sciat impedimentum, & propterea scandalizetur, tenetur Confessarius admonere; licet nullus ex admonitione speretur fructus; ratio est, quia illa ignorantia est contra bonum commune, ratione scandali; bonum autem commune secundum rectam rationem preferendum est privato. Bonaccin. & communiter recipitur à Doctoribus. Cavete itaque Confessarius procedat, & juxta disposita in *cap. omnis utriusque de penitent. & remission.* ubi hæc sunt, *Sacerdos autem sit discretus, & cautus, ut more periti medici superfundat vinum, & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens,*

quirens, & peccatoris circumstantias, & peccati, quibus prudenter intelligat, quale debeat ei prebere consilium, & cuiusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad salvandum aegrotum.

23. Quæritur, an, cum Parochus, vel alius Sacerdos novit ex Confessione Sacramentali aliquos laborare impedimento dirimente possit eos non conjungere?

Resp. Negativè; nam non potest extra Confessionem uti scientia in Confessione habita, ne Confessio reddatur odiosa, & onerosa, ipsiusque sigillum frangat; ideò debet penitentem intra Confessionem monere, ne contrahat, & quatenus nolit desistere, eum non potest absolvere: sed extra, nec admonere illum potest, nec assistentiam negare.

Dicitur in Confessione, quia, si id noverit extra Confessionem, etiam si impedimentum occultum sit, non debet assistere, etiam si publicè petat: ratio est, quia non debet assistere matrimonio invalido, sed valido, ne contrahentes maneat in perpetuò damnationis statu: debetque eos fortiter hortari, ne contrahant; & dum verbis non proficiat, dicat: *ego vos non copurabo*; & interim examen impedimenti ad Episcopum remittat, ad quem in foro externo spectat super eo cognoscere, *cap. ex literis de consang. & affin.*

CAPUT VIII.

Prop. X. & XI. ab Innoc. XI. &c.

Dilectio proximi.

1. PROP. 10. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

PROP. 11. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

Notet Confessarius de fide esse dati præceptum charitatis erga proximum, ex illo Matth. 22. *dilige proximum tuum sicut te ipsum*. Et Joan. 1. cap. 4. *si quis dixerit, quia diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est*. Ex quibus patet, duo præcepta erga proximum esse imposita, unum affirmativum, negativum alterum: negativum, de non habendo odio ipsum, seu de non volendo ipsi malum, aut de non concipiendo tristitiam de bonis ipsius, aut lætitiã de malo, obligat semper, & pro semper, sicut cætera præcepta negativa; affirmativum autem, de volendo ipsi bonum, vel de gaudento, aut complacendo in bono ipsius, vel de beneficiendo ipsi per actus misericordie spiritualis, vel corporalis (addentes dilectioni internæ opus externum erga proximum, & executionem ipsius internæ dilectionis, & propterea dictos dilectionem externam ipsius: sicut impletio mandatorum Dei dicitur ipsius dilectio virtualis, sed effectiva, hoc est, effectus internæ dilectionis) obligat non pro semper, sed in particularibus casibus.

Nec Authores propositionis negant dari præceptum charitatis erga proximum, sed dicunt eidem satisfieri per solos actus externos beneficentiæ, & misericordie, ut Tambur. in Decal. lib. 1. cap. 1. in princ. quod falsum dixit Innoc. in decreto.

Et ideò contra eos, & ad instructionem Confessarii nonnulla, quæ possunt ipsi esse ad praxim utilia circa proximi dile-

dilectionem, & odium inimici, ex charitatis Theologicae præcepto diligendi, hic necesse est adicere.

2. Sed prius observandum, quod charitas Theologica, alia est actualis, habitualis altera: ista, est habitus supernaturalis per se à Deo infusus, quo inclinamur ad Deum super omnia diligendum propter se, & suam bonitatem, ut fide cognoscitur; vide D. Thomam 2.2. qu. 25. art. 12. Illa verò est actus voluntatis, quo quis, supposita cognitione fidei, Deum super omnia diligit propter se, & suam bonitatem, vel nos ipsos, & proximum propter Deum.

Item, quod objectum formale charitatis est divina bonitas propter se amanda; objectum verò materiale, primum est ipse Deus, & secundarium quidquid amari potest propter Deum, hoc est, quidquid placet Deo, ut amemus.

Item, quod est ordo in objectis diligendis ex charitate, & in bonis, quæ sunt desideranda personis, quas ex charitate tenemur diligere, ex D. Thoma cit.

3. Item, quod tria sunt bonorum genera, quæ, vel nobis ipsis, vel alteri, quem amamus, velle possumus; primum, continet bona spiritualia, gloriam, gratiam, & virtutes: secundum, bona corporalia, vitam, & sanctitatem corporis: & tertium, bona externa, famam, honorem, & divitias; ordine itaque charitatis quisque super omnia debet 1. Deum diligere, qui est in se infinite bonus, & principium beatitudinis, ac bonorum omnium. 2. Se ipsum secundum bona spiritualia, volendo sibi beatitudinem, gratiam, &c. 3. Proximum

Marthaucti Cantela Confessi.

secundum eadem, desiderando ipsi beatitudinem, gratiam, &c. 4. Se ipsum secundum bona corporis, volendo sibi sanitatem, & vitam. 5. Proximum secundum eadem ipsa bona sanitatis, & vite; tandem se ipsum, & proximum secundum bona externa, eadem prius sibi, & postea proximo volendo.

4. Quæritur, quinam nomine proximi in hac materia intelligatur?

Resp. Homines, qui sunt per se capaces beatitudinis æternæ, sive sint iusti, sive fideles, sive infideles, sive amici, sive inimici: omnes enim isti, dum in hac vita degunt, sunt capaces bonorum supernaturalium, & esse possunt participes beatitudinis supernaturalis, quam per opera bona supernaturalia possunt mereri, eamque illis velle quisque potest.

Etiam Corpus nostrum, quod est infra nos, possumus amare amore charitatis, quia licet non per se, per accidens tamen est capax beatitudinis, secundum scilicet beatitudinis fructum, & effectum, dotem videlicet, ex beatitudine animæ in corpus redundantem, ex D. Thoma cit. art. 5. ad 2. propterea amore charitatis amari posse sonat.

5. Quæritur, an, ut satisfaciamus præcepto charitatis de diligendo proximo, debeamus ipsum amare actu interno amoris supernaturalis, an verò eisdem satisfaciamus, si amemus ipsum amore naturali?

Resp. Debemus ipsum amare amore supernaturali, nam præceptum de diligendo proximo datum hominibus est supernaturale; cujus existentiam cognoscimus per fidem supernaturalem, ut patet ex allegatis testimoniis Sacrae Scripturae, & ex

(Q9)

& ex

& ex hoc alio r. ejusdem Joan. 4. hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum: nulli autem præcepto supernaturali, seu obligationi ordinis superioris satisfacimus per actum naturalem, & ordinis inferioris, propter improportionem inter ea; & oppositum asserere, idem est ac negare præcepta supernaturalia, & cum Pelagio auxilia gratiæ, quæ necessaria sunt ad operandum supernaturaliter; & ut oportet, ex Trid. sess. 6. can. 3.

6. Sed, unde potest colligi, quod dilectio proximi sit supernaturalis?

Resp. Vide dicta cap. 5. num. 1. r. arguitur, quod actu supernaturali diligatur, eum diligitur prævia cognitione fidei (qua cognoscitur, quod sit capax, & particeps æternæ beatitudinis, & cæterorum bonorum supernaturalium) eique omnia hæc, & cætera, quia ad ipsam conducunt, & quia Deo placet, ut sic diligatur, volumus.

7. Sed quaeritur, quanam bona debemus proximo velle, ut perfectæ charitatis dilectione eum diligamus?

Resp. Debemus ei gratiam, & gloriam æternam optare, sive bonum æternum simpliciter: denique reliqua bona in ordine ad illud bonum.

II. Erga ipsum tenemur habere non modò benevolentiam, sed etiam beneficentiam; nam debemus diligere non solum verbo, & lingua, sed opere, & veritate, ita ut quantum in nobis est, tempore, & loco opportunis, proximo benefaciamus, & à statu miseriæ sublevemus, aliàs ficta esset dilectio, quæ, ubi vera est, otiosa non est, sed efficax: qua externa dile-

ctio ad internam sequitur, quia probatio dilectionis exhibitio est operis.

III. Tenemur non gaudere de malo proximi, nec tristari de bono.

IV. Tenemur proximum, quantum in nobis est, & fructus speratur, tempore, & loco opportunis, ex lege charitatis, instructione, monitione, precibus, lachrymis, ubi ejus salus spiritualis periclitatur à via erroris, & peccati removere, eique opem ferre.

V. Tanta est hæc obligatio, ut quilibet paratus esse debeat, vitam temporalem pro salute spirituali proximi ponere, si ita res exigeret: sic, si puer V. G. sit moriturus sine baptismo, nisi à me ministraretur, teneor illum baptizare, etiam cum vitæ meæ periculo: & deceptum ab hæreticis in articulo mortis, teneor instruere de veritate catholica, si possum, etiam cum vitæ discrimine; nam magis à nobis est diligenda vita spiritualis proximi, & quantum ad salutem animæ, quàm proprium corpus. D. Thomas 2. 2. qn. 26. art. 5.

8. Sed quaeritur, an ad implendum præceptum de diligendo proximo sufficiat, quod ametur Deus directè, an etiam debeat amari proximus ex motivo charitatis expressè, & formaliter?

Resp. Aliqui dixerunt sufficere, quòd Deus expressè ametur, nam amor Dei est implicitè amor proximi, quatenus est talis naturæ, ut determinet nos ad amandum proximum, & succurrendum ipsi; sed hæc opinio non subsistit; nam si talis dilectio sufficeret, non deberent assignari duo præcepta distincta; unum amandi Deum, alterum amandi proximum, sed sufficeret præceptum amandi Deum;

Deum; propterea, ut obligationi satisfiat, debemus amare proximum, & eidem bonum velle, quia placet Deo summo bono, ut ametur, quod est ipsum amare ex motivo charitatis, eumque diligere amore interno distincto ab amore, quo amatur Deus.

9. Sed quaeritur, pro quo tempore teneatur proximum tali explicito amore per se diligere?

Resp. 1. In casibus, in quibus teneatur ipsi per opera misericordiae spiritualis, vel corporalis succurrere, 2. Dum tentatione pulsamur ad eum odio habendum, aut ei invidendum, quam superare non possumus, nisi per actum amoris erga ipsum; toties enim peccatur contra charitatem, de quo viti timoratae conscientiae se acculant.

De praecepto diligendi inimicos, inter Catholicos dubitari non debet, cum aperte loquatur Scriptura: *dilige inimicos vestros*, Matth. 5. Sed quoniam forte Confessarius, pro quo scribo, per defectum sufficientis notitiae, nequit negligentem instruere, ideo super obligatione diligendi inimicum, ei sequentia paro.

10. Quaeritur, ex quibus colligatur, quod quis inimicum ex charitate non diligat?

Resp. I. Si ei grave malum velit, quatenus ipsi malum est; hoc enim proprie est odium inimicitiae, seu personae: quo personae, quae nobis displicet, tale malum volumus. II. Si offensa ab inimico recepta ex animo ei non condonetur, seu quis eam vindicare velit, & propterea moveatur ad optandum, & faciendum ipsi malum, quia malum est. III. si re-

missionem offensae ex corde factam, proximis, & ipsi praesertim inimico, notam non facit; nam ex lege charitatis obligamur nulli esse scandalo, vel non praebere occasionem proximo, qua ipse peccet, quod contingere optimè potest, si inimico hunc condonandi animum non ostendamus; quoniam ipse perdurabit in inimicitia, cujus nos potissima causa jam essemus. IV. si signa communia dilectionis, amicitiae, & honoris, ex more patriae, & omnibus communia deragemus, sed de his in particulari.

11. Quaeritur, an peccet mortaliter, qui inimicum non salutat?

Resp. Sed prius nota: omissionem salutationis non esse per se signum odii, inimicitiae, & contemptus, excitans non salutatum ad odio habendum non salutantem; cum ex lege charitatis non teneamur salutare omnes nobis obvios; nam plures in salutatos relinquimus, quos nec odio habemus, nec contemnimus; ex circumstantiis tamen signum odii, & contemptus esse potest. Ideo mortaliter peccat contra charitatem, si antea illum consuevit salutare, & tunc salutationem omittit, etiam si nullus alius videat; quia salutationis subtractio inter viros, quibus est debita, injuria est, & in eorum contemptum cedit; maxime, si ad ipsum spectet salutare primum, vel quia est inferior, vel quia ipse alium offendit, & prius laesit.

Item, si concurrentibus pluribus, inter quos est inimicus, ceteros saluter, excepto inimico; vel, eum praeter omissionem salutationis, torvis oculis, ultra solitum, aspiciat, insoliteve fastu pileum capiti comprimat, quia sic fo-

mitem odio sine dubio præbet, & majorem iram inimici erga se concitat: in casu præter peccatum contra charitatem per omissionem salutationis, peccat, etiam peccato commissionis per scandalum, contra eandem charitatem, de necessitate cum numero personarum, quas scandalizavit, in Confessione explicando.

Item, si inimicum salutantem non resalutet, eo modo, quo ex consuetudine Patriæ salutabat ante inimicitiam; nam tunc ommissio salutationis non modò inurbanitati tribuitur, sed ex odio provenit, & estimatur notabilis contemptus salutantis.

Item, si prævideat ex sua salutatione posse cum inimico reconciliari, quamvis priùs non fuisset solitus salutare, & non salutet, quia tunc censetur nolle reconciliari. DD. excusant Superiorem, & Prælatum, qui causa justæ correctionis, seu in pœnam justam criminis commissi, judicat prudenter esse resalutationem differendam.

12. Dubitatur, an possint absolvi *V. G.* duo Religiosi, qui causa cujusdam præterita rixæ se intra septa domestica non salutant, si antea, dum non erant inimici se invicem salutare consueverunt?

Resp. Negativè; nam etiam scandalum & sibi ipsis, & cæteris Religiosis præbent, & ex odio, ac ex contemptu, vel in vindictam moventur ad sibi denegandum signum dilectionis, & honoris: & propterea injuriam unus alteri irrogat.

13. Queritur, an peccet contra præceptum charitatis de diligendo inimicum,

qui distribuens bona communitatis, vel elemosynam tribuens omnibus incolas oppidi, vel accedentibus, inimicum excludit?

Resp. Affirmativè; ratio est, quia licet elemosynam elargiri, & tua bona non tenearis distribuere, tamen si distribuas, & inimicum excludas, id est manifestum signum odii; quod si bona communitatis distribuantur, cum inimicus habeat jus ad illa, dum ipsum expellis, & eum odisse, & ulterius peccare contra justitiam distributivam convinceris.

Excipitur *R. J.* Judex, aut Prælatum, qui reum, vel subditum excludit in pœnam delicti; sed delictum debet esse publicum, aliàs scandalum non deest.

II. Si beneficium pro omnibus non sufficiat, ita ut aliqui, tam amici, quam inimici sint excludendi, quia hujusmodi exclusio non est signum inimicitie, cum excludantur alii, quinon sunt inimici.

14. Sed queritur, an quis teneatur sub mortali pro inimicis orare?

Resp. Distinguendus est in oratione duplex fructus: alter generalis, particularis alius; de oratione quoad fructum generalem omnes totius Orbis justè participant; super quo, ut Confessarius valeat pœnitentes instruere,

Notet, quod de fide credenda est *Sanctorum Communio*, prout Symbolum exprimit: quæ est quædam specialis communicatio justorum in orationibus, suffragiis, & bonis operibus, sic, ut quia sunt membra ejusdem corporis Ecclesiæ, dum unus orat, non tantum pro se orat, sed pro omnibus: dum alter laborat in via virtutis, non tantum sibi, sed & cæ-

teris

teris laboret; sicut pedes, dum ambulat, pro toto corpore ambulat; dum manus laborant, pro ceteris membris operantur. In Domino bene constituta omnia sunt communia, agri, pecunia, suppellex, nobilitas: frater unus ad negotiationem pergit, Soror manibus operatur: altera familiam regit: commune tamen est lucrum, propter conjunctionem, quam inter se habent propinquitatis; ita in Familia, & Christi Ecclesia, Fratres sumus, & quidquid boni agimus in commune, redundat lucrum spirituale; dum tu hic Romæ jejunas, alter in Indiis orat, ego in missionibus apud Turcas occupor, alius propriam substantiam pauperibus distribuit, &c. tu de meis missionariis laboribus, ego de tuo jejunio, de alterius elemosyna fructum percipio; quidquid agis, meum est, quidquid ego, tuum, participatione: modo ad dubium.

Resp. Affirmativè, quoad fructum generalem; idè peccaret mortaliter, si dum orat, eum à tali fructu excluderet; nec est necesse, quòd dum orat, habeat positivam intentionem communicandi talem fructum, sed sufficit virtualis, & implicita, quam habet, dum orat; modo non habeat expressam intentionem excludendi inimicum à fructu generali: quare, ut peccet, debet orare cum ista expressa intentione excludendi inimicum.

Cum autem ei non vult communicare particularem fructum, videtur non peccare, cum ex præcepto charitatis teneatur exhibere inimicis signa dilectionis, & beneficia omnibus communia, particularia verò non, cum hoc sic tantum

sub consilio; verum judicarem peccare, si orando pro omnibus incolis unius Civitatis, vel Religiosis unius Conventus, fructum particularem hosti non communicaret; nam videtur hoc pertinere ad livorem vindictæ D. Thom. cit. qu. 25. art. 9. item si non sit animo paratus ad orandum pro inimicis, etià in particulari in casu necessitatis, & cum egeant: de qua preparatione datur præceptum charitatis.

Quaritur, an peccet, qui inimicum non alloquitur?

Resp. Sicut supra num. 11. de salatione.

15. Quaritur, an possit absolvi Pater nolens admittere ad colloquium filium, eique veniam peccati ignoscere recusans, ex quo contra ipsius voluntatem, & cum familia dedecore, se indigno, & valde inæquali matrimonio copulaverit.

Resp. Resolvunt DD. posse Patrem in pœnam delicti, & ad aliorum filiorum cautelam, reconciliationem filio ad tempus negare. Praxis autem Confessarii debet esse, I. ut Consideret, an Pater ex odio, aut iracundia erga filium procedat, an solum istam castigationem filii, & familiae honorem, & aliorum cautelam intendat: II. Ut pœna, quæ delinquenti irrogatur, non excedat mensuram delicti; & idè in perpetuum non potest filio reconciliationem denegare, sed tantum ad tale tempus differre, quòd prudenter judicatur conveniens ad filii castigationem, & alios fines intentos assequendos; hinc absolvere eum non debet, si per tempus notabile iudicio prudentis taxandum, & ultra id, quòd prudentia dicat, reconciliationem dif-

(Q9) 3

ferre

ferre velit, aut, si filio malum desideret, eique indigenti nolit succurrere: neve sit ad hoc paratus.

16. Quæritur, an teneamur sub mortali inimico veniam petenti, injuriam, & offensam remittere?

Resp. Affirmativè, quantum ad odium, & culpam in nos commissam, ne erga ipsum in nobis detur actus odii: quem ex charitate tenemur, etiam erga non petentem, deponere, eique signa dilectionis ostendere, juxta conditionem personæ.

17. Sed quæritur, an teneamur condonare satisfactionem, & penam pecuniariam justam, quam licitè possumus coram Judice exigere?

Resp. Negativè plures resolvunt, modo satisfactio ab Judice justè taxanda, necessaria sit pro reparando proprio honore, ac damno familia; nec tunc quis vult offendenti malum, quia ipsi malum est absolutè, (nam sic odio haberet,) sed optat, quòd Judex offensorem puniat juxta leges, & mensuram delicti, ne crimina impunita maneant: in quo per se non apparet esse peccatum, sed potius actus bonus, zelus justitiam juxta ordinem divinæ Providentiæ, quæ ideo instituit Judices, ne crimina maneant sine pœna; dicitur per se, quia per accidens potest peccatum contingere, tum ob periculum, ut quis gaudeat de malo proximi: tum ob animum desiderandi vindictam: tum ob notabile damnum, quod deberet familia illius, cui ea pœna optatur, sentire; ideo Confessarius cum his cautè procedet. Vide Layman. lib. 2. tract. 3. cap. 4. num. 5. De la Cruz in Decalog. 1. precept. art. 3. de charit. num. 3.

18. Quæritur, quid agendum Confessario cum penitente, qui inter se accusando exponit: Pater: quoties video Petrum, à quo fui graviter offensus, toties mihi sanguis in venis ebullit: exprior me coram eo trepidare, immò & expallescere, & cupere eum non videre, vel, ut longè discedat?

Resp. Interroget, an videns hostem procellerit per actus voluntatis ad desiderandum ipsi malum, vel ad tristitiam de bonis illius, aut complacentiam de malo: quod malum optaverit, & de quo sibi complacuerit; an ei tunc denegaverit communia signa dilectionis, salutationem, locutionem, &c. & dum affirmet, peccasse judicet, non verò, si neget, nam illi tunc sunt motus naturales necessarii sequentes ex præsentia objecti apprehensivi, ut sibi molesti, & non actus voluntarii de malo alterius. Tambur. in decal. lib. 5. cap. 2. §. 3. num. 1.

19. Quæritur, quid agendum sit Confessario cum penitente, qui se accusat, se odio habuisse inimicum?

Resp. Interroget: quot oderit; à quanto tempore: si alias sit super eo confessus: quare odium non deposuerit, & an de præsentia sit cum hoste reconciliatus: & quatenus neget, absolvi non potest: quoties ei, & coram quibus negaverit signa communia dilectionis: quoties ei malum optaverit; tristatus sit de bonis ipsius, & lætitiâ de malo conceperit; quod malum ipsi desideraverit, an in bonis animæ, an vitæ, vel famæ, an in bonis temporalibus, quæ sunt differentiæ explicandæ in interno actu odii, sive odium sit tristitia de prosperis, aut complacentia, & desiderium de adversis.

20. *Quaritur, an peccet mortaliter contra charitatem Religiosus, qui toties gaudet, quoties à Superiore Frater N. corripitur. Et magis, quando coram aliis Religiosis event, & mortificationibus castigatur, idque eidem desiderat?*

Resp. Affirmativè; nam certè eum odio habet, & ex affectu vindictæ (nulli personæ private licitæ) movetur ad grave malum ipsi desiderandum, & gaudendum de malo Fratris; nam leve malum non reputatur confusio, & bonæ opinionis amissio, quæ ex similibus reprehensionibus, & castigationibus punitis obvenit; propterea Confessarius eum non absolvat, nisi Fratrem alloquatur, & peccaminosum erga proximum affectum deponat, contra eum ex prævia rixa, & contentione, vel ex invidia conceptum. Fortè posset excusari, si non ex odio moveretur, sed solum ex zelo Religionis, ut nimirum correptus, cessaret à delictis, quæ eum scandalum populi, & in Religionis præjudicium frequenter committit, quia sic videtur odio habere non personam, sed delictum, & velle non malum Fratris, sed emendam, & bonum Religionis, quod ex charitate tenemur diligere, & præferre minori malo Fratris criminoli; erga quem, non odium inimicitia, & personæ, sed abominationis, & qualitatis haberet: quod erga homines, non est semper malum. Layman. cir. cap. 8. nu. 5. sed videat, ne existo ad illud inimicitia procedat.

21. *Sed quaritur, quanam sit differentia inter odium, & invidiam proximi?*

Resp. Hæc est, quod odium est velle malum proximo, vel latari de malo ipsius,

ut ipsius malum est, aut tritari de ejus bono: similia enim proveniunt ex displicentia personæ secundum se; invidia verò est tristitia de bono proximi non præcisè, quatenus bonum ipsius est, sed quatenus mihi displicet eum habere plus, quam ego habeam. Si doleam, quia nollem Petrum v. g. habere talem prælaturam: eum formalissimè odio habeo: si verò doleam, quod habuerit talem prælaturam ex eo, quod ego non habeam majorem, vel æqualem, vel quia nollem ipsum habere plusquam ego, sum invidus. *Campion. part. 2. instr. ad Confess. cap. 14. n. 6.*

22. *Sed quid, si ego doleam Petrum obtinisse Prælaturam?*

Resp. Si doleo tantum, quia non habeo, nec obtinui, quod Petrus obtinuit, non pecco, si sum dignus; bene verò, si doleam Petrum habere, quod ego non habeo, ne sim inferior Petro; & pecco peccato invidiæ, (etiam si non doleam, quando & ego haberem,) quia apprehendo Prælaturam in Petro, ut diminutivum meæ excellentiæ: nam invidia est tristitia de bono proximi, ut est, vel apprehenditur diminutivum propriæ excellentiæ. *Vid. lib. 7. cap. 17. n. 19.*

23. *Sed quid, si doleam Petrum obtinisse Prælaturam, quia est ea indignus, vel quia ipsa abutitur?*

Resp. Si doleam obtinuisse præcisè, quia est indignus, quamvis contra charitatem non peccem, possum tamen peccare iudicio temerario, præsumendo ex levibus fundamentis malè de meo proximo, vel quod electores in eligendo justitiam non servaverint; si verò, quia ea abutitur in damnum spirituale subditorum,

rum, non pecco, quia dolor est solum de malo usu, non de Prælatu, quæ est bonum Petri: in casu actus perfectæ charitatis esset, Deum pro Petro orare, ut ex abutente in bene, & juxta regulas rationis utentem mutaret.

¶ Hæc notabit Confessarius, ut valeat distinguere, quando peccato odii, vel invidia peccaverint penitentes, accensantes se doluisse de bono proximi,

24. Quæritur, quomodo se gerere debeat Confessarius cum penitente, qui in Confessione aperit; Pater: quoties audio Gallos victores contristor, & doleo: quoties victos, gaudeo, & de ipsis illata clade à Germanis complaceo: quemadmodum exulto, dum hos postremos triumphasse percipio?

Dubium à paucis excitatur, sed necessarium, ut quam plurima eradicentur peccata à Christianis commissa inter loquendum de bellis; quibus, cum tam crebra, copiosaque sanguinis effusione, & subditorum calamitatibus, Catholici Principes inter se certant.

Resp. Interroget, an optans, & gaudens de victoria Gallorum, Gallus sit, & Christianissimi Regis subditus; & dum affirmat: subinquirat: an suo Regi optet, & gaudeat de victoria in bello justo, (etenim si in injusto, peccat, injuste optando proximo malum, & complacendo de malo ei injuste illato) Si in injusto dixerit, est videndum, an moveatur ex odio; & hoc est colligendum, si fateatur se de victoria gaudere, ut est everfio, & notabile Christiani Principis damnum; quoniam tunc eidem illud malum vult, quatenus malum illius est, & sic affectus peccati in personam ten-

dit, & contra charitatem delinquit; at vero moveatur ad optandam victoriam suo Principi, quia æstimatur medium aptum, & conducens ad conservandam tranquillitatem, & pacem in populo, quam Princeps quolibet honesto modo, & juxta rationis regulam promovere, & conservare debet in bonum spirituale subditorum; & nec tunc debet per se, & directe intendere malum partis adversæ, sed solum bonum sui Principis pacem, & regni tranquillitatem, quæ obtineri non potest sine victoria, adeoque sine malo alterius partis, & quin ejus vires minuantur; sed hoc secundum est per accidens intentum, sine quo tamen primum non obtinebitur; in casu desiderium habet rationem defensionis inculpatæ; nam, si Princeps in bello justo ab hoste superetur, quies petibit, & tranquillitas, ac plurima pietatis, & virtutis opera de necessitate omittenda forent; ad quem finem, & ne illa impediatur, licet subditis pro victoria sui Principis orare, juxta Paulum ad Timoth. I. obsecro fieri orationes pro Regibus: & infra: ut quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate: quod, dum bellum justum viget, non obtinebitur, si Adversarius prævaleat: sed victoriam pro suo Rege non debet à Deo postulare, pro ut est Christiani Principis damnum, & everfio, quia id esset inhumanum, crudele, & contrarium illi præparationi animi ad orandum in particulari pro inimico, si ita postulet necessitas, de qua præparatione datur præceptum charitatis.

Quod si Regis bellantis subditus non sit, neutri potest licite victoriam optare, aliis

aliis certè ex odio, & displicentia personæ contra charitatem peccaret: vel per desiderium mali, quatenus ipsi malum est: vel complacentiam de malo, aut tristitiam de bono partis adversæ, quatenus vellet non habere bonum victoriæ; quòd propriè est odium, quia est contra personam; ex lege itaque charitatis eos omnes debet diligere, & pro ipsorum concordia, & pace, preces ad Deum effundere, ut sic tot mala à Christiana Republica in animarum perniciem removeantur.

15. Sed quid dicendum de eo, qui tristatur de victoriis Turcarum, & hostium fidei?

Resp. Si tristatur de victoriis Turcarum, quia sunt in damnum Religionis Christianæ, & bona inimicorum Dei, (ex quibus propterea potentiores facti, crudelius fidem nostram impugnant, & impium Mahometis cultum in Christianorum terris, Cruce contempta, promoveri conantur) tristitia est virtuosa. Sub qua ratione, saltem implicite, & virtualiter, ac parati respondere, se ideò de illis tristari, & Deum orare, ut eos ad necem usque disperdat, Christiani tristantur dum eas audiunt, & de ipsorum cæde, & clade latentur; ac ad Deum preces effundunt, ut ipsius potentia conterantur: quamvis id expresse actu plures non intendunt.

16. Sed quid, si quis expresse vellet solum Turcarum everisionem, non, ut ista in bonum Christiana Religio cedit, nec, quia Christiani nominis hostes, & persecutores corrumpunt, & deficiunt, sed quia Turcarum malum pure?

Resp. Nec talis everisio esset aliquod *Matth. Ducci Cantela Confesa.*

pruenter appetibile, nec pro ea everisione posset Deum orare, quia objectum orationis debet esse cum respectu ad spiritualem utilitatem. Vide Gobat *exporient. Theol. tr. 7. cas. 8. n. 593. append. 1.*

27. Sed quaeritur quid dicendum de legente folia novellarum, vulgo d' avviti?

Resp. Si legat eo fine, ut gaudeat, & exultet de hac, aut illa victoria de hoste relata, certè mortaliter peccat contra charitatem; & plura peccata committit, dum de multorum occisione gaudet: & scandalum præbet, si alios ad id allicit.

28. Sed quid, si legat ex curiositate?

Resp. Videndum est, an se exponat periculo peccandi, per voluntariam tristitiam de victoria unius, aut complacentiam de illa alterius partis; & tunc certè peccat contra charitatem, & curiositas est peccaminosa mortaliter; licet enim curiositas de se non sit mortale, tamen curiosi sæpè graviter peccant: sic graviter delinquit, qui ex curiositate libros prohibitos legit, (& hic curiositas propter legem prohibentem est per se mala) qui facta aliorum curiosus inquirat, ut detrahat proximo: qui ex curiositate exponit se periculo peccandi, & data opera occasionem peccandi quaerit: qui curiosius observat exercentes actum matrimoniale, picturas turpes respicit, & libros obscenos percurrit: ex his ad alia discurras.

Curiositas itaque in sic legentibus esse potest mortaliter peccaminosa, dum imminet periculum, malum optandi, vel tristandi de bono unius partis, & maxime, cum quis erga alteram ex passione

(R r)

animis

nimis trahitur ad inordinatum affectum, qui propterea sapè de adversa cum scandalo obloquitur; nec absolvi potest, nisi proponat se corrigere, & occasiones vitare, in quibus experitur se colloquia in contemptum, & odium proximi institueret.

Itaque, ut immunis quis sit in hac materia à peccato, nunquam gaudeat de victoria P. incipis, sub quo vivit, ut malum præcisè partis adversæ, sed, ut ex ea boni sperantur fines, superius allegati; & semper ita moderatè, ut christiana compassionis non obliviscatur, & cum advertentia ad sculptam in nobis à natura regulam: *quod tibi non vis, alteri ne feceris*: ac juxta regulas prudentiæ Christianæ, ut ad nova de eladibus illatis Christiano Principi, ab itidem orthodoxo Duce, indifferenter se habeat, & Supremum Numen obsecret, ut dignetur victoriam illam activam, & passivam dirigere ad majus bonum spirituale, ac temporale victoris, & victi. Vide cap. 10.

CAPUT IX.

Prop. XII. ab Innoc. XI. Sc.

Eleemosyna.

1. PROP. 12. *Vix in Saecularibus investiam in Regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.*

Nota, nos hic loqui de eleemosyna corporali, cujus opera hoc continentur carmine.

Visto, poto, cibo, redimo, teo, colligo.

Hoc est. 1. *Visitare infirmos.* 2. *Pauperum dare stitientibus.* 3. *Esurientes pascere.* 4. *Captivos redimere.* 5. *Operire nudos.* 6. *Hospitio peregrinos suscipere.* 7. *Mortuos sepelire.* Hæc duo sub ultimo continentur.

Non de spirituali: cujus actus sunt.

Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Hoc est (sub eodem) 1. *Docere ignorantem,* & 2. *Consule dubitanti.* 3. *Corrige peccantem.* 4. *Consolare tristem.* 5. *Remitte offendenti.* 6. *Sustine invisos.* 7. *Ora pro omnibus.* D. Thom. 2. 2. qu. 32. art. 7.

2. De fide est dari præceptum erogandi eleemosynam, ad eum, si quis id negat, sit hæreticus: & qui non implet mortaliter peccat; Matth. 23. *esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, &c. discite à me male dicere iniquum æternum: nullus autem eundematur æternaliter, nisi ob mortale peccatum;* quod præceptum videtur contineri in 5. Præcepto Decalogi, *non occides*; nam equivalenter occidit; qui negat alteri hic, & nunc indigenti necessaria ad vitam sustentationem; nec eum ex charitate diligit; nam, cum vita proximi sit medium, ut ille consequatur beatitudinem, & ex charitate teneamur proximo velle omnia bona ad beatitudinem conducantia, si ei, ubi nequit illa conservari, eleemosynis non succurramus, amore charitatis eum non amamus, & contra charitatem peccamus. Vide D. Thom. cit. art. 5. in corp.

3. Eleo.

3. Eleemosyna describitur, est *actus misericordiae, cuius obiectum est sublevare miseriam proximi.* Misericordia distinguitur à charitate, quia charitas vult bonum proximo propter Deum, misericordia verò vult bonum, ut est sublevativum miseriae; idè eadem elargitio eleemosynae est actus charitatis, si eam erogo indigenti propter Deum, & actus misericordiae, si intendo indigentem à miseria sublevare.

4. Queritur, quando preceptum dandi eleemosynam obliget?

Resp. Cum preceptum sit affirmativum, non omni tempore, sed cum ex parte dantis est superfluum, & ex parte recipientis necessitas.

5. Pro quo scias, quod triplex est necessitas in proximo, ex qua nascitur obligatio dandi eleemosynam. *Extrema, gravis, & ordinaria, seu communis; extrema* illa est, dum quis ob defectum cibi, vel alterius rei, est in proximo vitae periculo, aut gravissimum, & diuturnum morbum sustinet, ex quo probabiliter timetur mors, aut membri secatio: *gravis* est, ex qua imminet periculum gravis mali, captivitatis, infamiae, gravis iacturae honorum, status, &c. *communis* est illa, quam ordinariè patiuntur mendici, qui ostiatim, & in plateis, aut ad portus Templorum eleemosynas petunt; quibus accedunt alii, qui honestè vivunt, & plerumque carentis, quae ad congruam sustentationem, & sumptus, juxta eorum statum requiruntur; & alii, qui, non nisi cum aliqua difficultate, possunt sibi comparare necessaria ad vitam.

6. Item, notes, bona, ex quibus potest,

& debet subveniri constitutus in *præfatis* necessitatibus, esse in triplici differentia; alia enim sunt *necessaria ad naturam*, hoc est, ad conservandam vitam propriam, & familiae; alia sunt *necessaria ad personam*, seu ad decentiam status, & dignitatem personae conservandam, ut sunt, illa, sine quibus persona nobilis non potest commodè, aut decenter, aut ullo modo in suo statu conservari, aut permanere. Alia denique sunt, *superflua statui*, & alia *superflua natura*, quatenus, nec ad vitam, nec ad status conservationem sunt necessaria, cum sine illis conservare commodè possit vita, & decens personae, & familiae conditio; & propterea dicuntur superabundare post necessarios sumptus, impenfos in necessariis ad vitam, & statum.

Modò respondendo dubio. Dicimus I. laboranti extrema necessitate non esse succurrendum ex bonis vitae suae, & familiae necessariis; ratio est, quia propria vita secundum rectam rationem præferri debet alienae, nam quilibet est magis sibi proximus, quam alter; & idè æstimare debet, quòd magis placeat Deo, ut provideat sibi, & suis, quorum cura sibi incumbit, quam alteri, & in rebus necessariis se alteri præferat juxta regulam rationis, & ordinem charitatis, quae postulat, ut in pari necessitate magis se ipsum diligat, quam proximum.

Excipitur, nisi persona proximi foret maxime utilis Republicae, adeò ut, ipsa pereunte, Respublica laboraret gravissimis necessitatibus, quia vita privata est postponenda utilitati, & bono communi; quod sine dubio Deo placet.

II. Quòd existenti in extrema necessitate

(Rr) 2

tate

tate succurrendum est de necessariis personæ, sive ad statum conservandum; nam ordo charitatis, per se loquendo, postulat, ut proximi vitam magis astringamus, quam dignitatem propriam, cum vita proximi sit longè melior, quàm gravis jactura aliorum bonorum temporalium; & sequi videtur ex illo legis naturæ: *quod tibi vis secundum rectam rationem alterifeceris*; sed, qui constitueretur in tali extrema necessitate, vellet secundum rectam rationem, ut sibi subsidium proximus, etiam cum gravi jactura suæ dignitatis, & bonorum temporalium, daret ergo & ipse debet alteri, sic indigenti conferre.

III. Quòd proximo constituto in gravi necessitate succurrendum est, non modò de superfluis, verùm etiam utilibus, sed non valdè necessariis ad statum, & decentiam personæ, quod videtur esse juxta dilectionem charitatis; nam certè Deo placet, ut quis ex illis, etiam cum aliquo detrimento proprii status, succurrat proximo in gravi necessitate constituto; sic vir nobilis, cui ad convenienter splendorem sui status conservandum tres famuli sufficerent, si quatuor haberet, deberet unum dimittere, ut succurreret gravi morbo proximi, captivitati, incarcerationi, &c. Layman. lib. 2. tract. 3. cap. 6. à num. 4. Poncius disputatione 32. quest. 3. conc. 6. num. 27. præterquam quod, cum non sint valdè necessaria ad statum, & propriam conditionem conservandam, superflua contra Authores propositionis debent reputari: qui ideo dixerunt: *vix etiam in Regibus posse inveniri superfluum*, ex quo patet, tarunt omnia, etiam sine quibus

potest convenienter status conservari, esse necessaria.

In gravi itaque necessitate tenetur quilibet proximo succurrere cum aliquo detrimento sui status, cum ex charitate teneatur cum aliquo suo incommodo impedire maximum, & grave incommodum proximi.

IV. Quòd ex superfluis ad statum, & decentiam personæ, sunt dandæ elemosynæ communi necessitate laboranti; & non modò ex superfluis, verùm aliquando ex aliquo modo necessariis, ne ordinaria necessitas transeat in gravem, & hæc in extremam; quod apparet esse juxta mentem SS. PP. commendantium charitatem erga proximum, & cum absolute loquantur, non debent restringi ad casus necessitatis gravis, & extreme tantum. Sufficiat adducere testimonium scripturæ. 1. Joan. cap. 3. *qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Et credetum esse indicium sufficiens ad judicandum, eum Deum non diligere, qui videns tot famulos Dei communibus necessitatibus oppressos, nulli ex illis elemosynam tribuit, aut non nisi rarissimè; & hæc est tutior sententia. Quilici Confess. manud. q. 4. art. 4. num. 9.

Potest tamen quis excusari 1. Si necessitatem pauperis ignoret. 2. Si alius sic, vel prudenter præsumatur esse, qui possit, & velit necessitati succurrere; nam si est, qui succurrat, jam respectu mei ille non indiget, nec eget mea elemosyna.

7. Sed quaritur, an peccet mortaliter.

ter, qui levem elemofynam denegat pluribus pauperibus, quibus fingulis tenebatur folium sub veniali modicam illam elemofynam erogare?

Resp. Affirmative, ratio est, quia leves elemofynæ unam notabilem materiam integrantes: sicut dicitur de eo, qui modicam à pluribus quantitatem pecuniæ accipit, quæ simul sumpta notabilem quantitatem constituit, ex dicendis infra capite 31. Possent tamen aliqui ob inadvertentiam excusari, ut tradit Bonac. in Decal. 1. præcep. dist. 3. quæst. 4. punct. 6. num. 13.

8. Quæritur, quomodo se gerere debeat Confessarius cum divite penitente circa implementum præcepti de danda elemofyna?

Resp. Interroget. 1. An ulli exiſtenti in extrema neceſſitate elemofynam de ſuperfluis ad naturam, vel de neceſſariis ad decentiam perſonæ denegaverit, & quoties. 2. Quoties laboranti gravi neceſſitate, de ſuperfluis, & non multum neceſſariis ad decentiam ſtatus, non ſuccurrerit. 3. An generaliter excluſerit à ſe omnes pauperes laborantes communi neceſſitate, denegando elemofynam; & tunc, vel exprimat cauſam rationabilem, cur id egerit; vel, quoties id fecerit, ſi poteſt, vel tempus, à quo non fuit confeſſus, & in quo id agere conſuevit, nec abſolvatur, niſi proponat ſe corrigere. 4. An faciat ſumptus inſolitos in rebus non pertinentibus ad decentiam perſonæ, & ſtatus, ſed ad pompam, & ad luxum, in cibis, veſtibus, famulis, &c. & propterea omittat pauperibus, etiam laborantibus communi neceſſitate, ſuccurrere; præſatos ſumptus diminuat, & ſe

ad ſtatum ſufficienter congruat reducat ſic, ut, ſi ad decentiam ſtatus mille ſufficientiant, cætera non inſumat ad luxum, ſed eis, pauperibus, infirmis, captivis, nudis ſubveniat, ut præceptum de danda elemofyna impleat, quod à multis divitibus maxime negligitur, non conſiderantibus illud terribile: *efurivi, &c. ſic maledicti in ignem æternum.* Quòd ſi corrigere ſe neglexerit, ut indiſpoſitus, inabſolutus dimittatur, & interim cum D. Thoma cit. ad 2. moneatur: *quòd bona temporalia, qua homini diviti conferuntur, ejus quidem ſunt, quantum ad proprietatem, ſed quantum ad uſum non ſolum debent eſſe ejus, ſed etiam aliorum, qui ſuſtentari poſſunt, ex eo, quod ei ſuperfluit: & infra ex Baſilio: eſt panis famelici, quem tu rones: nudi tunica, quam in conclavi conſervas: diſcalceati calcens, qui penes te marceſcit: indigentis argentum, quod poſſides inhumatum, quo circa tot injuriaris, quot dare valens eſt.*

9. Sed quid dicendum de divite, qui habens ſuperflua ſtatui divi negat omnes elemofynas, ut meliori tempore has convertat in pium uſum per adſcium Eccleſiæ, Monaſterii, vel Hoſpitalis?

Resp. Peccat mortaliter, ſi hic, & nunc non ſuccurrat neceſſitati indigentis, cui alius non eſt, qui ſubveniat: præceptum enim de danda elemofyna obligat in caſibus particularibus: particulares autem ſunt: dum quis indiget, & alius non eſt, qui indigentiam tollere valeat, & velit. In Evangelio Math. dicitur: *efurivi, & non dediftis mihi manducare: ſurivi, & non dediftis mihi bibere:*

(R. 1) 3

hoſpes

hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non cooperuistis me: infirmus, & in carcere, & non visitastis me. Ite maledicti in ignem aeternum. Ubi, vidēs condemnari, qui necessitate laborantibus non succurrit.

10. Quæritur, *an quis satisfaciat præcepto, si extremè indigenti subveniat mutuando illi eleemosynam, aut dando sub conditione, ut reddat acceptum, quandocumque facultatem habuerit, & devenerit ad pinguiorem fortunam?*

Resp. Negativè, si absolutè egeat, nam gratis in eleemosynam debet dare, & imponat aliquam obligationem, peccat contra charitatem; nam præceptum obligat ad actum virtutis misericordiae, adedque ad gratis sublevandam egentis miseriam, non verò ad alium actum: & hinc, qui titulo mutui, vel alterius contractus dat alteri id, quo is indiget, non satisfaciat præcepto eleemosynæ, cum non faciat actum præcepti. Diximus si absolutè egeat, quia si hic egeat, & alibi habeat ad solvendum bona, non dicitur absolutè egere, sed hic; & ideo hic non indiget simpliciter, ut sibi res gratis detur, adedque mutuans satisfacit mutuando, sicut satisfacit, qui indigenti veste, lecto, &c. commodat ea pro tempore indigentiae.

11. Quæritur, *an satisfaciat præcepto de danda eleemosyna cum bonis illicitè acquisitis, ut pecunia accepta pro meretricio, assassinatu: pro sententia, aut testimonio injustis: per usuram, simoniam, & furtum?*

Resp. Plura tangit dubium, de quibus sigillatim. Et 1. Supponitur, quod ele-

mosyna est facienda de re, cuius homo est Dominus, adedque de re propria, non aliena, juxta illud Prov. 3. *Honora Deum de tua substantia*; ratio est, quia actus tradendæ eleemosynæ est actus domini, quo in accipientem, dominium transfertur: nullus autem potest id in res alienas exercere, nisi domino expressè, vel tacitè consentiente.

II. Quòd quædam dicuntur illicitè acquisita, quatenus opus, propter quod acquiruntur, est illicitum, & peccatum, sed ipsa acquisitio, & acceptio illicita non est, nec contra justitiam, aut legem irritantem acquisitionem: hujus generis sunt acquisita à meretrice per copulam fornicariam; quamvis enim peccaverit, etiam faciendo contractum de pretio, & teneatur ante copulam, ipsum rescindere, post copulam tamen potest justè recipere, & retinere; nam peccat utique contra legem fornicando, sed postea contra illam non accipit mercedem; idem dicitur de ludæis, quibusdam ludis acquisitis, & retinere; quos quidem Princeps prohibuit, sed non irritavit lucrum ex eis proveniens.

Alia verò dicuntur illicitè acquisita non modò, quia opus, propter quod acquiruntur, est illicitum, verum etiam, quia ipsorum acquisitio est illicita, quatenus est contra justitiam, & legem irritantem contractum; sic illicitè acquiruntur pretium per contractum simoniacum, & acquirens suum non facit, quia est contra legem irritantem: illicitè etiam promittitur, aut datur aliquid pro obtinenda gratia, vel justitia, etiam temporali, à Sede Apostolica; idque recipiens tenetur ex justitia dare pauperibus, nam talis

talis datio, & acceptatio est contra legem irritantem similes contractus: lege const. Innoc. XII. *de datis, & acceptis: super quo vid. lib. 1. cap. 19. nu. 7.*

12. DD. generaliter resolvunt, de quolibet re acquisita per contractum contra justitiam, non posse elemosynam tradi: ex eo principio, quod injustitia non fundat, nec dat jus justitia ad exigendum, nec dominium transfert, nec injuste accipiens illud acquirit: v. g. dedi centum Latroni, ne me occideret, ipse injuste recepit, nec fit Dominus, quia ex justitia tenebatur me non occidere; promisi centum Petro, ut occideret Paulum, quem occidit, non teneor ex justitia illa dare, nec ipse ex justitia ea exigere potest; nam ex justitia tenebatur Paulum non occidere; & casu, quo receperit, tenetur pauperibus restituere. Idem dicitur de adultera recipiente pretium à marito, ne committat adulterium, nam ex justitia, tenetur ab adulterio abstinere.

13. Modo dicunt, meretricem posse ex lucro meretricio acquisito elemosynam facere, quia verè ipsius est, & dominium habet; non tamen, si recepit à Religiosis, quia, cum isti nil proprii habeant, dominium talis lucri non possunt in meretricem transferre; ideo, si ab eis aliquid recipiat, est Religioni restituendum: super hoc Confessarii meretrices interrogent.

14. Item, Adulteram non posse elemosynam erogare de lucro acquisito per adulterium, quia ad non adulterandum tenetur ex justitia, ergo ex justitia non potest promissum exigere, adeoque nec retinere, nec dominium super eo acquirere, & in alium transferre. Nam nullus potest

de re non sua pretium recipere, & vendere, quod suum non est; uxor autem non est domina usus sui corporis, pro quo pretium recipit: & si recipit, dominium non acquirit, quia à nullo talis usus emi potest. Vide *infr. cap. 29. num. 9.*

15. De assassinato etiam patet. Idem dicitur de Judice pronunciante sententiam injustam, nam ex justitia tenetur tales sententias non proferre per dicta *cap. num. 3.*

De teste idem pariter est, quia tenetur ex justitia verum testari.

16. De accepto per usuram, nec elemosyna fieri potest, quia est restituendum domino; quod si habeat quis alia ad restituendum, & aliàs res accepta sit uno usu consumptibilis, ut pecunia, vinum, oleum, &c. potest ex illa facere elemosynam, cum non teneatur restituere eandem rem numero, sed sat est reddere ejus valorem: idem dicitur de fure, nisi res accepta sit in specie restituenda.

17. De accepto per simoniam, nec minus potest elemosyna dari; & quamvis sit dandum pauperibus, id non probat: nam, ut optime notat Layman. *nu. 7.* dum illicite acquisit, obnoxia sunt restitutioni, ipsis pauperibus faciendæ, tunc erogari ipsis quidem debent, sed id propriè elemosynæ, & donationis opus non est, sed ex justitia debitum, sicut notavit S. August. *relatus in cap. non sanè 14. quest. 5.* Et hinc per ipsorum distributionem pauperibus satisfacit præcepto de restituendo rem alienam iis, quibus debet, sed non de danda elemosyna. Videas Cabafut. *Praxis lib. 6. cap. 15. num. 3.* recipientem cum communi, pretium acceptum pro flagitiis, quæ
cum

cum iniustitia admittuntur, esse restituendum.

18. Sed quaeritur, an extremè indigens possit aliena surripere?

Resp. Affirmativè, si alia via non possit sibi succurrere, & alius non sit in pari necessitate, quia in extrema necessitate omnia redeunt ad communitatem, sicut erant, priusquam fuisset divisio rerum inducta. Ideò negari potest suppositum, quod tunc aliena rapiat. Verum puto casum inter Christianos esse metaphysicum, & moraliter impossibile, cum vix possit reperiri, quòd quis ad extremam necessitatem reducat.

19. Sed quaeritur, an, cum pervenerit ad meliorem fortunam, teneatur rem, vel rei valorem restituere?

Resp. Negativè; nam in extrema necessitate omnia sunt communia, non solum quoad usum, sed etiam quoad proprietatem: si res erant uno usu consumpibiles.

20. Sed quid dicendum, si ante extremam necessitatem furatus est rem, quam in extrema necessitate consumpsit?

Resp. Debet restituere, transacta necessitate, quia obligatio fuit antea contracta: & propterea non extinguitur per supervenientem necessitatem, sed reviviscit; nam suspensa jacuit, quousque necessitas transiret; sed de hoc infra de restitutione.

21. Quaeritur, an filius familias possit eleemosynas facere?

Resp. Negativè de bonis, quorum dominium non habet, nisi de consensu Patris explicito, vel praesumpto. Hic nota, bona filii alia esse *castrensia*, quae acquisivit ex militia, Glos. ad cap. licet de sepult. in 6. in vers. *castrense*, alias non acquisiturus.

L. castrense ff. de castren. pecul. inter quae reputantur militum stipendia, hostium spolia, & dona, sive Ducis, sive alterius, etiam consanguinei, recepta occasione militiae. Item, sacrum, quod datur militibus Palatinis, qui custodiam Principis habent.

Alia quasi *castrensia*, quae adipiscitur ex militia rogata, seu publico munere, ut Judicis, Advocati, Tabellionis, Medici, aut alterius officii publici, propter quod reportat publicum stipendium.

Alia *adventitia*, quae filio obveniunt, non à Patre, sed, vel ex propria industria, opificio, negotiatione, vel liberali donatione sibi facta (non intuitu patris,) aut legato matris, vel avi materni hereditate.

Alia tandem *profectitia*, quae ex rebus Patris proveniunt, & à filio ex illis acquiruntur, vel ei intuitu Patris donata sunt.

Inter quae bona, haec est differentia, quod in *castrensibus*, vel quasi *castrensibus*, Pater nil juris habet, sed plenum dominium, & libera ipsorum administratio est penes filium *l. ex nota, ff. de castren. pecul.* propterea ex istis potest filius, etiam Patre invito, disporre, & eleemosynas dare.

In *adventitiis* verò sola proprietates ad filium spectat, usus fructus ad Patrem, & ideò non potest de eis disporre, & eleemosynam erogare: excipitur, nisi donator bonorum *adventitiorum* voluerit, quod usus fructus illorum sit statim filii, & nisi sit Clericus acquirens ex officio, & beneficio, Bonacc. *de rest. in par. disp. 2. qu. 10. punct. 1. à num. 1.*

De *profectitiis* tandem, quia haec pertinet

tinent ad Patrem quoad ufum, adminiftrationem, & dominium directum, elemofynas conferre non potest: excipiuntur bona data filio ad Ordines facros, quia, licet reducuntur ad bona adventitia, & debeant computari in portione hereditatis cum fratribus, proprietas tamen, & ufusfructus est filii. Vid. Layman. cit. cap. 8. num. 9. Poterit tamen eas facere de bonis à patre acceptis ad peregrinationem, vel ad studium in loco à Patre remoto; vel de receptis ad recreationem, & ad eum effectum parce vivendo: moderatè tamen, & quàm folent alii filii familias, paris conditionis, facere. Sum. Leand. cit. nu. 23. nam præfinitur Pater consentire; non tamen de lucro ex ludo licito acquifito, quia id acquirit Patri.

22. *Quæritur, an uxor poffit tutâ conscientia, inconfulto marito, elemofynas facere?*

Resp. Sed. 1. Notetur. bona conjugum esse triplicis generis. Alia *propria mariti*: & sunt ea, quæ maritus, præcifa dote, & donatione, facta caufa nuptiarum, acquifivit hereditate, aut propria industria, & labore, sine ullo uxoris subsidio. Alia *propria uxoris*: & sunt dos, quæ viro traditur ad fufinenda onera matrimonii. Et alia *Paraphernalia*: ea nimirum, quæ habet mulier alio titulo, quam dotis, fed donationis, hereditatis, legati, & ex industria, &c. Differentia inter dotem, & paraphernalia est: quod ufusfructus, & adminiftratio dotis femper pertinet ad maritum: dominium verò, & adminiftratio paraphernalium ad uxorem, nifi adminiftrationem marito committat.

Matthæi Cantela Confefs.

Communia denique funt, quæ conjuges percipiunt ex fructibus dotis, & arrharum: fed horum bonorum adminiftratio, & ufusfructus pertinet ad maritum.

Modò est apud DD. commune poffe uxorem de paraphernalibus elemofynam facere; quia funt bona propria, & quoad dominium, & ufum fructum, non verò de bonis propriis mariti, & communibus; & mortaliter peccat, fi ex iis notabilem quantitatem diftribuat, quia accipit rem alienam, invito domino.

Sed limitatur: fi maritus fit abfens, & amens; nam adminiftratio domus tunc ad uxorem fpectat, nifi per virum, aut alium fuperiorem aliter ftatutum fit: & tunc potest facere folitas viri elemofynas. Item, fi uxor ex fibi assignatis à viro pro victu, & veftibus aliquid fibi fubtrahat, fubtractum erogare potest. Item, potest eas elemofynas facere, & donationes, quas alia uxores ejufdem conditionis ex more Patriæ largiuntur; nam tunc maritus verifimiliter non præfumat invitus, fed potius consentire.

23. *Sed quid, fi maritus fit ita durus, & avarus, ut exprefc, vetet elemofynam, & donationem uxori?*

Resp. Debet fibi formare conscientiam, quod fibi intendat vitare fuperfluas, & exceffum in elemofynis, non verò moderatas, & quod celfet à parvis. Sylvefter ver. elemof. qu. 5. De la Cruz cit. numer. 12.

24. *Sed quid, fi fibi perfuadeat maritum omnem vetare, & fibi difplicere?*

Resp. Vel conscientiam iftam deponat: & dum non potest, celfet omnino, nifi in duobus cafibus. 1. Si pauper extremè

(Ss)

egeat,

egeat, & aliàs maritus non exponatur periculo extremae indigentiae. 2. Utiliter gerendo negotium viri, ut, si sit in peccato obstinatus, & pessimus, eleemosynam faciat, ut à Deo convertatur, & illum divina gratia illuminet; quo casu, ait Sylvester, sufficit, ut non agat contra prohibitionem, nam praesumi debet, istos casus noluisse comprehendere, vel saltem irrationabiliter comprehendisse: exemplum est. *Reg. 25. in Abigal.* qui dedit quaedam Davidi contra voluntatem mariti, ut eum liberaret à morte; sed id fieri debet secluso scandalo, & gravibus rixis cum viro.

25. Sed quaeritur, *quid agendum Con- fessario cum uxore se accusante.* Pater: fui uxor viri praedivitis, jam defuncti, tempore conjugii, ne in viduitate ad egestatem reducerer, eleemosynas, quas ipse iussu, & juxta conditionem familiae, debebam pauperibus dare, mihi cumulavi in summa scutorum mille?

Resp. Debet ipsi jungere, ut realiter, & cum effectu, vel haeredibus viri restituat; vel pauperibus, juxta verisimilem voluntatem viri defuncti, distribuatur pecuniam, congregatam & eleemosynis, pauperibus erogandis; nam eam sibi, ut pauperi, applicare nullo modo poterat, cum eleemosyna fuissent erogandae pauperibus, ipsa autem tunc pauper non erat. *Tambur. & Sum. Leand. num. 26.*

26. Quaeritur, *an Ecclesiastici teneantur eleemosynas erogare de redditibus beneficii?*

Resp. Affirmative, modo ex illis quidquam congruae, & honestae, ac moderatae ipsorum sustentationi, juxta conditionem personae, & dignitatis, super-

fluat; ratio est, quia haec bona praesumuntur à fidelibus relicta, primario ad divinum cultum, & in decentem Ministrorum sustentationem; & secundario ad pauperum miseriam sublevandam, vel in aliud pium opus: ut ad reparandam Ecclesiam, & redimendos captivos. Tum quia, habent utique Ecclesiastici dominium fructuum beneficiorum, juxta *Trid. sess. 23. cap. 1. de ref. & const. Leonis X. Superna,* & *Pii V. Ex proximo alleg. lib. 1. cap. 14. nu. 4.* at non absolutum, sed restrictum, & limitatum, cum obligatione nimirum restituendi superflua pauperibus, vel ad alias causas.

Graviter proinde Beneficiarij peccant, qui superflua propriae sustentationi in profanos usus insumunt, & dissipant, vel ea donant histrionibus, parasitis, venatoribus, & caeteris, qui pauperes, nec opus pium sunt. Item, si consanguineos augeant, quod eis prohibetur à *Trid. sess. 25. cap. 1. de ref.* quibus tamen, si pauperes sint, possunt aliquid, ut pauperibus, ex eis dare, ut ibi text. pauperes enim conjuncti, secundum ordinem rationis, alijs preferuntur.

Quibus, etiam habentibus necessaria ad victum, non tamen sufficientia pro qualitate conditionis familiae, & decencia status, possunt aliqua de illis conferre, ut tradit *Fagnan. in 2. decret. ad cap. si quis sanè de pecul. Cleric. num. 28.* Et intelligitur, si indigeant, non autem ad pompam; ideo debent cum cautela procedere, ne consanguineorum decencia status, & conditionis, bonis ipsis, quae Dei sunt, longius protendantur, quam ferat necessitas, & honestas.

27. Sed quid, si beneficiatus habeat
etiam proprium patrimonium?

Resp. Potest sustentari de redditibus
beneficii, reservatis illis ex patrimonio
haredibus; nam dignus est operarius
mercede sua, idque probat ipsa contue-
tudo Ecclesiarum, in qua non modò paupe-
res, sed & divites ad Ecclesiastica be-
neficia promoventur. Vid. Sylvest. *ver.*
Cler. num. 4.

Hinc Confessarius pœnitenti beneficia-
to ostendere debet obligationem, quam
habet erogandi elemofynam. Sed quia
pauperes, alii sunt involuntarii, qui-
bus misera fors contingit, quam labore,
& actionibus statui proprio convenienti-
bus à se excutere non possunt. Alii vo-
luntarii, ut Religiosi, qui ex amore
virtutis, & propter Christum omnia re-
liquerunt. Et tertio pauperes, vulgò di-
cti, Vagabondi, & Birbani, quibus
paupertas est secundùm se involuntaria,
quam planè nollent, sed potius divitias,
si sine labore eas consequi possent; qui-
bus est voluntaria in causa, quatenus ex
amore otii fugiunt laborem, quo, si vel-
lent, possent facillè sibi necessaria acqui-
rere; propterea doceat pauperes primi,
& secundi generis debere in danda ele-
mofyna præferri aliis: quinimò illis
forè utilis videtur, nisi sint in gravi,
vel extrema necessitate, quod denegetur,
ut sic à vitis revocentur.

28. Sed quaeritur, quantum ex su-
perfluis, qua congrua sustentationi su-
persuat, teneatur beneficiatus in pau-
peres erogare?

Resp. Quidam dicunt, satisfacere suæ
obligationi, si quartam partem in pau-
peres erogat, & cætera in alios pios u-

sus insumat. Sylvest. tamen loco cit.
num. 19. resolvit, quòd, cum superflua
sint pauperum, omnia ea tenetur eroga-
re pauperibus sub mortali, nisi in duo-
bus casibus. 1. Si Ecclesia egeat. 2. Si
Dei cultum in sua Ecclesia velit amplia-
re: modò nulla extrema necessitas in pau-
pere sit, in quo, si communis necessitas
fuerit, ei quartam partem distribuat,
sed, si gravi prematur, totum est elar-
giendum. Anton. à Spir. Sancto direct.
Confessar. tractat. 3. disput. 2. sect. 12.
num. 76.

29. Quaeritur, an licitè possint famu-
li, & Ancilla elemofynas dare de bonis
dominorum?

Resp. Negativè; nam famulus in rem
Domini potestatem non habet; idèd
peccat mortaliter, si absque ejus licentia
de rebus ipsius elemofynas faciat; exci-
pitur, si, quod dat, sit ita tenue, ut à
domino non curetur: ut esset frustum
panis; Sylvest. *ver. elemofyna quest. 5.*
numer. 3.

30. Quaeritur, an Religiosi in parti-
culari possint licitè elemofynas erogare?

Resp. Negativè, ex eo, quod jure, &
rerum dominicè ob votum paupertatis
sint privati, & in elargitione elemofy-
na transferatur dominicè rei à dante in
recipientem; idèd egent Superiorum li-
centia, sine qua, si quantitatem nota-
bilem distribuunt, mortaliter peccant,
per transgressionem voti paupertatis:
advertas ad violationem voti paupertatis
illam eandem quantitatem notabilem
requiri, quæ in furto regulariter, & per
se sufficit pro lethali, vide decreta
Clem. VIII. de largitione munerum.

31. Quaeritur, an pauper filius pec-
cet

set mortaliter petendo, & recipiendo eleemosynas?

Resp. Affirmativè, quia petit, & accipit cum dolo, ac aliorum damno, & fraude: modò parvitas materiæ non excuset.

32. Sed queritur, an teneatur restituere eleemosynas receptas?

Resp. Affirmativè, quando sibi dantur eleemosynæ sub conditione, saltem tacita, quod sit pauper.

33. Sed unde colligendum est à Confessario, quod sub ista conditione eleemosyna conferantur?

Resp. Cum dantur magnæ, & extraordinariæ eleemosynæ; nam tunc est verisimile, quod conferens intendat dare pauperi vero, consequenter, quod dominium rei in pauperem fictum non transferat.

Aliter, quantum ad restitutionem discurrunt DD. de minutis, & ordinariis eleemosynis, quas se fugentes pauperes recipiunt, nam præsumitur, quod dans illas, non det sub conditione paupertatis, sed absolute donet ratione charitatis cum animo abdicandi à se dominium illarum, sive existat paupertas, sive non. De la Cruz cit. §. præcep. dub. 2. num. 5.

C A P U T X.

Prop. XIII. XIV. & XV. ab Innoc. XI. Sc.
Præceptum diligendi parentes.

I. PROP. 13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alienius tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam

inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia persona, sed ob aliquod temporale emolumentum.

PROP. 14. Licetum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hereditas.

PROP. 15. Licetum est filio gaudere de parricidio Parentis à se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias, inde ex hereditate consecutas.

Capite 8. fuit per plures casus resolutum dari præceptum diligendi proximum, quod sanè non compatitur cum hoc, quod quis de alicujus vita tristet, vel de ejus morte gaudeat, & istam desideret, etiam inefficaci affectu, (consistente in solo desiderio, quin moveatur ad eligenda media ad eam; nam id esset efficaciter cupere) ob aliquod temporale emolumentum; nam charitas obligat præferre vitam proximi divitiis, aliisque bonis temporalibus; certum est autem, quod desiderans mortem proximo ob aliquod bonum temporale, præfert proprium emolumentum vitæ proximi, ergo talis actus est contra charitatem.

Confirmatur. Recta ratio dicit vitam proximi esse præferendam cuilibet emolumento temporali, & levioris momenti, sicut bonum supremi ordinis bono ordinis infimi (Sanè vita inter hæc temporalia est bonum ordinis superioris, & fundamentum cæterorum, qua ablata, alia temporalia tolluntur: & divitiæ ordinis infimi) aliàs, si id verum non foret, liceret asserere hominem in extrema necessitate proximi non teneri ipsi succurrere, etiam de necessariis ad statum, quod falsum.

sunt, & contra charitatem diximus cap. immediatè priori.

Conf. 2. sicut in charitate est ordo personarum, ut scilicet illas præferamus, illisque potius succurramus, quibus magis obstricti sumus, ut, parentibus, & filiis, corporalibus, & spiritualibus, superioribus, & subditis, consanguineis, benefactoribus &c. ita servandus est ordo objectorum, ut non appetamus proximo iacturam honorum superiorum, ut nos infima assequamur.

Conf. 3. Tenemur amare proximum, sicut nos ipsos, sed nobis ipsis tenemur amare vitam, & cætera bona, quæ per vitam haberi, & retineri possunt, ergo & proximo; & sic de ejus vita tristici, aut morte gaudere; eique istam optare ob nostrum temporale emolumentum non licet.

Ex quibus constat, quàm imprudenter, & laxè in materia morum loquuti sint Auctores propositionis 13. approbantes invidiam, & foventes odia; circa quod nil plus addo, cum apertè sit ab Innoc. reprobata. Solum occasione 14. & 15. occurrunt aliqua Confessario proponenda super debito, quod in filiis erga parentes, & in istis erga filios reperio, ut sufficienter instructus, totus sit ad in præfatis promovendum salutis profectum, & debitum solvendum; occasione cujus & alia tangam de obligatione conjugum, superiorum, & subditorum ad invicem.

2. Queritur, an hæreticus sit, qui negat filios teneri ad honorandos Patrem, & Matrem?

Resp. Affirmativè, nam tenet aliquid contra fidem à Deo revelatam: præcep-

ptum enim de honorandis parentibus habetur 20. Exodi, & est quartum decalogi.

3. Queritur, an hoc præceptum obliget sub mortali?

Resp. Affirmativè; idèd filius mortaliter peccat. I. Quando odio habet patrem, & matrem, eis aliquid malum grave animæ, vel corporis optando, & imprecando; & tunc non satisfacit in Confessione accusando se aliquem odisse, vel notabile malum alicui apprecatum esse, sed debet exprimere circumstantiam, quod Pater sit, aut alius proximè conjunctus sanguine, cui obedientiam, & reverentiam debet: vel Patrinus, Pastor, Prælati &c. cum qualitate mali, quod optaverit.

II. Dum nullum externum amoris, vel benevolentie signum erga eos ostendit, sed eos ferè semper durè, & asperè alloquitur, & torvis oculis aspicit; nam sic eos contemnit, & multa tristitia, ac maxore eos afficit: tenentur enim filii parentes diligere, non solum corde, sed etiam signis.

III. Si eos percutiat, tametsi levis esset percussio in ratione nocuenti, quia semper cessetur gravis injuria contra venerationem ipsis deditam; etiam si solum attollat manus ad percutiendum, quia hæc quoque gravis injuria in hominum existimatione reputatur, ut notavit Leander.

IV. Cùm eos contumeliis afficit, & ad iram gravem provocat, & causa est, ut graviter contendantur.

V. Si parentibus in rebus gravibus non obediat, V.G. in pertinentibus ad regimen domus, vel substantiæ, aut in

(S s) 3

spectan-

spectantibus ad bonos mores: V. G. præcipitur à Patre filio, ut tali ludo non ludat, fugiat scandala, meretrices, malos, & dissolutos socios: & filia injungit, ut relinquat amorem, & respondere Petro juveni, ut vanitates, & superflua statui, cum familia, cum virginali decori: si non obediunt, mortaliter delinquunt.

VI. Si non impleat testamentum Parentum solvendo debita, & legata cum possit, & dum sine justa causa diu differt.

VII. Si parentibus necessaria non subministrat.

VIII. Si ob paupertatem non vult ex contemptu Patrem agnoscere, quia indebitè contemnit eum, in hoc casu inculpatus, secus ad evitandam erubescen-
tiam.

IX. Si uxorem ducat, non consulendo parentes; maximè, si contrahat cum femina ipsis dissentientibus, vel eligat sibi uxorem indignam. & in magnum dedecus suæ prolapia; liber est utique filius ad assumendum sibi statum conjugalem, sed licitè non operatur, si in dedecus familia, vel, parentibus dissentientibus, par non nubat.

Ex quibus patet, super quibus debeat Confessarius eos interrogare circa hoc præceptum; & constat debitum filii erga parentes ad quatuor præcisè extendi: amorem, reverentiam, obedientiam, & auxilium.

4. Quæritur, *Filius se accusat*: Pater: velle instrui, an peccaverim mortaliter dum, Patre me non audiente, contra eum dixi: *sis maledictus: fulmine, vel laqueo percas: Diabolus te rapiat:*

sed credo, quod non, propter eà quod non ex corde sed in eolum, & sine scandalo illud malum dixi, & ideo non videor me formaliter maledixisse, sed materialiter duxerat?

Resp. Judicet, eum mortaliter peccasse; quia licet maledictiones, seu verbis alteri malum precari absque animo talis mali, sint injuriæ leves, tamen circa parentes, sive vivos, sive mortuos propter gravem irreverentiam sunt in filiis mortale, & offensa sit gravior; quod corde non voluerit malum, quod verbis protulit, concludit solum, tunc non peccasse peccato odii contra charitatem, non verò, quod non peccaverit mortaliter contra pietatem, & reverentiam parentibus debitam, Layman. lib. 2. tract. 3. cap. 6. num. 8.

5. Sed quid, si in ira, & pro unico instanti maledixerit?

Resp. Peccavit mortaliter, quamquam in unico instanti: modò ista non perturbaverit ita rationem, ut non plenè adverterit ad id, quod ore proferebat.

Propterea, cum filius se accusat maledixisse parentibus, Confessarius interroget, quot vicibus; & an, tam Patri, quam Matri, quia tunc sunt duo peccata, quia injuriam duobus irrogat; & an non solum ore malum dixerit, sed etiam ex animo; & tunc explicet, an voluerit malum in bonis vita, vel honoris, vel fortunæ, & an cum scandalo; & est aperiendus numerus personarum, quas scandalizaverit, quia juxta ipsarum numerum multiplicantur peccata.

Pariter cum se accusat, Pater de-
hono-

honoravi Parentes: videat, an dehonora-
verit ipsos peccato omissionis, non
exhibendo signa honoris, & reveren-
tiæ, vel necessaria, tum corporalia,
tum spiritualia, juxta conditionem;
an verò commissionis peccato, ut pec-
cutiendo, occidendo, vel contume-
lias emovendo: gravior enim injuria
fit Patri, occisione, quam verbis illum
lædere; & tunc non modo contra pie-
tatem, verum etiam contra justitiam de-
linquit.

6. Quæritur, *An peccet mortaliter fi-
lius, qui ad vitandum Patris rigorem,
& asperitates, sibi mortem ex animo ap-
precatur, & appetit?*

Resp. Affirmative, quia est velle ma-
jus malum, a fugiendum minus; nam
mors est majus malum, quam cætera ma-
la præsentis vitæ. Propter hanc ipsam
rationem mortaliter delinquit uxor, quæ
sibi appetit mortem ad finiendas mole-
stias morbi, paupertatem, societatem,
& persecutionem mariti furiosi, asperi,
mendici &c. Quia autem mors est
minus malum quolibet peccato, etiam
veniali, propterea est potius mors ap-
petenda, quam peccatum, etiam levissi-
mum; ideo non peccas, dum desideras
potius mori, quam peccare, etiam venia-
liter.

7. Quæritur, *quando consecratur fi-
lius, mortaliter peccare dando occasionem
iræ parentibus?*

Resp. Cum verbis contumeliosis, vel
valde asperis, ac rebellibus, parentibus
respondent; & inde fit, ut illi videntes
obduratam filiorum malitiam, in gra-
vem iram prorumpant, secus videtur, si
levem aliquam causam dumtaxat præbe-

rent, ex qua parentes ex vitiosa ipsorum
natura, vel superbia in gravem iram ac-
cenderentur; nam potius est eis tribuen-
dum, quam filiis; quos, tamen crederem,
considerato periculo, omnem debere re-
movere occasionem, aliàs fortè non ex-
culantur.

8. Quæritur, *contra quam virtutem
directè faciat filius dehonorando pa-
rentes?*

Resp. Contra pietatem: quæ est vir-
tus inclinans ad colendos Parentes, Co-
gnatos, & Patriam: seu, qua parati su-
mus: erga parentes exercere actus exter-
nos reverentiæ, & sustentationis in casti-
bus particularibus exercendos. Videl. lib.
1. cap. 17. num. 36.

9. Sed quæritur, *an, ex virtute, et-
iam charitatis teneatur Patri existenti in
gravi necessitate, vel infirmitate succurre-
re, ipsumque à captivitate, & à carcere
redimere, eique curare, ut, si in infir-
mitate egeat, Sacramenta ministran-
tur?*

Resp. Utrique: & ideo si omittat tunc
succurrere, duplex peccatum commit-
tit, alterum contra charitatem, quæ
obligat ad succurrendum proximo, &
alterum contra pietatem, obstringen-
tem ad succurrendum parentibus; quem
admodum, dum Patri infert contume-
liam dupliciter peccat; per injuriam ipsi
irrogatam contra justitiam, & contra
pietatem per irreverentiam injuriæ con-
junctam, in quo consistit tota malitia
impietatis. Cum peccat cum Matre, vel
Sorore, peccat & contra castitatem, &
contra pietatem; nam certè actus luxuriæ
est dehonoriativus: toties itaque peccat
contra pietatem, quoties exercet erga
paren-

parentes injuriam dehonorativam: explico, filius per furtum à Patre decem furripit, & totidem per rapinam, in primo Casu peccat solum contra justitiam, quia injuria per furtum illata, non habet adjunctam irreverentiam, bene verò illa per rapinam irrogata, propter differentiam furti à rapina. Id notet Confessarius, ut judicium valeat formare de peccatis impietatis, à filiis contra pietatem commissis.

10. Sed quaeritur, an sufficiat filio se accusare: Pater sui impius?

Resp. Negativè, sed debet exprimere personam, in quam fuerit impius, an in Patrem, Matrem, Fratres, Consanguineos, Affines aut Patrem &c. ratio est, quia sine dubio major deformitas apparet in actu dehonorativo Patris, vel Matris, quam Sororis, vel Fratris, propter majorem dependentiam, & conjunctionem, quam habemus cum Patre, vel Matre, quam cum Sorore, vel Fratre; & ideo sunt explicandae personae, quae diversam specie deformitatem, & malitiam inducunt in actus ipsos impietatis.

11. Sed quaeritur, an excludatur à mortaliter ex parvitate materia?

Resp. Affirmativè: ut, cum honor, & reverentia Parentum, ac ipsi, leviter, & non in re gravi laeduntur; sed nota pro praxi, quod maledictio, & dehonoriatio, quae respectu alterius personae potest esse levis, prolata in parentes, & alios, quibus reverentiam debemus, ex circumstantia personae, quae à nobis magis est reverenda, est gravis, & mortaliter peccaminosa.

12. Quaeritur, in quo consistat obedientia filii erga Parentes.

Resp. In hoc, quod exequatur ipsorum praecepta (nam obedientia tendit in executionem praecepti) & reddatur debitum dirigentibus in operando; unde tunc filius violat obedientiam, cum violat praeceptum, ut tale; V.G. si, dum mihi praecipitur jejunium, non jejunio ob gulam, pecco contra abstinenciam, & tunc sum inobediens materialiter praecepto; si verò comedo, quia nolo me subijcere praecepto, vel hac intentione, ut praeceptum violem, tunc pecco, & contra abstinenciam, & contra obedientiam, & sum inobediens formaliter, & non solum contemno praeceptum, sed etiam praecipientem; quod si praecipiens sit Deus à mortali non excusat parvitas materiae, quia velle vilipensionem, & contemptum Dei, est peccatum gravissimum, nec paritur parvitate materiae, quia temper totus Deus contemnitur. Quae nec est admittenda, cum quis confirmat formaliter auctoritatem Ecclesiae, & Superioris: sed est gravissimum peccatum in Confessione explicandum.

13. Quaeritur, quando nam peccent mortaliter parentes erga filios, contra hoc praeceptum?

Resp. I. Dum eis non ministrant necessaria ad sustentationem, & possunt: hujus generis sanè sunt etiam illi, qui erga filios ita alperè procedunt, ut tandem à domo paterna cogantur exire, & mendicare, ac militiam, non sine utriusque salutis dispendio, exercere.

II. Dum tanta avaritie, & continitinis, & verberibus tractant, ut eos ad impatientiam, & desperationem perducant;

cant; quibus est proponendum illud Pauli ad Eph. 6. *nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate eos in disciplina, & correptione Domini.*

III. Dum negligunt instruere de necessariis ad salutem, de Doctrina fidei, & in bonis moribus: vel eos impediunt, ne præceptis Ecclesiæ de audienda Missa, jejunio, annua Confessione, & Communionem possint satisfacere.

IV. Si eos verbis, aut verberibus corrigere negligant circa conversationem cum meretricibus, & cum dissolutis, circa furta, & blasphemias, perjuriam &c.

V. Si eis exemplo, vel consilio sint causa peccati: & utinam inter Christianos hujusmodi mali exempli vitium, in Parentibus, non foret capitale, & radix aliorum in filiis; unde est, quod pueri vix habentes usum linguæ, tam prompti sunt ad blasphemias, juramenta, maledictiones, verba obscena, & ita circa articulos fidei obmutescunt, nisi quia in omni sermone audiunt Parentes jurare, maledicere, blasphemare &c. & nunquam de rebus fidei, vel salutis discurrere? Hujusmodi Parentibus Confessarius aperiat qualitatem debiti, quod erga filios habent, eosque acriter reprehendant, ut se corrigant, qui in culpa fuerint.

VI. Si sine causa rationabili eos retrahant à statu Religionis; & excommunicationem non reservatam incurrunt, si filias ad Religionem cogant, vel ipsarum professionem sine justa causa impediunt Trid. *sess. 25. de regul. cap. 18.* Ac mortaliter peccant, cum filiabus, & filiis ad Religionem non vocatis, ita duos, *Matthæi Cautela Confess.*

& asperos se exhibent, ut velint, nolint, invitati debeant Religionis habitum assumere.

VII. Si ad matrimonium compellant; nam faciunt contra justitiam in re gravi, violando jus, quod quisque habet ad faciendum contractum proprii corporis sponte: non peccarent tamen impediendo, ne filii ducant uxorem, proprio statui indecentem, quia sic conarentur avertere injuriam, ipsis quoque communem, & mala alia, quæ ex similibus matrimoniis imprudenter contractis, ut plurimum, etiam ipsis conjugatis, eveniunt.

VIII. Si tenerius ament unum filium præ alio, ratione cujus notabilem differentiam faciant in victu, vestitu, & ornatu, ex quo sint causa rixarum, & odii inter Fratres, nam causant grave damnum illis; à quibus, debent esse toti, ut omne malum avertant; secus, si hæc non sequantur, & motivum majoris amoris est major, & promptior obedientia, quam unus, & non alius ipsis exhibet.

14. *Quæritur, an mortaliter peccet Pater, vel Mater, qua filio, vel filia malum imprecatur, & sæpius dicit: Diabolus te rapiat: eas in malam crucem: pestis te corripiat &c.*

Resp. Si ex odio id faciat, committit duplex peccatum: alterum contra pietatem, & alterum contra charitatem; si vero ea pronunciat, sed non ex animo, quod eveniant, nec cum notabili honoris diminutione, sed ex subita ira, ut filius terreat, & se corrigat, solum venialiter peccat contra mansuetudinem, & pietatem, Layman. lococit. tamen, quia res periculosa est, quod filius audiens Patrem sibi in faciem maledicere, & malum imprecari,

(Tt)

caci,

carum, & odium contra Patrem concipiat, est frequenter monendus, ut ab istis absteat, i. se exponat periculo peccandi.

15. *Queritur, an liceat Parentibus exponere filios suos illegitimos in loco aliquo publico, ut inveniuntur in Hospitalibus?*

Resp. Affirmativè, si pauperes sint, & non habeant ad prolem alendam sufficientiam media: pro talibus enim sunt Hospitalia pauperum in Civitatibus erecta; quod si parentes divites sint, tenentur saltem secretò, tali Hospitali expensas solvere; & curare, ut proles illa postea suo tempore instruat de rebus necessariis ad salutem; exponendi tamen sunt tali tempore, loco, & circumstantiis, ut salutem infanti necumentum non afferatur.

Et quoniam, etiam conjugati inter se, & subditi erga Superiores, & famuli erga Dominos possunt circa hoc præceptum deficere. Pro instructione Confessarii.

16. *Queritur, quando peccet mortaliter uxor erga Maritum?*

Resp. I. Dum ex contemptu, & pertinacia obedire non vult ipsi, præcipientem notabilem, spestantem ad gubernium domus, & bonos mores.

II. Cum occasionem præbetrix, & Maritum ad gravem iram, juramenta, & blasphemias provocat: si obmurmurando respondeat: aut verba verbis reddat; ratio est, quia videtur virum contemnere, ei que tribuere occasionem peccati mortalis; cum tamen possit eam facillè vitare, iram comitescendo Mariti, vel silentio, aut patienter ferendo, prout debet, quia est inferior.

17. *Sed queritur, quid agendum Con-*

fessario cum uxore, quæ se accusat, Patrem desponsata viro, cui subesse nolo, propterea nil ago, quod ipsius servitium respicit; nec cibos parò, nec domum purgo, neve vestes reficio: immò sum ita parata, quod summihi quidquam, licet minimum, etiam ut levarem à terra festucam, præciperet, non obedirem: nihil enim facio ipsius præcepta: hoc non capio, quod debeam esse sub illo?

Resp. Eam non absolvat, nisi talem deponat errorem, eique imponat, ut aperiatur, à quo tempore fuerit in ea voluntate, nam semper fuit in malo statu propter illam inordinatam voluntatis præparationem: item, quoties viro, etiam in minimis non paruerit, nam licet v. g. levare festucam secundum se non sit grave peccatum, tamen in uxore illa est mortale ex motivo, propter quod movetur ad festucam non levandam, nimirum, quia totam auctoritatem viri contemnit, in quo peccat peccato inobediencie, & impietatis erga maritum, ac etiam superbia.

Immo crederem debere interrogari, an credat virum non esse sibi Superiorem; & quatenus affirmet, & extra errorem mentis pronunciat, cum heretica formaliter, & completè sit absolvi non potest; nam est de fide virum esse caput, & uxoris Superiorem, ad Rom. 7. & 1. ad Corinth. 11. Super quo eam Confessarius instruat, & ipsam ad Sacrum Tribunal pro absolutione dirigat.

18. *Queritur, quando peccet mortaliter vir erga uxorem?*

Resp. I. Dum graviter eam percutit, aut laedit; etenim, licet possit eam corrigere, vel castigare, moderatè tamen, &

cum

cum prudentia, & nonnisi ex rationabili causa; quam non crudeliter, ut servam, & mancipium, sed humane, & amicabilem, ut sociam, debet tractare. Gravius erit peccatum, si eam percutiat gravidam, vel ad notabilem iram provocet, propter periculum abortus, & gravis nocementi in prole.

II. Dum non providet de necessariis.

III. Dum verba contumeliosa in uxorem pronunciat, quæ possunt ipsius honorem, & existimationem graviter lædere, eamque exasperare, & ad impatientiam, & desperationem inducere, quamvis enim vir sit caput uxoris, & propterea possit eam verbis increpare, hoc tamen intelligendum est moderate, non verò cum atroci, aut gravi contumelia, & cum notabili contristatione. Videant itaque mariti, ne sua verborum asperitate odium, & rixis occasionem præbeant.

19. Queritur, quomodo se gerere debeat Confessarius cum uxore zelotypa, vulgo gelosa, erga maritum?

Resp. Debet interrogare, an propter illum excessum in amore (Zelotypia enim est amor intensus, qui non patitur consortium cum re amata, & ideo excessum in amore significat, qui, quamvis ex se non sit mortalis, frequenter tamen est causa peccatorum mortalium) temeraria iudicia deliberat de proximo suo, & infidelitate conjugis efformaverit, ut propterea in virum contumelias, gravia impropria, & maledicta effuderit, odium conceperit, aspera, & dura fuerit in tractatione cum viro, & proximo detraxerit. Similia ponderanda sunt Confessario, ut judicare possit de hoc peccato, eique injungat, ut ab ipsis absteat, & conetur

amorem extenuare, ex quo regulariter oriuntur, & est causa suspitionis, iudicii temerarii, rixarum, maledictorum, odii, detractionis, &c. quæ sunt gravissima peccata, & amorem, ac pacem conjugalem perturbant, ac lædunt.

20. Queritur, ad quid teneantur famuli, & ancilla erga heros?

Resp. Ad eis exhibendam obedientiam, honorem, & fidelitatem, obsequio, & famulatu, pro quo conducuntur.

Nota, Dominos erga eos mortaliter peccare, si eis necessaria non præbeant, nec curent, quod recipiant Sacramenta, aut impediant, ne legem Dei observent, vel eos permittunt in peccatis durare.

21. Subditi, etiam peccant contra præceptum quartum decalogi, si non servent præcepta Superiorum; quæ, si sint de rebus secundum se gravibus, aut in ordine ad bonam gubernationem, eorum transgressio erit mortalis; at, si sint de rebus levibus, veniale; si eos dehonorent, maledicunt &c. mortale. Erga subditos peccant graviter & Superiores, cum in necessariis deficiunt, eisque gravia imponunt, quæ nec ipsi portare vellent, aut occasionem præbent querelæ.

22. Fratribus quoque debitum est datum, ut mutuo se ament, & sibi in gravi necessitate succurrant. Plura alia apud Authores legas.

23. Quod attinet ad propositionem 15. De patricidio Patris in ebrietate commisso, remitto Confessarium ad cap. 6. Et interim ponderet, quod si, cum filius habuit voluntatem se inebriandi, prævidit periculum occisionis Patris, imputatur filio patricidium, secus, si non prævidit; & si postea gaudeat de infelicitate Patris,

(Tt) 2

gravi-

graviter peccat contra charitatem. Vid. ibid. num. 17. & 18.

CAPUT XI.

Prop. XVI. & XVII. ab Innoc. XI. Sc.
Fides Divina.

1. PROP. 16. *Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.*

PROP. 17. *Satis est, actum fidei semel in vita elicere.*

De tempore, quo homo obligetur ad eliciendum actum fidei, diximus lib. 1. cap. 1. vide ibi n. 5. & 11.

2. Et interea pondera, Authores prima propositionis non negare dari præceptum credendi, sed solum fidei actum non cadere sub speciali præcepto, & secundum se, obligatione proveniente ab ipso præcepto fidei, quod non est opus repetere, sed ex ibi dictis falsitas est manifesta; & patet, tum ex decreto Innocentii, tum etiam, ex quo in credendo fit aliqua specialis honestas, propter quam quis per se obligatur ad credendum, quæ Deus revelavit Ecclesiæ; nam ex terminis apparet esse valde decens, ac conveniens naturæ rationali credere propositioni à Deo revelatæ, quando sufficienter proponitur ut sic revelatæ, absque ulla rationabili causa dubitandi, tamen si pro tunc nulla detur obligatio eliciendi alium actum supernaturalium distinctum ab illo fidei, & apparet ex terminis esse valde indignum non credere tum illam propositionem, propter gravissimam injuriam quæ Deo irrogatur: ergo obligatio credendi oritur, quandoque ex ipsa virtute fidei, &

actus credendi cadit sub præcepto speciali, & secundum se, adeo ut omittens tunc credere directè peccet contra fidem; quemadmodum, quia ex terminis apparet esse conveniens, & valde decens naturæ rationali castè vivere, & indecorum non castè vivere: obligatio castè vivendi oritur ex ipsa virtute castitatis, & hujus actus cadit sub præcepto speciali ipsius castitatis, adeo ut non castè vivens directè contra castitatem peccet, de necessitate in Confessione explicandum.

3. Secunda verò propositionis Authores cum dixerunt, *satis est actum fidei semel in vita elicere*, videntur de obligare fideles ab omni debito, sive per se, sive per accidens eliciendi actum fidei, & consequenter à debito quoque sperandi, diligendi, orandi, à perceptione Sacramentorum, ab adimplemento præceptorum supernaturalium, & omni alio actu supernaturali, ac meritotio vitæ æternæ; nam fides supernaturalis præsupponitur ad omnem alium actum supernaturalem, tamquam lumen dirigens, atque regulans, & cognitio proportionata supernaturalitati actus, & proponens objectum, circa quod sic supernaturaliter operandum: propterea dicitur fundamentum, & radix justificationis, supernaturalitatis, & bonorum operum: etenim nullus v. g. spe Theologica sperare potest æternam beatitudinem, nisi credat æternam beatitudinem esse bene operantibus promissam; nec Deum super omnia diligere dilectione supernaturali, nisi credat Deum esse summum bonum propter se super omnia diligendum: nec orare pro animabus Purgatorii, nisi cre-

dat esse Purgatorium: nec adorare Eucharistiam, nisi credat in Hostia ritè consecrata esse verè, & realiter Christi Corpus: nec Sacramentum Pœnitentiæ cum fructu recipere, nisi credat esse in Ecclesia per Sacramentum Pœnitentiæ remissionem peccatorum: & ex his ad alia discurras; ergo, qui fideles deobligat ab obligatione credendi, eos itidem deobligat à quolibet alio actu supernaturali, & omne opus bonum tollit. Et ita renovatur error negantium necessitatem bonorum operum, vel assentium opera ordinis naturalis esse gratiæ, & vitæ æternæ meritoria; quod jam tamquam erroneum, & hæreticum habetur ab Ecclesia proscripsum: de quo fufius Theologi.

Quæ satis videntur, ut Confessarius valeat pœnitentem instruere circa errorem à præfatis Authoribus in allegatis propositionibus assertum; propterea ad alia pro praxi descendendo, & remisso examine de fidei necessitate, ac credendorum necessitate, tum necessitate mediæ, tum præcepti ad cap. 14. num. 7. & cap. 39. breviter aliqua de ipsius fidei divinæ natura propono.

4. Sed quæritur, quid sit fides divina?

Resp. Habitualis, est habitus supernaturalis per se à Deo infusus, inclinans intellectum ad firmiter credendum vera esse, quæ Deus summè verax revelavit Ecclesie. Actualis verò, est assensus firmus, seu actus supernaturalis, quo intellectus firmiter credit vera esse, quæ Deus summè verax revelavit Ecclesie Catholice.

ca, & hæc hominibus proponit esse à Deo revelata. Ex qua descriptione hæc habet Confessarius, nimirum, quod, ut quis fide divina credat, necesse est, ut credat propter illam causalem: quia Deus summè verax revelavit, & Ecclesia Catholica proponit esse à Deo revelata; & hinc curabit suos pœnitentes instruere de modo eliciendi actum fidei, hoc est, propter illam causalem; in qua conjunctur motivum formale fidei, & conditio sine qua non crederemus: divina veracitas revelans est motivum formale, & propositio Ecclesie est conditio. Propterea eliciens hunc actum fidei: firmiter credo Deum esse Trinum, & Unum, quia Deus summè verax revelavit, & Ecclesia proponit esse à Deo revelatum: si interrogetur: quare credis: respondet, tamquam per motivum formale: quia Deus summè verax revelavit: & tamquam per conditionem sine qua non: quia Ecclesia id proponit credendum, vel esse à Deo revelatum.

5. Sed quæritur, an credens unum articulum, quia Deus dixit, & discredens alium credat fide divina, & Theologica?

Resp. Negativè, nam fides divina, & Theologica debet assentiri omnibus, quæ Deus dixit, & revelavit Ecclesie Catholice, cum ratio formalis, sub qua fide Theologica creditur, sit: quia Deus revelavit Ecclesie Catholice. Idcirco Calvinista, qui credit Deum esse Trinum, & Unum, non propterea in fide divina credit, quia Deus dixit Ecclesie Catholice; nam Deus, etiam dixit Ecclesie: Corpus Christi esse in Eucharistia: Roma.

Romanum Pontificem esse Ecclesia Catholicam caput: Ecclesiam Catholicam esse veram Christi Ecclesiam, & alia, quæ Calvinista negat; sed fide humana credit propter suum privatum iudicium, quo sibi persuadet Deum hoc potius revelasse, quam illud; & ideo hæreticus est, contumaciter ab Ecclesia recedens per errorem contra fidem cum pertinacia, quatenus non credit omnibus articulis fidei, quos Deus Ecclesia Catholica revelavit, & Ecclesia eos proponit esse credendos, & à Deo revelatos; ideo in eo habitus supernaturalis fidei Catholice non reperitur; nam, quamvis non quovis peccato fides ipsa amittatur, ut contra hæreticos definit Trid. sess. 6. can. 2. de iustif. tamen est certum, ipsam totam demeritorie destrui per unicum actum fidei contrarium, seu cum Deus revelans offenditur cum pertinacia, non credendo alicui articulo ab ipso revelato, & per Ecclesiam proposito, non minus ac charitas tota demeritorie auferatur per unum actum peccati, quando graviter offenditur Deus in uno solo præcepto.

6. Sed quaeritur, an hæreticus sit à Confessione iudicandus Petrus, qui in Confessione se accusat: Pater: credo Corpus Christi esse sub Hostia ritè consecrata, sed non sub illis, super quas N. Sacerdos concubiniarius, & publicus peccator verba consecrationis profert?

Resp. Vel iudicat hostiam à Sacerdote N. esse ritè consecratam, vel sibi persuadet eam ritè non consecrasset; si primum, certè hæreticus est, non credens sub illa esse Corpus Christi, nam cum tota ratio formalis, propter quam fide Theologica cre-

dimus, sit: quia Deus summe verax revelavit Ecclesia catholica: & Deus ecclesie revelaverit sub hostia ritè consecrata esse Corpus Christi, qui id pertinaciter non credit, hæreticus est; sed Petrus iudicat N. Sacerdotem Hostiam ritè consecrasset, & non credit sub ea esse Christi Corpus, ergo hæreticus est; in ista enim universalis sub Hostia ritè consecrata est Corpus Christi, revelantur omnes particulares, nimirum: quod sub hac, & illa Hostia ritè consecrata est Christi Corpus; quemadmodum in ista universalis omnes resurgimus, est revelata hæc particularis: Petrus resurget: & in ista: omnis ritè, & canonicè electus in Christi Vicarium, & Petri successorem, est Christi Vicarius: revelatur hæc particularis, quod Clemens XI. feliciter regnans, ritè, & canonicè electus, est Christi Vicarius, & Petri successor.

Si verò iudicat eum ritè non consecrasset, interrogandus est; an ideo iudicet, quia credit, Sacerdotem in mortali existentem, tametia verba consecrationis cum debita intentione supra debitam materiam proferat, ritè non consecrare, & tunc hæreticus est per definita à Trid. sess. cit. can. 1. de baptis. ubi: si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, qua ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum, pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum: anathema sit. Ad validitatem enim Sacramenti non requiritur status gratiæ in Ministro, licet exigatur, ut licitè conficiat, ut fides docet, & tenent communiter DD.

Quòd si alia ex ratione, ut ex odio, & malo animo, quem erga ipsam nutrit,

moveatur ad iudicandum eum hostiam ritè non consecrassè, gravissimè peccat, temerè, & absque fundamento iudicando tam grande scelus de Sacerdote Catholico: ex lege enim charitatis tenemur semper bene de proximo præsumere, nisi rationabili fundamento constet oppositum.

7. *Quæritur. Accedit penitens petens à Confessario, scire opto: an, cum ego elicio actum fidei, ad quem per accidens teneor, ratione nimirum præcepti de elicienda contritione de peccatis commissis, satisfaciam obligationi per se eliciendi actum fidei, ad quem teneor ex vi præcepti fidei?*

Resp. Affirmativè; nam, qui vovit jejunium, ad quod aliàs ex præcepto tenebatur, satisfacit & voto, & præcepto, dum jejunat; qui die festo pulsatus gravi tentatione luxuriæ, persuadet sibi remedium ad superandam tentationem esse audire Missam illo die: si Missam audiat, implet præceptum de Missa audienda die festo, & vitandi peccatum luxuriæ, ergo, qui elicit actum fidei, ad quem tenetur per accidens, seu quia sine eo non potest v.g. de suis peccatis conteri, sicut oportet, satisfacit obligationi per se eliciendi actum fidei: ratio est, quia licet præceptum credendi præcipiat per se, independentè ab alio præcepto suum actum in quibusdam casibus, ut *lib. & c. 1.* diximus, & ad minus sex in anno, non prohibet tamen, quin eliciatur, dum urget præceptum eliciendi actum alterius virtutis; ideo, qui die Dominico audit sacrum, ratione cuius tenetur, etiam elicere actum fidei, & credere Corpus Christi, quod adorat, contineri in Hostia consecrata,

satisfacit, etiam obligationi per se credendi; nam verè actum fidei elicit, & non verificatur, quod actum fidei omiserit. Unde, qui ultima Dominica bimestris audit sacrum, & actum fidei elicit credendo in Hostia consecrata esse Corpus Christi, in Confessione non debet se accusare in eo bimestri actum fidei, ad quem tenebatur ratione præcepti fidei, non eliciisse, quia verè credidit, sed de aliis peccatis. Quæ doctrina est Confessario non parum utilis, ad sedandos scrupulos dubitantium, quando impleant præceptum credendi.

CAPUT XII.

Prop. XVII. ab Innoc. XI. Et. Confessionis fidei præceptum.

I. PROP. 18. *Si à potestate publica, quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum consulo: tacere, ut peccaminosum per se, non damno.*

In præsentì capite occasione propositionis damnatæ sunt aliquæ difficultates solvendæ occurrentes circa externam confessionem, & professionem fidei: propterea Confessarius sciat, actum fidei alium esse internum, externum alium: internum definivimus *cap. præterito n. 1.* Externus itaque est: quo verbis, signis, aut nutibus exterioribus profitemur nos habere actum illum internum, & credere Mysteria fidei à Deo revelata Ecclesie Catholica.

2. *Quæritur, an detur præceptum confitendi, & profitendi fidem exterius?*

Resp. Affirmativè; & est duplex, aliud

affir-

affirmativum, præcipiens aliquam actionem, & nos obligans ad fidem exterius confitendam, non semper, sed in quibusdam casibus, & circumstantiis: Scilicet negativum, aliquam actionem prohibens, obligans ad semper, hoc est, ad nunquam, & in ullo casu, etiam mortis, aut tormentorum metu, fidem negandam, juxta illud Matth. 10. *qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo*: & Lucæ 9. *qui voluerit animam suam salvam facere: id est à morte: negando fidem, perdet eam*: hoc est, peccabit mortaliter, & incurret mortem æternam, nisi postea penituerit; unde dixit Augustinus *tract. 66, in Joann. quanta vita est confiteri Christum, tanta mors est negare Christum*.

3. Sed quaeritur, quando nam per se, & ex directa obligatione præcepti affirmativi hoc præceptum obliget ad externam Confessionem, & professionem fidei?

Resp. In certis quibusdam casibus, quos numerat D. Thomas 2. 2. *quest. 3. art. 2. in corp.* ut infra: *confiteri fidem non semper, neque in quolibet loco est de necessitate salutis, sed in aliquo loco, & tempore, quando scilicet per dimissionem hujus Confessionis subtraheretur honor debitus Deo, & etiam utilitas proximi impendenda: puta, si aliquis interrogatus de fide, taceret, & ex hoc crederetur, vel, quod non haberet fidem, vel quod fides non esset vera, vel alii per ejus taciturnitatem averterentur a fide; in hujusmodi enim casibus Confessio fidei est de necessitate salutis. Ex quibus patet, quando, & quo loco detur obligatio confitendi fidem; idem, si ex taciturnitate, dissimula-*

tione, & fuga putatur secutus contemptus Religionis Catholicae, proximum scandalum, vel spirituale cuius, fides est palam proficenda: & est mortaliter illicitum contra præceptum affirmativum confessionis fidei filiose: ratio est, quia etiam aliarum virtutum actus tunc sunt in præcepto, quando sunt necessarii ad fidem claritatis erga Deum, erga proximum, erga se ipsum: finis autem claritatis est velle alteri bonum, & nulli malum, adeoque impedire, quidquid Deo displicet, proximo, & sibi nocet: dum autem fidem quis non confitetur, Deo gravem injuriam irrogat, & ei debitum cultum negat, (nam certè Deum maxime honorat, & colit Christianus ejus fidem confitendo, quando debet,) ac proximo scandalum præbet, & sibi gravissimè nocet.

Propterea fidelis, si coram multitudine respondeat se Christianum non esse, quatuor peccata committit: primum commissionis contra præceptum de non mentiendo, & quidem gravissimum, quia in materia fidei mentitur. 2. Commissionis contra præceptum negativum, non negandi fidem. 3. Omissionis contra præceptum affirmativum de confitenda exterius fide, & 4. Scandali; quod multiplex est juxta numerum personarum, quibus est scandalum; quod, si non mentitur, sed taceat, duo peccata patrat: alterum omissionis, fidem non profitendo: & alterum commissionis, propter scandalum, si aliqui sint presentes; aliàs unicum erit.

4. Sed quaeritur, an id intelligatur, non modo, quando interrogatur a persona publica, & in responsione mentitur,

interrogatus, verum etiam cum interrogatur a persona privata?

Resp. Quidam cum Bonac. in 1. præcepti decal. disp. 3. quæst. 2. punct. 3. num. 4. dixerunt, si persona sit publica, v.g. Rex, Princeps, aut Magistratus, Governator &c. interrogatum, etiam cum periculo mortis, debere fidem manifestare; ratio est, quia censetur interrogari in odium fidei, & omissione Confessionis gravis injuria Deo irogatur, & fides contemnitur, cum taciturnitas sit signum negatæ fidei. Si verò persona interrogans sit privata, potest tacere, vel interrogationem eludere; quid à te? seu: quis te confituit iudicem? nam non censetur interrogare in fidei odium.

Alii verò cum Suarez sustinent nullam esse differentiam inter personam publicam, & privatam interrogantem; ratio est, quia obligatio fatendi fidem non nascitur ex qualitate, seu potestate personæ interrogantis, sed ex circumstantia, & occasione, in qua non potest occultari fides sine gravi diminutione divini honoris, aut detrimento spirituali proximo- rum, & proprio.

Et cum istis dicendum juxta D. Thom. cit. (cujus ratio videtur universalis ad omnem casum, in quo sequerentur mala enunciata) Si, dum persona privata interrogat Petrum de professione fidei, taciturnitas sit signum negatæ fidei, timoris, aut erubescentiæ de confitenda fide, vel adsit periculum, ut fides reputetur falsa, aut proximis sit scandalo, illicitum est fidem non fateri, & gravissimum peccatum per se contra præceptum affirmativum de confitenda fide, dare signum negationis ipsius, & erubescentiæ de fide

Alasthandi Causela Confess.

confitenda; ideo, si credo ex taciturnitate mea, & omissione confessionis aliquos, vel aliquem defecturum à fide, vel vacillaturum, aut putaturum fidem esse falsam non solum ex charitate, sed ex ipsa præcisa, & formali confessione fidei teneor (à quocumque interroger) confiteri eam, cum ex ipsa formali omissione confessionis fidei in eo eventu per se sequatur defectus ille, vel vacillatio; & sic gravis injuria irrogatur fidei, & irreverentia ejus Auctori, & propterea silentium est per se damnabile, quia est per se signum timoris confessionis fidei, & erubescentiæ.

5. Quæritur, accedit penitens, & se accusat, quod interrogatus ab hæretico, an esset Papiſta, negavit esse; dubitatur, an mortaliter peccaverit contra præceptum de non neganda fide?

Resp. Affirmativè, quia illa responsio æquivaleret negationi fidei; nam omnes intelligunt eum, qui negat se Papiſtam, negare se credere mysteria fidei proposita à Papa, & Ecclesia Romana.

6. Sed quid, si affirmet, dixi, non sum, intelligendo, ut tibi dicam?

Resp. Peccavit mortaliter contra præceptum negativum de non neganda fide; nam nullus potest sine gravi peccato uti verbis ambiguis, aut loqui cum restrictione mentali, dum agitur de confitenda, aut non neganda fide Catholica, quia audientes intelligerent, quod negaret se esse fidei Catholicæ professorem; ratio est, quia si quis posset hoc modo fidem negare, posset pariter ob metum mortis, aut grave damnum nunquam fidem confiteri, & exterius profiteri fidem falsam, quod est contra communem Ecclesiæ sensum; & sic redderetur inutile præceptum

(Uu)

præceptum

ptum de confitenda, & non neganda fide: quod asserti non debet.

7. Sed quid, si dicat, Pater: vixi aliquo temporis spatio occultus Catholicus inter hæreticos, quorum cœnam bis accepi ob metum pœnarum, & non intentione profitendorum sectam, immodò cum opposita protestatione?

Resp. Bis mortaliter peccavit contra præceptum de non neganda fide; nam nunquam ulli licet uti propriis ceremoniis falsæ Religionis, quia id faciendo externè profiteretur falsam, & negaret veram Religionem. Cœna hæreticorum est argumentum professionis sectæ ipsorum, qui colligunt suæ falsæ Religionis professores esse, quotquot illa utuntur; & protestatio non valet, quia est contraria factio. Pro absolutione dirigatur ad Sac. Tribunal; nam meo videti est credens erroribus Hæreticorum, per dicta lib. 1. cap. 3. n. 20.

Idem dicitur de eo, qui ad mortem vitandam fuit obediens edicto Principis, qui ad discernendum Catholicos ab hæreticis, præcepit, ut omnes adirent templa hæreticorum; nam tunc aditus ad templum est signum distinctivum hæreticorum à Catholicis, & propterea tunc moraliter negaret suam fidem, & profiteretur alteram; vel saltem obediret Principi in casu, quo potius deberet obedire Deo, & mandato non parere.

8. Sed quid etiam, si interrogatus ab hæreticis, an esset Sacerdos, vel Religiosus, id negaret?

Resp. Potest sine præiudicio fidei respondere: non sum; nam non sequitur, quod fidem neget; cum plures sint Catholicus, qui, nec sunt Sacerdotes, nec

Religiosi; & tunc certè non interrogatur de fide, nec in ordine ad ipsam.

9. Quæritur, sub Turearum imperio sunt Catholici Asiatici, & Europæi: Princeps vult eos distinguere à se invicem, & Turcis; ideo præcipit, ut signo aliquo distinctivo utantur; Europæi taxatum signum assument, Asiatici vero omitunt, & utuntur eo proprio Turcis: dubitatur, an Asiatici peccent contra præceptum de non neganda fide!

Resp. Affirmativè; nam æque bene omitendo tale signum significant se non esse Catholicos, & fidem negare, ac, si verbis dicerent se Catholicos non esse; ideo quamvis eis grave damnum, etiam mortis immineret utendo tali signo, deberent eo uti.

10. Quæritur, quid agendum Confessario cum pœnitente se accusante: Pater: transivi per hæreticorum loca, qui ad me interficiendum erant parati, nisi carnes cum eis die veneris comedissem, & propterea comedi?

Resp. Interroget, an data opera fuerit invitatus ad comestionem, ut dignoscerent, an esset Catholicus, an hæreticus, vel in contemptum Ecclesiæ; & si assimet, & comederit, graviter peccasse iudicet contra præceptum de non neganda fide; nam talis comestio reputatur professio falsæ, & negatio veræ fidei; & dum aliàs ab aliquibus, ut Catholicis cognosceretur, peccaret, etiam peccato scandali. Si vero non ad eum finem proponerentur, sed alio, non pertinente ad Religionem, tunc remoto scandalo, dum carnes comederet, non peccaret contra fidem; nam multi inter Catholicos, vel ex malitia, vel ex infirmitate carnes die

ven-

veneris comedunt, quin censeantur fidem negare; nec huiusmodi comestio secundum se arguit professionem fidei hæreticæ, aut negationem Catholicæ; immò, stante periculo, non peccabit, quia pia Mater Ecclesia non obligat ad abstinentiam cum tanto incommodo: si desit incommodum, peccabit contra præceptum Ecclesiæ; & si item sit signum negatæ fidei, & cum scandalo, nec damnum mortis timeatur, triplex erit peccatum: ut, scandali, contra præceptum Ecclesiæ, & præceptum de non negandâ fide.

11. Queritur, an liceat Catholicis uti vestibus, quibus utuntur infideles?

Resp. Vel vestes infidelium ex ipsâmet institutione talium vestium sunt per se protestativæ falsæ sectæ, & tales, ut ipsi discernantur infideles, & hæretici à fidelibus Catholicis; aut non sunt sic institutæ, sed indifferentes, & adhibentur ut signum distinctivum unius nationis ab alia; vestibus primi generis non possunt Catholicis uti, etiam cum periculo vitæ, & quatenus utantur, peccant contra præceptum de non neganda fide, quia illarum usus est moraliter falsæ sectæ professio, prohibiti cultus signum, & veræ Religionis negatio; sic non possunt Catholicis uti veste sacerdotali Turcarum, aut ministrorum hæreticorum: vel ad collum Imaginæ Mahumetis, Lutheri, aut Calvinii deferre: sicut, nec genuflectere, vel turificare Idolo, vel circumcidi, &c. illis autem secundigenis uti non esse illicitum, & illis posse suam Religionem occultare, tradunt DD. quoniam per se institutæ non sunt, nec determinatæ ad falsam sectam proficiendam, & distinguendos

hæreticos à Catholicis. Hinc Catholicis in Anglia, vel aliis hæreticorum Provinciis possunt vestibus uti, quibus incolæ utuntur ad distinctionem unius nationis ab alia; sic S. Sebastianus quodam tempore, veste communi cæteris Gentilibus, occultavit propriam fidem, quam postea data opportunitate manifestavit. Et ideo istis etiam illicitum est uti, quando delatio à Deo debitum auferret honorem, fides contemneretur, proximorum salus in periculo esset, & scandalum illis præberetur.

12. Sed queritur, an hic Roma possit licite deferri pileus cum signo flavo, Judæis proprio, & inter Turcas bireto, vulgò Turbante?

Resp. Negat Cajetanus ad cit. locum D. Thomæ, cum Toletus, & Becanus; ratio est, quia, quemadmodum mortaliter peccaret contra præceptum negativum de non neganda fide, qui diceret se esse Judæum, aut Mahumetanum, sic mortaliter peccaret contra idem præceptum, si uteretur bireto, aut pileo, vel alio signo proprio Judæis, & Mahumetanis in illa Patria, quo à Catholicis distinguuntur; nam idem esset ac se factum Judæum, vel Mahumetanum profiteri. Ideo regula generalis est, quod nunquam licet uti propriis ceremoniis, vel vestibus falsæ Religionis, assumptis ad discriminandos hæreticos à Catholicis, quando communiter à videntibus, & audientibus prudenter colligeretur, quod adhiberentur, ut ceremoniæ, & vestes illius Religionis, & tamquam argumentum professionis ejusdem Religionis, etiam si revera hoc non intenderetur, quia id faciendo externè saltem, profiteretur

(Uu) 2

fal-

falsam, & negaret veram Religionem, ac cultum exhiberet Auctori illius sectæ: quod esse prorsus illicitum est manifestum, Poncius *disp. 29. qu. 8. num. 37.* Exploratoribus autem Christianis, vulgò *spie*, licere uti lingua, & habitu infidelium ad scrutanda eorum secreta, in damnum Christianæ Religionis directa, postea detegenda Principibus Christianis, vel ad securius eos aggrediendos, vel, ut tutius fugiant; & in eam finem licere item nautis Christianis asfigere ipsorum vexilla suis trirēibus, & navibus, modo non sint alicujus falsi Dei, vel Mahumeti, Lutheri, &c. Imagines: tradunt De la Cruz *diret. conf. 1. precepto de fide n. 8. conc. 2.* & Sum. Leand. v. *fidei externa confess. num. 33.*

13. Queritur, an liceat servis Catholicis comitari Dominos hereticos ad ipsorum templa, & assistere caeremoniis hereticis?

Resp. Negativè, quando ex illorum assistentia deberet prudenter judicari, quòd communicarent, etiam in caeremoniis; quod præsumi prudenter posset, eum Dominus non esset valde senex, aut graviter infirmus: & propterea non egens assistentia, servi, & alium posset commodè habere, quàm Catholicum. Nota, ex sola curiositate adire hereticorum templa, & conciones audire esse mortale, & eo magis, si accessus sit frequens.

14. Queritur, an tempore persecutionis liceat quandoque eam declinare, ne quis cogatur ad Confessionem fidei, & ne morte plebatur?

Resp. Affirmativè: habetur cap. *sciscitans 7. q. 1.* & Matth. 10. *cum vos perse-*

quentur in una Civitate, fugite in aliam: & 2. ad Corinth. 11. per murmur a fratribus demissus sum in sporta, & sic evasi manus ejus in nomine Domini. Verùm: si esset Episcopus, vel Pastor, aut ex fuga deberet sequi aliquod grave damnum in spiritualibus proximo, vel esse cum præjudicio ad bonum fidei, & Religionis, deberet ex præcepto charitatis, & Confessionis fidei se exponere morti.

15. Quomodo se gerere debeat Confessarius cum ponente Catholico accusante se conversatum esse cum Judæis?

Resp. I. Animadvertat, Catholicus ad vitandum Christianæ Religionis contemptum, perversionis periculum, & scandalum proximorum, esse prohibitam communionem cum Judæis in respectibus Religionem; etiam in politicis est interdicta communio, ex qua potest resultare nimia familiaritas, & societas, & propterea idem periculum imminere; ideo non licet Christianis simul habitare cum Judæis in eadem domo, cum eis spurcissimè commisceri, nec uti opera medici hæbrei, nec cum eisdem ad ludos, & nuptias, & convivia ire, nec in eodem balneo se lavare; nec arina comedere, vel continuo eis servire, nec nutricibus Christianis in ipsorum domibus, ipsorum filios nutrire; neque possunt Christiani conjugia cum Judæis, aliisque infidelibus celebrare: cap. *sept. cap. nullus, cap. omnes, cap. cave, cap. non oportet, cap. si quis 28. qu. 1.* Ut distinctio sit patens inter Christianos, & Judæos, & istorum illi valeant vitare consortia, debent in terris Christianorum Judæi uti habitu, per quem à Christianis discer-

natur: *cap. In nonnullis de Jud. & Sarracenis.*

II. Consideret, an Christianus communicando cum haëreo habuerit in intellectu errorem, vel credendo eorum legem esse veram, vel Ecclesiam errare prohibendo tale commercium; nam tunc excommunicatus esset excommunicatione Bullæ Cœnæ (applicata ad conversantem cum hæreticis) quod si talem errorem non habuerit, interrogandus est, an saltem cum Judæo communicaverit ex contemptu Ecclesiæ, vel Episcopi, vel cum scandalo populi, & periculo annuendi fidem: & tunc communicatio, quæ aliàs posset esse venialis, foret mortalis.

III. Curet inducere pœnitentem ad contritionem suorum peccatorum ostendendo ei gravitatem delicti, & periculum, cui se exposuit.

IV. Eum inducat ad eliciendum actum fidei, & protestandum Judæorum legem, ac ritus, supersticiosos, & falsos esse, eique juxta qualitatem delicti, & circumstantiis accommodatam pœnitentiam satisfactoriam, & præservativam injungat.

16. Sed quaeritur, an possint cum Judæis Christiani contractus emptionis, & venditionis, aliàs licitos celebrare, & mercaturam licite exercere?

Resp. Affirmative, ubi Judæis conceditur mercaturam exercere; ratio est, quia communicatio, quæ cum Judæis interdicitur, est illa, ex qua nascitur nimia familiaritas, & societas, seu, quæ aliunde assidua, & diuturna est; ideo, qui casu, & fortuito cum Judæo in eodem convivio, vel balneo convenit, non

tenetur ab eodem statim declinare; propter necessitatem, si alius non foret aptus ad curandum morbum, posset cum consilio Parochi, medico hæreo uti: quemadmodum, si ex necessitate famiscum eo manducaret, à peccato excusaretur, cum hic necessitas, quoque excuset; quemadmodum in cæteris transgressionibus Ecclesiasticis, ut in præceptis de jejuniis servando, audienda Missa, & similibus, magna necessitas excusat. Engel. *Colleg. jur. canon. lib. 5. tit. 6. num. 7.* Vid. Gavant. *in manalis Episc. v. Hærei.*

17. Quaeritur, an liceat cum Infidelibus, & Hæreis disputare de rebus fidei?

Resp. Laicis id prohibetur, *cap. quicumque §. inbibemus de hæret. in 6.* Tam publicè, quàm privatim, sub pœna excommunicationis ferendæ, ut ibi Gloss. *in ver. innodetur* (etiamsi sint docti) quia jus absolute loquitur, & propterea prohibitio obligat sub mortali: excipitur, si aliquis hæreticus cum fidei injuria loqueretur, aut aliquos Catholicos pervertere conaretur, & nullus foret Clericus, qui posset illi resistere, tunc Laicus doctus posset illum arguere, & cum illo disputare: nam prohibitio non videtur comprehendere casum magnæ utilitatis, & necessitatis. Suarez.

Nota, quod nec Clericis indoctis licet de rebus fidei cum hæreticis disputare, & peccant mortaliter, si disputent, non propter allatam prohibitionem, quia loquitur de Laicis, sed propter periculum erroris, cui se exponunt.

CAPUT XIII.

Prop. XIX. XX. & XXI.
ab Innoc. XI. &c.

Certitudo fidei Divina.

1. PROP. 19. *Voluntas non potest effi-
cere, ut assensus fidei in se ipso
sit magis firmus, quam creatur pon-
dus rationum ad assensum impellen-
tium.*

PROP. 20. *Hinc potest quis prudenter
repudiare assensum, quem habebat super-
naturalem.*

PROP. 21. *Assensus fidei supernatu-
ralis, & utilis ad salutem stat cum noti-
tia solam probabili revelationis; immò
formidine, qua quis formidet, ne non sit
locutus Deus.*

Circa has tres propositiones ab Innoc.
proscriptas Confessario erit utile scire
sequentia.

I. Quòd assensus fidei Divinæ, quo
v.g. firmissimè credo Deum esse Trinum,
& Unum, quia Deus summè verax reve-
lavit, & Ecclesia Catholica proponit esse
à Deo revelatum, certus, & infallibilis
est sic, ut non possit non esse verus: tum
ex ratione sui principii, habitus nimi-
rum fidei, & auxilii supernaturalis
(nam tam habitus, quam auxilium ex
sua natura sunt determinata ad non pro-
ducendum actum fidei, nisi circa pro-
positionem revera à Deo revelatam) tum
ratione motivi formalis, ratione nimi-
rum divinæ veracitatis revelantis (nam
Deus, quia summè verax, nec falli, nec
fallere potest, & idèò, nisi verum om-

ninò revelare) & hæc est certitudo obje-
ctiva, seu connexionis actus cum obje-
cto, ratione cujus est impossibile, quod
detur actus fidei, quin objectum sit, si-
cut creditur; tum ex parte Ecclesie
proponentis, ut ex mox dicendis con-
stabit.

2. Deinde est certus certitudine adha-
sionis ad objectum, consistente in hoc,
quod quis debeat potius adharere, & fir-
missimè adharere mysteriis à Deo reve-
latis, quæ proponuntur ab Ecclesia cre-
denda, quam ullis aliis veritatibus; ra-
tio est, quia cum proponitur ab Eccle-
sia mysterium aliquod credendum, quia
Deus summè verax revelavit (adeòque
cum morali evidentia, quod sit à Deo reve-
latum) debet quis illud credere, &
ipsi per actum fidei adharere potius,
quàm cæteris veritatibus, id enim exi-
git autoritas, dignitas, ac summa ve-
racitas dicentis, & infallibilitas Ecclesie,
quæ in his proponendis errare non potest;
hinc sine gravi injuria non potest
assensus denegari, unde dixit Aug. lib. 7.
Confes. cap. 10. *facilius dubitarem, cre-
dere me, quam non esse veritatem, quæ audi-
vi in corde.* Si philosophus contra con-
secrationem afferat: *accidens non potest
esse sine subiecto*: fidelis, non ipsi, sed fi-
dei firmissimè adharere, quæ docet: in
Eucharistia esse accidentia sine substantia
panis, & vini: si contra resurrectionem
adducat: *a privatione ad habitum non
est regressus*: statim ei opponat articu-
lum fidei: *mortuorum, scilicet, resurre-
ctionem.*

3. II. Observet, ad credendum esse
necessarium ex parte voluntatis actum
super naturalem (scilicet, ipsam affectionem nun-
cupa-

cupatum) quo voluntas velit credere, & imperet intellectui, ut firmissimè credat, quidquid Deus dixit, & ab Ecclesia proponitur credendam. Habetur ex *Teid. sess. 6. c. 6. de just.* ubi: *disponuntur autem ad ipsam iustitiam dum excitati divina gratia, & ad iustitiam ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes verè esse, qua divinitus revelata, & promissa sunt.* Et *Araulicano 2. can. 5.* ubi: *si quis, sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsum credulitatis affectum, quo in eum credimus, &c.* Et sequitur, ex quo experiamur nos non credere, nisi velimus. Tum quia, actus fidei est meritorius, & liber, hoc est, liberam est credere, & non credere, sine actu autem voluntatis nec libertas, nec meritum subsistit. Tum quia, pia affectio requiritur pro certitudine adhesionis ad objectum, sive, ut firmissimè intellectus per actum fidei absque ulla dubitatione, & formidine tendat in objectum revelatum, ab Ecclesia propositum, ut optinè probat *D. Thom. 2. 2. qu. 1. art. 4. in corp.* nam cum intellectus non videat evidentè physice, aut metaphysice objectum esse verum, ab objecto determinari, nec moveri potest, sed opus est, ut voluntas imperet, ut firmissimè credat. quod ei ab Ecclesia cum morali evidentia proponitur à Deo revelatum, & sic captivet intellectum in obsequium fidei.

4. III. Notet aliud esse propositionem aliquam esse credibilem, & aliud esse credendam: hoc secundum aliud non dicit, quàm propositionem esse talis naturæ, ut quis debeat eam credere, & dignum sit, ut credatur: esse autem credibilem in-

portat talem esse, ut quis possit eam credere. Nec sequitur, quod si propositio sit credibilis, sit vera à parte rei, nam propositio falsa potest esse credibilis, ut patet: dicat homo fide dignus: *Petrus est domi*: si Petrus domi non sit, propositio est falsa, sed credibilis propter autoritatem, & testimonium dicentis. Nec etiam, quod si propositio sit vera, sit proximè credibilis, nam necesse est, ut ab aliquo fide digno reveletur: credibilitas enim sumitur ab extrinseco; & ideò consideret, quod sicut propositio est credibilis, quæ potest credi, sic illa est evidentè credibilis, dum evidens est alicui se posse eam credere; & quia evidens est mihi v.g. quod possum credere Petro proponenti Germanos fuisse victores, ex quo nullà habeam rationem prudenter dubitandi, quin verum dicat, ideò propositio ab eo asserta, est mihi evidentè credibilis, sive sit in re vera, sive falsa.

§. IV. Pondera, quod mysteria nostræ fidei sunt evidentè credibilia, & credenda: scia, quod idem est, quod dantur motiva, propter quæ est moraliter evidens, mysteria nostræ fidei esse à Deo revelata. Per evidentiam moralem cum communi intelligitur illa, qua res aliqua, quæ non est nota ex terminis, neque deducta ex principiis, sic notis, nec aliquo sensu externo percepta, ita apparet intellectui, ut is nullam habeat rationem dubitandi, & judicaretur ab omnibus imprudentissimus. qui non iudicaret rem illam, sicut apparet ipsi: sed dantur motiva, quæ hoc modo evidentè probant mysteria nostræ fidei esse à Deo revelata: considerentur miracula
facta

facta in confirmationem mysteriorum fidei: quæ certè Deus non fecisset, nisi mysteria, in cuius confirmationem fiebant, essent vera, & ab ipso revelata; quòd si negetur fuisse confirmata miraculis; negari non potest, quin hoc ipsum sit maximum miraculum; quod tanta, & tam principalis Mundi pars absque ullo miraculo receperit doctrinam novam, ab Apostolis, aliàs rudibus, & simplicibus, prædicatam, contrariam carni, & sanguini, & ex toto adversam ei, quam ante viri hujus Mundi, tam docti, quam indocti, nobiles, & simplices profitebantur; quòd certè sufficit ad reddendum moraliter evidens, & judicandum imprudentissimum eum, qui non judicat, quod fuerint revelata à Deo.

6. Confirmatur, est moraliter evidens, quod Ecclesia Catholica sit vera Ecclesia Christi, sed Ecclesia Catholica proponit mysteria fidei esse à Deo revelata, ergo est moraliter evidens mysteria nostræ fidei esse à Deo revelata; adeò ut imprudentissimus sit, qui id non judicet: major est certa, quia in confirmationem Ecclesiæ Catholice sunt facta innumera miracula; & hoc unum maximum est, quod, non obstante impugnantium potestate, & persecutorum tyrannide conantium eam destruere, & ad nihilam reducere, magis creverit, & totum ferè sibi orbem subegerit, sanguine martyrum irrigata. Alia motiva videas apud Theologos in tract. de fide.

7. Hinc, quia est moraliter evidens, quod mysteria nostræ fidei sint à Deo revelata & est certum omnino, quod quidquid Deus revelat, est verum, cum nec

fallere, nec falli possit: sequitur. 1. Quòd sint vera. 2. Quòd quilibet debeat illa credere, cum sufficienter proponantur. 3. Quòd quacumque alia doctrina opposita fidei nostræ sit falsa, & quod imprudentissimè quis eam doctrinam crederet. 4. Quòd urgentissimum medium ad convincendos Infideles, & hæreticos sit proponere ipsi evidenter, mysteria nostræ fidei esse à Deo revelata; nam, si id benè proponatur, & Deus dederit ipsi gratiam, benè percipiendi, quod proponitur, & auferat ab ipsis internam voluntatis pertinaciam, & dociles reddat, facile convertentur.

Ex quibus potest quilibet videre nullum prudentem posse repudiare assensum supernaturalem fidei; nam recta ratio non potest dictare, quòd, ut falsa, repellamus, quæ Deus revelavit esse vera; nam imprudentissimè ageret.

Et pariter inspicere, quòd cum assensus fidei divinæ sit omnino certus, & infallibilis, non compatitur cum dubio, & formidine, aut notitia solum probabili, quòd mysteria sint à Deo revelata; nam sanè, si judicium de existentia revelationis esset incertum, & dubium, voluntas non posset prudenter imperare actum firmissimum, ut est actus fidei divinæ.

7. Sed difficultas est de pueris, & rudibus, qui cum non possint examinare motiva credibilitatis, ut miracula, prophetias, sanctitatem doctrina, ex quibus formatur judicium moraliter evidens, & certum, quòd mysteria nostræ fidei sint à Deo revelata, nec moralem evidentiam possunt habere de existentia revelationis: propterea, aut est dicendum præfatos, immò majorem partem fidelium,

namquam credere, fide divina, quod absurdum videtur, aut, quod ad fidei divinam credendum non requiratur, ut evidenter moraliter quis iudicet, mysteria fidei esse à Deo revelata.

Resp. Pueris, & rudibus ad credendum firmissimè mysteriis fidei sufficit propositio Parentum, vel Parochi: ex quorum instructione, cum interna illustratione Dei ad credendum, quamvis ad prædicta signa non reflectant, apparet evidenter moraliter, quod mysteria fidei sint à Deo revelata: & ex ea, ac obligatione, quam habent, quod in materia salutis aeternæ sequenda est eorum instructio, moventur ad actum fidei eliciendum: habetur ex D. Thom. cit. ad 2. ubi: non enim crederet, nisi videret esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquam huiusmodi; nota hoc ultimum. Hinc, si supposita Parentum instructione, credant: ver. grat. Verbum esse incarnatum quia Deus summè verax revelavit Ecclesiae Catholicae, actum fidei Divinae eliciunt.

CAPUT XIV.

Prop. XXII. ab Innoc. XI. Sc.
Fides necessaria ad salutem.

1. PROP. 22. Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

2. Supponitur tamquam certum, quod fides supernaturalis habitualis est necessaria omnibus hominibus, tam parvulis, quam adultis; quod patet ex illo ad Hæbros 11. Matthei 23. Cantela Confess.

bræos 11. sine fide impossibile est placere Deo: & ex certo principio, quod nemo possit consequi vitam aeternam sine justificatione: nemo autem justificatur, cui non infundantur fides, spes, & charitas, tam parvulis, quam adultis: Trid. sess. 6. cap. 7. de justif.

3. Item, quod omnibus adultis habentibus usum rationis necessaria est fides explicita, actualis, supernaturalis; ut patet ex allegato textu; & ex Symbolo Athanasii: quicumque vult salvus esse: ver. Hac est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit: & potest isto suaderi discursu: Deus homines adultos salvare non vult, nisi cum ipsorum cooperatione, sed cooperatio hominis ad salutem utilis non est sine fide supernaturali: cum si ab ista non reguletur, proportionem non habeat cum beatitudine supernaturali, ergo secundum dispositionem Dei fides supernaturalis actualis est necessarium medium adultis ad salutem: & debet esse supernaturalis, non modò ex parte principii, auxilii nimirum divini, sine quo actus supernaturales non eliciuntur, sed etiam ex parte objecti, quatenus debet hominem dirigere ad finem non naturalem, sed supernaturalem aeternæ beatitudinis: & tendere in objecta à Deo revelata.

4. Item, quod omnibus adultis existentibus in mortali necessaria est fides supernaturalis actualis, ut constat ex adductis textibus, & ex hoc alio ad Hæbros 11. accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Deinde fides actualis ex Trid. cit. cap. 6. est dispositio necessaria

(X x)

ria

ria ad justificationem; & cap. 8. alterius, humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis; sed peccator ut perveniat ad Cælum, debet accedere ad Deum, & justificari, ergo debet habere fidem actualem.

Confirmatur: non potest peccator, si non fuit baptizatus, salvari sine baptismo in re, vel in voto: & si fuit sine penitentia in re, vel in voto: sed nec baptismus, nec penitentia in re possunt haberi ab adulto sine fide: nec in voto, nisi mediante aliquo actu supernaturali: at nullus actus supernaturalis potest ad hoc sufficere præter actum supernaturalem amoris Dei, vel contritionis perfectæ: sed huiusmodi haberi nequeunt sine prævio actu fidei, ergo.

5. Item, quod aliud est credere implicitè, & aliud credere explicitè, & distinctè. Credere implicitè, est credere aliquid non in se ipso distinctè, & particulariter, sed in aliquo alio, in quo implicitè continetur: sic, qui credit: *quidquid Ecclesia Catholica credit, vel credendum proponit, implicitè credit omnia mysteria fidei.*

Credere verò explicitè est credere hoc, vel illud mysterium in particulari, & in seipso, propter revelationem Dei: ut credo: *Deum esse Trinum, & Unum, quia Deus summè verax revelavit, & Ecclesia credendum proponit: credo Verbum esse incarnatum, &c.*

6. Item, quod duobus modis aliquid dicitur necessarium ad salutem: necessitate mediæ, & necessitate præcepti: necessitate mediæ, illud necessarium dicitur, quod si ab aliquo omittatur, quamvis sine sua culpa (ut si propter impoten-

tiam, & ignorantiam inculpabilem) salvari non possit: quia est necessarium ex alio capite, quam ex hoc, quod per ejus omissionem, quis peccet, & ponat impedimentum peccati ad non consequendam salutem: sub ista ratione baptismus in re susceptus & fides habitualis sunt infantibus medium ad salutem: & fides, tum actualis, tum habitualis, ac baptismus in re, vel voto susceptus omnibus adultis ita necessaria: illud verò dicitur necessarium, necessitate præcepti, sine quo quis salvari potest, modo ipsum, vel propter ignorantiam inculpabilem, vel impotentiam exequi non possit; nam tunc à peccato excusatur. Quod est sic necessarium, aliam necessitatem non habet ad salutem, quam quatenus, quid omittit, peccat mortaliter, & propter peccatum, nisi remittatur, debet salutem perdere: sic ad salutem necessarium est, audire sacrum, jejunare, confiteri semel in anno, &c.

Authores propositionis non negant fidem actualem necessariam necessitate mediæ: sed, dum affirmant sufficere solam fidem unius Dei, errant. Propterea Confessario in hoc capite ex probatis Authoribus apponimus plures resolutiones tangentes notitiam eorum, quæ sunt necessariæ explicitè credenda, tum necessitate mediæ, tum præcepti, ut illis instructus possit sine errore ad iudicium procedere, & penitentes monere de his, quæ credere tenentur, & ad fidem pertinent.

7. Queritur, *quoniam mysteria, seu articuli fidei sint explicitè necessariè credendi necessitate mediæ?*

Resp. I. Debet explicitè credi: *Deum esse,*

esse, & remuneratorem esse, juxta illud ad Hebræos 11. accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.

II. Deum esse Trinum in personis, & Unum in Essentia: juxta text. Matth. 28. docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: per dicenda etiam cap. ult.

III. Filium Dei esse incarnatum. Joannis 17. Hac est vita aeterna, ut credant te verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.

IV. Christi passionem, & mortem. 1. ad Corinth. 1. Nos autem predicamus Christum crucifixum.

V. Christi resurrectionem 1. ad Corinth. 15. Si Christus non resurrexit, inanis est fides nostra. Hæc omnia sunt ita necessariò necessitate medii explicitè credenda, ut quis excusationem non habeat, si ea explicitè non credat: & ideo non sufficit ea implicitè credere, credendo quidquid Ecclesia Catholica credit. Quod colligi etiam potest ex illo Marci ult. predicare Evangelium omni creatura: qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit condemnabitur; ergo condemnabuntur omnes, qui non crediderint, quæ à Christo Apostoli predicare jubebantur; sed certum est, quod jubebantur predicare; Deum esse, esse remuneratorem bonorum, & vindicem malorum; Incarnationem, mortem, & resurrectionem Christi: ejus divinitatem, ac humanitatem: atque Trinitatem personarum in una Essentia divina: ergo hæc credere post illam prædicationem, est medium necessarium ad salutem.

Et quamvis jussi sint prædicare etiam, quæ non sunt necessitate medii necessariò credenda, sed solum præcepti: negari tamen non potest, quin præfata sint necessariò ea necessitate credenda; nam Apostoli debuerunt prædicare Evangelium secundum ordinationem Christi, hoc est, prædicare, tanquam necessaria necessitate medii, quæ sic necessaria censentur, & præcepti, quæ ita necessaria sunt, ergo, cum aliqua fides ab eis prædicata sit necessaria necessitate medii (nec possit dari ratio, cur non sit fides præfatorum mysteriorum: sed potius juxta communem consensum Theologorum, & sensum Ecclesie certum sit eam esse) fides præfatorum ita est necessaria.

Cætera mysteria, quæ in Ecclesia solemnizantur, & publicè proponuntur, tutius, & securius est explicitè credere: ut esse natum de Virgine, circumcisum, descendisse ad Inferos, ascendisse in Cælum, ac sedere ad dexteram Patris, & venturum judicem. De la Cruz direct. conf. 1. præcept. de fide art. 1. num. 3. in fine, & Fagnan. in 1. Decretal. ad cap. Firmiter de sum. Trinit. qu. 44. Vid. cap. vit.

8. Quæritur, an sit necessaria necessitate medii fides explicita Dei, ut remuneratoris supernaturalis, an verò sufficiat fides de Deo, ut remuneratore naturali, seu, ut remunerante bona opera per bona temporalia, & naturalia hujus vite: sanitatem, divitias, &c.

Resp. Necessaria est fides actualis explicita Dei remuneratoris supernaturalis, hoc est, qua creditur, quod benè viventibus, secundum legem ipsius, & operantibus cum auxiliis & gratiæ, ut

(Xv) 2 oportet,

oportet, sit concessurus vitam æternam, & malè viventibus æternam mortem: totum colligitur ex illo cap. ad Hebr. 11. ubi Paulus agit de remuneratione superiori ad bona temporalia hujus vitæ, & de retributione vitæ æternæ à Deo promissa, & revelata. Legatur text. & Cardenas ad prop. 22. ab Innoc. XI. damnat. dissert. 15. cap. 6.

Et propterea fides debet esse supernaturalis, non modò ex parte comprincipii, auxilii nimirum supernaturalis, sine quo actus supernaturalis haberi non potest, sed etiam objective, quatenus non sufficit cognoscere Deum esse authorem naturæ, aut largitorem bonorum naturalium, sed necesse est cognoscere, & credere, quod, sit author bonorum supernaturalium, gratiæ, & æternæ vitæ largitor; cum talis fides, & cognitio sit fundamentum accessus nostri ad Deum, juxta illud: *accedentem ad Deum oportet credere, &c.*

9. Sed quæritur, unde colligi potest, quod fides sit supernaturalis, objective, & ex parte objecti?

Resp. Cum tendit in objectum à Deo revelatum, quod Ecclesia Catholica proponit credendum. Vide supra cap. 5. num. 11.

10. Quæritur, quando per se tenemur actum fidei de illis habere?

Resp. Videas lib. 1. cap. 1. num. 5. & 11.

11. Quæritur, quanam explicitè credenda sunt de necessitate præcepti divini, & Ecclesiæ?

Resp. Symbolum Apostolicum: & septem Sacramenta; omnia alia debet homo, saltem implicite credere, credendo quidquid Ecclesia credit, vel in præ-

paratione animi, in quantum paratus sit credere, quidquid divina Scriptura continet, & Ecclesia proponit esse à Deo revelatum; & tunc ea etiam explicitè credere tenetur, cum ei constat esse à Deo revelata, & sic ab Ecclesia proponuntur.

Ratio, cur debeat quis explicitè credere Symbolum Apostolorum, est; quia articuli, & mytheria, quæ in eo Symbolo continentur, sunt præcipua nostræ fidei fundamenta: & non solum semel, atque iterum debet eos articulos explicitè credere, sed etiam memoriter scire, ut interrogatus, an tale mysterium contineatur in Symbolo, sciat respondere, affirmativè.

Illa autem probans, cur credenda sint Sacramenta, est: quia quilibet tenetur credere, & scire, quæ debet recipere, & à Deo postulare. Et quamvis hæc ratio videatur probare solum quoad Baptismum, Pœnitentiam, & Eucharistiam, quorum fidem esse sub præcepto est communissima sententia: attamen etiam cætera alia esse credenda patet; nam susceptio Confirmationis, & Extremæ unctionis sunt maximæ utilitatis, & sub præcepto non contemnendæ. Item, ut dignè æstimetur status matrimonio conjungtorum, & Ordinatorum, valde conveniens apparet, ut fideles omnes cognoscant, & credant illa Sacramenta esse à Deo instituta; & consequenter, ut sit præceptum omnibus ea credere.

Nec sufficit, quod quis semel, aut iterum, vel quoties debet aliquod Sacramentum accipere, illud credat, sed ulterius debet scire, & ita memoria fixa tenere, quod sint à Deo revelata, & à

Christo

Christo instituta, & propterea sic credenda, ut, quoties interrogetur de quolibet istorum, possit respondere, esse à Deo revelatum, & à Christo Domino institutum.

12. Pariter præcepta decalogi sunt, cognoscenda, ac memoriæ retinenda, ut quis interrogatus, an talis, vel talis veritas sit de fide V.G. an furtum sit contra aliquod præceptum decalogi, vel non furari Dei mandatum, sciat respondere affirmativè; hujusmodi enim cognitio valde utilis est ad exercitium virtutis, & fugam vitiatorum. Utilitas etiam retinendi memoriæ orationem Dominicam maxima est; nam septem petitiones continet, quibus omnia necessaria, tam corpori, quàm animæ, tam præsentis, quàm futuræ vitæ à Deo petimus: explicationem orationis vide apud Marchant. *Hor. past. tract. 3. de Off. Pastoral. lect. 1.*

Ex quibus sequitur I. Quod fideles, statim ac pervenerint ad usum rationis, debeant juxta capacitatem, & statum suum talem diligentiam ad hæc dicenda adhibere, ut non videantur esse negligentes in re, adeo ipsismet utili, à Deo, & Ecclesia præcepta; idè debent frequentare Parochiam, ut in rebus fidei, & ad salutem necessariis instruuntur; & toties peccant, quoties in illo anno tenentur Parochiam frequentare (ad quem effectum pluries in mense crederent teneri) & omittunt: de quo debent se accusare.

II. Quod parentes curare debent, ut filii sufficienter instruuntur de præfatis, & præceptis Ecclesiæ, adeo ut, si eos impediunt, vel commoditatem non præ-

beant, aut instructionem negligant, peccant gravissimè.

III. Quod Parochi, Confessarii, & Prædicatores tenentur ea omnia proponere, & quatenus opus sit explicare ita, ne propter defectum propositionis, ac explicationis contingat, ut subditi, & audientes careant sufficienti instructione.

Propterea ipsi præter obligationem communem cum aliis fidelibus ad credenda mysteria fidei, tam quæ sunt necessariò credenda necessitate mediæ, quàm præcepti, habent particulare debitum cognoscendi distinctius ea mysteria; ratio est, quia officium ipsorum est ea proponere, & explicare, & aliquantulum defendere contra objectiones communes hæreticorum, ad minus per solutionem aliquam à Doctoribus traditam: quilibet autem tenetur ad ea, quæ sunt necessaria ad suum statum, & officium ritè exequendum, ex cujus mala administratione sequitur in proximo grave præjudicium salutis; idè Trid. *sess. 5. cap. 2. de ref. statuit: quicumque curam animarum habentes, ut per se, vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis, & festis solemnibus, plebes sibi commissas pro sua, & earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo, que scire omnibus necessarium est ad salutem.* In quo, si negligentes sint, gravissimè delinquant contra præceptum Ecclesiæ in re gravi, & propriam obligationem.

13. Quæritur, penitens, ut satisfaciat præcepto credendi, instrui petit à Confessario de modo eliciendi actum fidei, de tempore obligationis, & de articulis

(XX) 3

culas

entis contentis in Symbolo Apostolorum, qualem debet Confessarius instructionem dare, & quid aperire?

Resp. Tempus obligationis videas lib. I. cap. 1. num. 5. & 11. & num. 20. modum eliciendi fidei actum. Circa Symbolum Apostolorum sciat Confessarius, quod Symbolum huiusmodi est, ac omnium credendorum ad salutem spectantium compendiosa collectio, ut ex Gersone tradit Fagnan. in 1. ad cap. firmiter de Sum. Trinit. num. 26. Dicitur Apostolorum, quia fuit ab Apostolis editum in Conventu habito in Judæa anno Christi 44. apud Baronium eodem anno num. 14. in quo duodecim articuli fidei, seu veritates à Deo revelatae continentur, quarum notitia, saltem quoad substantiam, in quolibet fideli est necessaria.

14. Itaque super 1. articulo à Petro asserto: *Credo in Deum, Patrem, Omnipotentem, creatorem Cæli, & terræ*: Ut credat in Deum: sufficit, quod credat esse aliquod summum bonum, quo melius excogitari non potest; aut aliquid esse, quod super omnia amari, & honorari debeat, & cuius mandatis super omnia obediendum sit, & à quo cætera dependent in fieri, & conservari; nam nihil potest esse tale, nisi quod est Deus. Ut credat in *Patrem*, sufficit, quod credat eum habere Filium à se productum, qui sit Deus eadem singularissima Deitate cum ipso. Quantum ad *Omnipotentem*, sufficit, quod credat eum posse facere, quidquid est possibile, ex cuius productione nulla in ipso sequitur imperfectio. Quantum verò ad *Creatorem Cæli, & terræ*, sufficit, ut credat, quod Deus illa fecerit, & ad

omnia in iis contenta concurrat. Cuius igitur ex divino, & naturali præcepto teneamur Deo cultum exhibere pro nostra creatione, tenemur explicitè credere, *Deum esse omnium creatorem*.

Super II. Ab Andrea: & *in Jesum Christum, Filium ejus, unicum, Dominum nostrum*: sufficit credere aliquem, hominem esse, qui non solum sit homo, sed Deus, & Filius unicus Dei Patris, qui vocatur Jesus Christus, cui nos obedire, ac servire debemus, tamquam unico nostro Domino, & Redemptori, ac colere, & adorare.

Super III. Ab Jacobo, *qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine*: Sufficit credere, quod Jesus Christus fuit conceptus in utero B. M. V. per cooperationem specialem Spiritus Sancti sine ulla opera viri: & natus ex ipsa Virgine, ante partum, in partu, & post partum.

Super IV. Ab Joanne: *passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus*: sufficit credere, quod sub homine, cui, nomen Pilatus, Christus multa passus sit, quod fuerit crucifixus, deinde mortuus sit, & postea sepultus.

Super V. à Thoma: *descendit ad inferos: tertia die resurrexit à mortuis*: Sufficit credere, descendisse ad aliquas partes inferiores terræ, & tertia die resurrexisse.

Super VI. Ab Jacobo Alpei: *ascendit ad Cælos, sedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis*: Sufficit credere, ad Cælos post Resurrectionem ascendisse: & quod Christus post Ascensionem collocatus fuerit in summa post Deum Cæli

Cœli dignitate, & honore (quod per dexteram Dei hic videtur intelligi) nam Pater æternus non habet dexteram propriè dictam, ad quam sedeat Jesus Christus filius ejus.

Super VII. A Philippo: *inde venturus est judicare vivos, & mortuos*: Sufficit credere, quòd Christus aliquando venturus sit ad judicandos omnes homines, ut reddat unicuique juxta opera in hac vita facta.

Super VIII. A Bartholomæo: *credo in Spiritum Sanctum*: Sufficit credere, esse aliquam personam divinam, quæ sit Deus, non minus quàm Pater, & Filius, & tamen nec Pater, nec Filius sit, licet non sit alius Deus ab ipsis, sed idem Unus Deus.

Super IX. A Matthæo: *Sanctam Ecclesiam Catholicam*: Sufficit, & necessarium est credere, dari Congregationem fidelium à Christo institutam, quæ sancta est: & propter sanctitatem doctrinæ, & quia intra illam solam reperitur Sanctitas: & quia proponit, ac docet viam rectam acquirendæ Sanctitatis: & tandem, quia in ea sunt media, & instrumenta Sanctitatis, ut baptismus, aliæque Sacramenta; debet autem quis in particulari cognoscere, quanam Congregatio determinata sit Ecclesia: ut nos Catholici cognoscimus, & credimus, quod illa Congregatio fidelium sit Ecclesia, quæ pro Capite habet Summum Pontificem Rom. Christi Vicarium, & D. Petri successorem. Quæ Catholica, seu universalis dicitur, hoc est, communis omnibus, omnesque recipit, qui in eam per baptismum intrant, & per integritatem fidei perseverant; extra

quam salus non est, cap. firmiter de sum. Trinit. &c.

Super X. A Simone: *Sanctorum communionem, remissionem peccatorum*. Per *Sanctorum communionem*: Sufficit credere, quòd sit talis communio inter membra Ecclesiæ, ut Sanctorum, ac justorum orationes, & suffragia possint aliis, pro quibus orant, proficere: cum enim sint invicem membra, dum orant, dum laborant in via virtutum, non sibi tantum laborant, & dum patiuntur, etiam omnibus patiuntur. Vide supra cap. 8. num. 4. Quantum ad *remissionem peccatorum*, credi debet in Ecclesia peccata remitti per media, quæ ad hoc ipsa proponit: baptismus scilicet, pro remissione peccatorum originalis, & actualium ante baptismum: & Pœnitentiæ Sacramentum pro remissione peccatorum, post baptismum commissorum.

Super XI. A Thaddæo: *carnis resurrectionem*. Quæ sufficienter creditur, dum creditur, quod quilibet post mortem aliquando resurget, ad quod spectat credere animæ immortalitatem.

Super XII. A Mathia: *vitam æternam*. Quæ itidem sufficienter creditur, dum creditur, quod si moriemur in statu gratiæ, Deum in Cœlo facie ad faciem, ac intuitivè videbimus; quod bonis sit æterna beatitudo parata (quæ solet vitam æternam vocari) sicut malis pœna.

Quæ omnia debet fidelis credere propter rationem formalem fidei, nimirum, quia Deus summe verax revelavit Ecclesie Catholice; & Confessarius totus debet esse, ut pœnitens frequenter actus fidei sub illa causali eliciat, ut ita assue-

scat

scat ad credendum sub illa ratione; cui adiungere debet, ut ad minus sexies in anno Symbolum recitet; nam ex terminis decens apparet, & conveniens, ut saltem pro quolibet bimestri semel recitetur Symbolum, in quo continentur fundamenta nostræ fidei, quorum fides, & cognitio, utilis, & necessaria est ad rectè, & sanctè vivendum.

15. Quæritur, quid agendum Confessario cum penitente, qui ignorat necessaria scitu ad salutem?

Resp. Si ignoret necessaria, vel aliqua ex necessariis necessitate medii, sive sua culpa id evenerit, sive inculpabiliter omiserit, nullo modo potest absolvi. Ut valide absolvatur, debet prius instrui, ac ei ante absolutionem proponi, & ipse credere: quod Deus est, & remunerator sit, reddens bonis operibus premium vite æternæ, & malos æterna damnatione castigans: quod est trinus, & unus: quod Iesus Christus sit filius Dei, verus Deus, & verus homo, natus ex Virgine pro redemptione nostra: mortuus, postea resurrexerit, deinde ascenderit in Cælum, denique venturus Iudex; de quibus fides expressa exigenda est. Verùm, si potest absolutio differri ad aliud tempus, ut plenius instruat, differri debet, quia fortasse in angustia temporis non potest sufficienter instrui.

Si verò ignoret culpabiliter necessaria necessitate præcepti, ut Symbolum, Dominicam orationem, Sacramenta, decalogum, præcepta Ecclesiæ, & credat necessaria necessitate medii, si sumus in casu necessitatis, absolvi potest: modò de ignorantia, sicut de cæteris peccatis doleat, & se accuset de omnibus, quæ

addiscere neglexit, & firmiter proponat illa, quamprimum addiscere, cui est imponendum, ut in posterum adeat Parochum, vel doctrinam christianam frequentet, vel doctorem consulat, ut de omnibus instruat. Quòd si extra casum necessitatis versemur, ut extra mortis articulum, vel alium, iudicio prædentis Confessarii, est differenda absolutio, quousque illa sciat, nam tunc videtur esse in malo statu propter illorum ignorantiam voluntariam: quid incommodi tunc sequitur, quòd absolutio differatur?

16. Sed quæritur, accedit penitens in Paschate, quem non potest Confessarius instruere; quid agendum? si non absolvat, est in causa, ut non impleat præceptum Paschale, si absolvat, invalidè absolvit.

Resp. Si non potest eam de illis sufficienter instruere, differatur absolutio, & utatur facultate sibi data in cap. omnis utriusque sexus de penit. & remiss.

17. Sed quæritur, an sint repetende Confessiones factæ ab ignorantibus mysteria necessitate medii credenda?

Resp. Affirmativè; nam fuerunt omnes invalidæ, (licet invincibiliter ea ignoraverit) idèò eas omnes repetens debet se accusare, tam de numero vicium, in quibus omisit hõs actus fidei elicere, quam de numero vicium, quibus neglexit ea discere, & ad discendum erat obstrictus, ac de peccatis aliis in prioribus confessionibus expositis, ac confessionibus invalidis, & communio-nibus repetitis, &c.

CAPUT XV.

Prop. XXIII. ab Innoc. XI. &c.
Fides dispositio ad justificationem.

1. PROP. 23. Fides latè dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.

2. Dispositiones ad justificationem ad dictu enumerat Trid. sess. 6. c. 6. de justif. omninò legendum; ubi expressè statuitur, fides, timor divinæ justitiæ, spes, dilectio Dei, dolor de peccatis, & propositum suscipiendi baptismum (si non sit baptizatus) & si sit, confitendi peccata sua, inchoandi novam vitam, & deinceps servandi mandata divina; & cap. 7. statuit Sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contingit justificatio; & cap. 8. per fidem ideò justificari dicimur, quia fides est humane salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire.

3. Deinde, fides, quæ est dispositio ad justificationem, illa est, quæ est fundata in autoritate dicentis, & innixa divinæ revelationi, seu, qua creditur aliquid, quia Deus summe verax revelavit Ecclesiæ Catholicæ, & Ecclesiæ nobis proponit credendum, ut habetur ex alleg. cap. 6. Trid. ubi hæc sunt: disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia, & adjuvi fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt. Et D. Paulo ad Rom. 10. Omnis enim, qui in Matthæo de Cautela Confess.

vocaverit Nomen Domini, salvus erit: quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine predicante? Et infra: ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.

Quæ omnia probant necessitatem fidei Mysteriorum revelatorum: fides autem ab Authoribus propositionis asserta (quam fidem esse negamus) non innititur divinæ revelationi, nec est fides Mysteriorum, quæ Apostoli predicarant, & Ecclesiæ credenda proponit; adeoque non ex auditu concepta, & per propositionem Ecclesiæ, sed pura cognitio de Deo habita ex creaturis; quæ naturaliter, & sine gratia supernaturali Dei potest de ipso haberi, ut est Author naturæ, & largitor bonorum naturalium; ideò cum naturalis sit, & habita ex viribus naturæ, nec sit Dei cognitio, ut Authoris supernaturalis gratiæ, & gloriæ, improporionata est ad disponendum ad justificationem supernaturalem, ad quam necessaria est fides supernaturalis, tam ex parte principii, seu auxilii ad eam concurrentis, quàm ex parte objecti, & motivi.

4. Sed queritur, unde cognosci potest, quod fides sit supernaturalis?

Resp. Quòd sit talis, ex parte motivi, & objecti colligitur, si sit assensus objecto à Deo Ecclesiæ Catholicæ revelato, & per Ecclesiam nobis proposito, ut credatur; cujus notitia haberi non potest ex creaturis, vel ex naturali motivo, aut ratione, sed solum dependenter à divina revelatione, & per propositionem Ecclesiæ.

Fides igitur actualis, quæ est dispositio

(Y y)

tio

tio ad justificationem, est actus innixus divinæ revelationi, proponens voluntati objectum, circa quod debet ipsa supernaturaliter operari, seu conducens ad excitandam voluntatem ad reliquos actus supernaturales, disponentes ad justificationem, timorem scilicet, spem, dolorem de peccatis, & amorem Dei, &c. cujuscumque est actus, quo creditur: Deum esse justissimum, misericordem, infinitè bonum, & Christum omnes redemisse satisfecisse pro nobis, ac meruisse gratiam, & gloriam omnibus sufficienter, quia Deus summè verax revelavit Ecclesie Catholicae, & hæc nobis proponit id esse à Deo revelatum.

An autem sola revelatio divina, an etiam veracitas Dei, vel hæc sola sit motivum formale fidei? Est questio inter Theologos; Confessario sufficit scire, quòd fides, quæ est dispositio ad justificationem, debet inniti divinæ veracitati revelanti, vel revelationi: ut motivo formali credendi, & propositioni Ecclesie, ut conditioni, sine qua non crederetur.

§. Et si queratur, quid sit divina revelatio?

Resp. Est locutio Dei, vel signum, quo significat se habere talem, vel talem conceptum de tali re: nec semper eodem modo id significat, juxta illud ad Hebr. I. Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissimè diebus istis locutus est nobis in filio; super quo consulat Theologos in tract. de fide.

CAPUT XVI.

Prop. XXIV. & XXV. ab Immo. XI. &c.
Juramentum.

1. PROP. 24. Vocare Deum in testimonium mendacii levis, non est tanta ir-reverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

PROP. 25. Cum causa licita est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

Graves, & multe excitantur à summis difficultates circa naturam juramenti; ex quibus aliquas, & fortasse magis in praxi communes pro promissa Confessarii instructione, sequentibus aperio.

2. Queritur, quid, & quotuplex sit juramentum?

Resp. Juramentum ex D. Thom. 2. 2. qu. 89. art. 1. est invocatio divini testimonii, in confirmationem alicujus rei, ut, dicti, vel facti, vel promissionis: & ideo jurare est libere Deum in testem adducere ad confirmandam veritatem propositionis, quam quis profert. Quòd inventum est ad confirmandam veritatem, quantum fieri potest, testimonio firmissimo, & infallibili, cujuscumque solius Dei est: dicitur juramentum ex D. Thom. ibidem, quatenus jure introductum est, ut, quòd sic confirmatur, habeatur pro verò; & propterea dixit Apostolus ad Hebr. 6. omnis controversia finis (inter homines) est juramentum.

Si divinum testimonium adducatur in confirmationem alicujus rei presentis, vel preterite; ut, per Deum Petrus currit: per Deum fui ad gymnasium: jura-

juramentum dicitur *assertorium*; per quod intenditur tantum, ut fides adhibeatur suis dictis. Si verò adducatur in confirmationem alicujus rei in futurum faciendæ: ut, *per Deum tibi mense futuro dabo decem*: per Deum te in matrimonium ducam: juramentum est *promissorium*: & hic ulterius intendit quis se alteri obstringere ad aliquid. Si adducatur in confirmationem voluntatis, qua quis se obligat ad dandam alicui pœnam: ut, *per Deum te occidam, nisi feceris hoc*; juramentum est *comminatorium*. Et *execratorium*, eum adducitur Deus, non, ut purus testis, sed, ut testis vindicans falsitatem, in casu, quod sit falsum illud, quod quis asserit; ut, *Deus me occidat, si hoc est falsum*: *Deus me non adjuvet, si cras non venero*. Hoc juramentum per DD. fit, etiam invocando creaturas, in quibus elucet justitia Dei, ut ab illis puniatur in casu falsitatis illius, quod asseritur: ut, *Damon me portet*; *pestis me absumat*, &c. si res non ita sit.

Juramentum promissorium dividitur in *dolosum*, *incautum*, & *coactum*: *dolosum* est, quod ab aliquo fit cum animo non faciendi, quod promittit *inramentum*, nec ad illud se obligandi. *Incautum*, quo quis jurat aliquid facere, quod non potest licite jurare, ut, si juret adulterare, occidere, &c. juramentum enim non est vinculum iniquitatis. *Coactum* autem est, ad quod aliquis vi, vel metu cogitur. Præterea datur juramentum *calumnia*, quod à litigatoribus præstari solet: & est id, quo quis jurat, quod non per calumniam litem suscipiat. Et juramentum *solemnne*, quod fit coram Judice, de quo DD.

3. Quæritur, quanam sint conditiones comites juramenti, quibus concurrentibus jurare sit licitum?

Resp. *Veritas, justitia, & judicium*, ex illo Jeremia 4 *jurabis: vivit Dominus in veritate, & in judicio, & in justitia*. Requiritur *veritas*, ne quid falsi juretur, aliàs foret perjurium; nam juramentum in confirmationem falsiperjurium est; ideo, ut sit verum, debet conformari cum intellectu jurantis. *Per veritatem* intelligitur, quod jurans arbitretur, & existimet esse verum, quod juramento asserit; seu, quod res talis sit in mente jurantis, qualis affirmatur per verba, v. g. *juro: per Deum Petrus est domi*: debeo in mente, ut certum habere, quod revera sit domi, vel prudenter existimare, quod sit domi, si verò casu domi non sit, & ego firmiter ex errore inculpabili teneam esse, juramentum est formaliter verum, licet non materialiter: nam, sicut tunc non mentior, nec aliud ore profero, & aliud in mente habeo: sic, nec Deum in testem falsi adduco; è contra verò: si Petrus domi, & ego teneam non esse: si juro esse, sum formaliter perjurus; nam tunc deest veritas ad juramentum requisita, & sic adduco Deum in confirmationem falsi; quæ deest quoque, quando quis jurat tamquam certum, cum ipse sit dubius, quia revera mentitur, cum asserat, ut certam rem, de qua est dubius.

Item, dum juro me daturum Petro centum, vel me facturum Clericum, debeo prudenter existimare me posse illa dare, ac esse mihi possibile Clericatum assumere: & insuper habere intentionem jurandi, me obligandi, & adimplendi, seu

faciendi, quod juramento promitto; quæ dicitur veritas dicti, necessaria etiam in promissorio, quæ assertorium est.

Per *justitiam* intelligitur, quod res, quæ juramento confirmatur, non sit contra aliam virtutem; seu in eo consistit, quod juramento non promittatur aliquid, quod sit iniquum, & illicitum: unde, si juro me facturum aliquid, quod sit peccatum mortale, pecco. Quæ conditio pertinet ad juramentum promissorium, cuius *justitia* exigitur, ut res, quæ promittitur, non sit illicita.

Per *judiciam* verò intelligitur, quod adhibeatur diligentia, ut cognoscatur, an hic, & nunc sit jurandum; Nam, qui in rebus faciendis talem diligentiam adhibent, dicuntur procedere cum iudicio; & idè iudicium juramenti in hoc stat, ut non juretur, nisi adsit aliqua necessitas, vel utilitas ad jurandum.

4. Sed quæritur, *an defectus iudicii in juramento, vel jurare sine causa, & necessitate sit mortale?*

Resp. Per se non est mortale, sed solùm veniale, quia levis irreverentia Deo irrogatur ex eo, quod ejus nomen sine utilitate, & necessitate invocetur. *Campion. p. 2. cap. 35. num. 3.*

5. Sed quid, *si desit iudicium, seu non adhibeatur diligentia ad videndum, an sit verum, & iustum, quod juratur?*

Resp. Est mortale ob periculum jurandi fallum, & iniquum, etiam si contingeret, quod esset verum id, de quo juratur, quia per accidens esset, quod esset verum, & licitum.

6. Quæritur, *an in juramento assertorio deus parvitas materia, seu, an advertenter jurare falsum in re levi, ex-*

cuset à mortali: interrogor, an viderim Petrum currere, quem vidi, sed cum juramento nego: per Deum non vidi: requirit à me aliquis pusillum tabaci, quem habeo, & ego id nego: per Deum non habeo.

Resp. Negativè; nam semper est mortale; patet ex decret. Innoc. vocare enim Deum in testem falsi, etiam causa joci, est gravissima ejus injuria, quia est summa veritas, cui infinitè falsitas repugnat; & idè sic jurans est per jurs propter defectum veritatis; etenim perjurium strictè sumptum est jurare contra mentem, hic autem contra mentem jurat; nam in mente habet se habere Tabacum, & ore id cum juramento negat.

7. Sed quæritur, *an in juramento promissorio in re levi à mortali parvitas materia excuset, ut, si jurem me daturum Petro acum, & non intendam dare?*

Resp. Etiam in juramento promissorio ex dictis, est necessaria veritas dicti, hoc est, intentio jurandi, animo se obligandi, & adimplendi, quod quis promittit; idè, si juratum dare, debet, dum jurat, habere similes intentiones, alias mentitur, & Deum vocat in testem falsi.

8. Sed quæritur, *an teneatur postea acum dare, adeò ut si non det, peccet mortaliter, & perjurus sit?*

Resp. Sententia aliquorum est; quod si, dum jurat dare, habet intentionem jurandi, se obligandi, & animum exequendi, quamvis postea, mutata voluntate, non det, peccet venialiter propter parvitatem materia; cum non videatur Deo gravis irreverentia irrogari. Quæ sententia non placet, Cajetano, Poncio, Quilici, & aliis. Cum quibus sentimus. *Falsi.*

Falsitas alterius sententiæ patet; nam in iuramento promissorio duplex veritas reperitur, una dicti, & intentionis; ut quis nimirum, dum iurat, verum dicat, hoc est, habeat intentionem iurandi, promittendi, & animum exequendi, quod promittit; alia facti, & executionis, ut tempore suo impleat, quod iuramento promissit: per istam distinguitur ab assertorio; nam assertorium obligat solum ad dicendum verum, promissorium autem, etiam ad faciendum postea, quod promittitur. Unde, si a cum non det, mortaliter peccat contra secundam veritatem iuramenti; videtur enim gravis irreverentia non facere id, ad quod faciendam adductus est Deus in testem, & fidei iuramentum. Tum quia, iurans assertorie, quod Petrus dormit, peccat mortaliter, si verum non sit, quamvis sit res parvi momenti, quod Petrus dormiat, vel non, quia adducit Deum in testimonium falsi: ergo promittens facere rem parvi momenti, mortaliter peccat si non fecerit, quia adducit Deum in testem, quod sit facturus talem rem.

9. Dices, esse discrimen inter iuramentum assertorium, & promissorium, quod iurans assertorie falsum, mentiatur, & perjuret perjurio proprie dicto, non implet autem iuramentum promissorium non mentiatur, nec perjuret, sed solum sit infidelis?

Resp. Etiam si totum concedatur, non sequitur eum non peccare mortaliter; nam, sicut adducens Deum in testimonium falsi, peccat mortaliter, sic dans ipsum pro fidei iustore adimplendi promissum, debet mortaliter peccare, si non impleat, quia gerit Deo gravem irreve-

rentiam facit (licet non tam gravem, quam perjurando, & peccat contra secundam veritatem iuramenti; potestque dici per iurum, non in sensu proprio, & quatenus iuret contra mentem, sed solum quatenus perjurium capitur pro animo non implendi, quod iuravit, eum deberet implere; seu, pro defectu non adimplendi suo tempore, quod iuravit quis se facturum.

10. Dices, ergo sequitur, quod iurans recitare unum Ave peccet mortaliter, si non recitet?

Resp. Affirmative; nam, cum res promissa, licet parva in se, sit tota materia iuramenti, si omittatur, deficit tota veritas secunda iuramenti, & gravem facit Nomini divino irreverentiam, cum vocet in testem, se Ave recitare, & postea non recitet: dixi licet parva in se, quia ut subest iuramento, est assumpta, ut quoddam totum.

11. Sed quid, si iures Rosarium dicere, & unicum Ave omittas?

Resp. Si non intendis recitare Rosarium integrè omnino, tunc mortaliter non peccas, omittens, quod respectu integri Rosarii, est materia parva. Vid. Cajetan. ad loc. cit. D. Thom. art. 7. Quilici confess. manud. qu. 15. art. 2. nu. 4. Ponticium disp. 60. q. 5. num. 55.

12. Queritur, an iurans sine intentione iurandi, seu invocandi divinum testimonium in confirmationem rei, que assertur, peccet mortaliter?

Resp. Affirmative, juxta decret. Innoc. damnantis 25. prop. nam tunc mentitur, cum in mente habeat aliud, quam hic, & nunc verba significant. Nota: cum dicis, per Deum eras tibi tabo centum, tria-
(Y y) 3 hac

hæc verba significare. 1. Te invocare divinum Nomen in confirmationem tuæ promissionis. 2. Te habere animum promittendi & te obligandi, & 3. Te habere animum exequendi. Sicut igitur, si dum juras dare, non habeas animum jurandi, te obligandi, & intentionem exequendi, mentiris, & vocas Deum in testem mendacii, ex quo verba hæc, & nunc significant te habere talem animum: ita, dum juras: *per Deum dabo centum*, sine intentione adducendi divinum testimonium in confirmationem veritatis, mentiris, quia habes in mente aliud, quam hæc, & nunc verba significant; cum significant te adducere divinum testimonium in confirmationem propositionis, quam proferas, & aliud intendis.

13. Sed quaeritur, *requiritur ne, quod habeam expressè hanc intentionem, volo jurare; seu invocare Deum in testimonium meæ promissionis?*

Resp. Crediderim sufficere, quod voluntariè proferas illa verba juratoria, quæ ex se significant, quod Deus invocetur in testimonium promissionis, vel dicti; nam, cum hæc verba: *per Deum Petrus est domi*, sint de se significativa, quod invocetur Deus in testimonium, quod Petrus sit domi; certè qui talia proferat, jurat: & perjurat, si, cum id dicit, putet ipsum non esse domi; audientes enim illa verba, intelligunt ipsum jurare, & habere intentionem jurandi. Fagnan. in 5. ad cap. falsidicus de crimine falsi nu. 120. Et de la Cruz direct. cons. de juram. conc. 1. dixit ut quis verè juret, non est necesse, ut velit sic explicite Deum in testem per juramentum adducere, sed sat est, ut intendat facere, quod alii faciunt, quando

jurant; aliàs plures possent se excusare ab implemento juramentorum; nam possent dicere, se ignorasse per juramentum adduci Deum in testem; ex quo plura absurda orirentur in humana societate, & divinum testimonium contemneretur.

14. Quaeritur, *quid agendum Confessario cum habente consuetudinem jurandi?*

Resp. De hoc vide infra cap. 37.

15. Quaeritur, *an mortaliter peccent nobiles, & Aulici, qui, dum simul ambulaturi, procedunt, jurans se non ituros ad dexteram, non se suos primo loco: per Deum non ibo; & per Deum non ledebo; & postea vultu aulicissimo, & invitatione dexteram, & primum locum accipiunt?*

Resp. Si, dum jurant non habent intentionem jurandi, & se obligandi ad non capiendum primum locum, mortaliter peccant, ex defectu veritatis juramenti; si verò habent intentionem jurandi, sed non animum se ad id obligandi, pariè mortaliter delinquant, ut notant Gabriel. & Sum. Leand. *ver. condit. juramen. num. 105.* ex eo, quod adducant Deum in testem falsi, & fidei iustorem promissionis non intencæ; quod id mihi certum videtur: quia dum jurant, non modò vocant Deum in testimonium se habere voluntatem non accipiendi dexteram, sed etiam illam non capiendi: quare, dum postea eam accipiunt, faciunt contra veritatem facti, & executionis juramenti. Nec obstat, quod sit res levis: quia semper deest veritas executionis juramenti; & quo ad hanc Deus in testem falsi vocatur.

Nec est dicendum juramentum esse virtua-

virtualiter conditionatum, quod scilicet non sint acceptari, nisi pars inflet, vel ipsa primum locum recuset. Nam hæc conditio non videtur rationalis, & sufficiens ad non implendum juramentum; aliàs quavis juramenti obligatio posset eludi.

Non negamus in juramento promissio, licet absolute facta, aliquas tacitas conditiones contineri. 1. Si potero, & quidem licite, ex cap. querelam de jurejurando.

16. Sed quid, si una pars sit possibilis, & alia impossibilis, ut si promissisti dare centum, possis dare solum quinquaginta, an quoad totam summam subintelligatur ea conditio?

Resp. Negativè, sed teneris ad quinquaginta: nam utile per inutile non vitiat, si utile ab inutili separari possit, ut in casu ex regula 37. jur. in 6.

II. Conditio est; salvo jure, & auctoritate Superioris, si ob justam causam velis juramentum relaxare, vel dispensare, arg. ex cap. non est de voto: ubi non dicitur voti transgressor, qui, quod dedit, auctoritate Sedis Apostolicæ distulit adimplere.

III. Nisi is, in cujus gratiam, & utilitatem juramentum est factum, obligationem remittat.

IV. Si in eodem statu permanserit, sive notabiliter non mutetur: sumitur ex cap. veniens: cap. Brevi, ac cap. quemadmodum. de jurejurando.

17. Quæritur, an graviter peccent mercatores, dum jurant rem sibi tanti, vel tanti steterisse: gr. animum, vel vinum non esse mixtum: equum non esse vitiosum: rem venditam non esse antiquam &c. dum aliàs

affirmant, se non posse justum pretium ab emptoribus obtinere?

Resp. Affirmativè, si contra veritatem jurent, nam contra eam nulla ratio est jurandum. Sæpe similibus juramentis emptores decipiunt, & ut plurimum pretium exigunt ultra justum; propter quod ad restitutionem tenentur.

18. Quæritur, an mortaliter peccent filii, & uxores, quæ, ne cognoscantur sua muneri non satisfecisse, ad conservationem pacis domestica, & evitacionem rixæ, & ne a parentibus, ac maritis duris verbis tractentur, mendaciter cum juramento negant hoc, vel illud dixisse, fecisse, aut vidisse, ut; per Deum non vidi: illud feci &c.

Resp. Affirmativè, nam mentiuntur, & Deum invocant in testimonium mendacii. Unde totus debet esse Confessarius ad similes jurandi abusos tollendos, eis significando gravitatem perjurii. & quod, dum similia agunt, Deum graviter offendunt.

19. Quæritur, an obliget juramentum extortum vi, & metu, injustè à causa extrinseca illato, etiam cadente in virum constantem, ut, si quis ex metu mortis, juramento promittat latroni, volenti eum occidere, dare centum?

Resp. Affirmativè; habetur expressè cap. si verò, & cap. verum de jurejurando: & juramentum in casu ob reverentiam divini Nominis est implendum: nam res jurata non est illicita, & potest impleri sine peccato dantis, & recipiens potest non recipere; & si recipiat, contra justitiam ex sua malitia peccat: quemadmodum peccavit, quando illum coegit jurare.

20. Sed

20. Sed quid dicendum, si latro coegisset, ut etiam juraret ad non repetendum.

Resp. Tunc non posset repetere, sed deberet latronem Principi denunciare.

21. Sed quid, si etiam excepisset juramentum de non denunciando?

Resp. Juramentum esset illicitum, & ideo non servandum: ex cap. ad nostram il. 2. de juram. Et D. Thom. cit. artic. 7. ad 3. quia est contra justitiam publicam, & in damnum Reipublicæ.

22. Sed quid dicendum, de eo qui juravit solvere usuras. Vid. lib. I. cap. 31. num. 43. & infra cap. 24.

23. Quæritur, quot peccata committit, qui jurat peccare mortaliter, occidere, adulterare, &c.

Resp. Si non habet intentionem jurandi, nec implendi juramentum, peccat mortaliter peccato perjurii, quia deficit veritas juramenti; si vero habet intentionem jurandi, & implendi juramentum, tria mortalia committit: unum, gravis irreverentiæ in Deum adducendo ipsum in testimonium actus mortaliter illiciti: aliud, intendendo se obligare per juramentum ad peccatum mortaliter; & tertium, habendo intentionem peccandi mortaliter.

24. Sed dubitatur, an in casu juramentum obliget?

Resp. Negativè; nam juxta regul. 58. juris in 6. non est obligatorium contra bonos mores, præstitum juramentum: quia non est institutum, ut sit iniquitatis vinculum 22. quæst. 1. cap. inter cetera: absurdum enim est, quod quis obligetur ad peccandum.

25. Sed quid, si juramentum sit de

re indifferenti, nec bona, nec mala: ut, si jurem levare à terra festucam, ad molendinum, vel officinam alicujus non ascendere?

Resp. Si habuit intentiones requisitas ad veritatem juramenti, tenetur illud implere, quia justitia in juramento erigit, ut non sit de re illicita, sed res indifferens non est illicita, ergo juramentum de re indifferenti obligat: nil enim mali est in adimplemento. Contraria sententia defenditur à Layman. lib. 4. tract. 3. cap. 6. num. 3. sed prima est tutior: nec est paritas de voto; quod cum esse debeat de meliori bono, de re indifferenti non obligat, ex dicendis lib. 3. cap. ult.

26. Quæritur, quot peccata committit Pater jurans se occisurum filium?

Resp. Si absque intentione juravit, est perjurus, & sacrilegus contra veritatem juramento debitam; si cum intentione, tria peccata committit: unum, quia violat justitiam juramenti, jurans se re illicita, (& in hoc patet peccat contra Religionem) secundum, quia violat justitiam commutativam intendens inferre mortem proximo: & tertium, quia violat pietatem; intendens inferre mortem filio: & tot numero peccata committit, quot sunt numero filii.

Adverte, quod, dum parentes jurant se castigaturos filios, possunt etiam eos non castigare, quia in tali jurata promissione implicitè continetur hæc conditio: nisi veniam rogent: nisi se emendaverint &c. nec tunc peccant; modo, quando juraverunt, habuerint intentionem jurandi, & castigandi sub ea conditio.

ditione, arg. ex cap. pervenit il 2. de iur. iur.

27. Quæritur, an peccet mortaliter Princeps Christianus petens juramentum à Rege idololatra, parato jurare per falsos Deos?

Resp. Negativè, sic D. Thomas 2. 2. quæst. 98. art. 4. ad. 4. ex quo notetur; quod, dum ego, V. G. cum Petro debeo aliquod opus facere, quod prohibitum est, non mihi, sed Petro, peccabo, si absque urgenti necessitate & spontè concurrat simul cum Petro ad tale opus, nam cooperabor peccato illius, & illum ad peccatum inducam. Si verò habeam necessitatem concurrendi cum ipso, tunc ego utor malo Petri in meum bonum, vel utilitatem Reipublicæ; modò: Rex idololatra, & Christianus debent pacem jurare: Christianus ab eo petit juramentum ad tuendum suum jus, & in bonum Christianæ Reipublicæ utitur jure suo, ac juramento malo idololatræ, sibi providet ad proprii negotii securitatem; neque intendit peccatum Idololatræ, seu venerationem Idoli, sed solum bonum publicum, & confirmationem pacti per verba externa. Sic Abram recepit juramentum à Labam Idololatra ad pacem suæ posteritatis. Genesis 31. Judex etiam ex officio (non persona privata) propter utilitatem Reipublicæ potest à reis paratis perjurare juramentum exigere, aliàs, nimis Republica perturbaretur: nam rei, ut se eximerent ab interrogationibus Judicis, fingerent se velle perjurare: & hinc quæ mala in Republica non forent?

28. Quæritur, accedit penitens, & se accusat: Pater sui captivus apud Tur-Matibaucci Cuncta Confess.

cas, juravi meo domino ad ipsum redire post sex menses, modò sextus currit, quid agendum mihi est?

Resp. Debes redire, ad id enim te obligat juramentum, & debes potius etiam mortem subire, quam illud non implere, propter quod es ad istud tempus dimissus. Idem dicitur de eo, qui juraret redire ad carcerem, etiam si esset morte afficiendus justè, aut injustè; nam si non jurasset redire, non fuisset ad tempus dimissus, & sic morte, si vè justè afficeretur.

29. Sed, nonne possem in primo casu petere relaxationem, & dispensationem?

Resp. Negativè, nam teneris vitare scandalum, quod oriretur in infidelibus de Christiana Religione.

30. Quæritur, penitens se accusat: Pater, juravi dare decem Francisco, sed dubitò, an habuerim intentionem me obligandi, vel exequendi: quæro, an tenear dare?

Resp. Affirmativè, teneris eligere tutiorem partem, & juramentum servare; nam in dubiis tutior pars est eligenda.

31. Sed quid dicendum si afferat: juravi me ducturum Bertam, sed postea fornicationem commisit: peto, an tenear eam ducere?

Resp. Negativè, ex cap. quemadmodum de iur. iur. nam de novo emergit aliquod impedimentum, ut ait D. Thomas cit. quæst. 89. art. 7. ad. 2. Penitens, non prævidit fornicationem feminae, cui juramento se obtinuit; & consequenter non se obligavit ad ducendam fornicariam; aliàs, si post juramentum

(Z z)

fieret

fieret meretrix, deberet eam ducere, quod est falsum; prudenter enim præsumitur deobligari jurantes, quando supervenit aliquod impedimentum, quo stante, si à principio de ipso potuisset haberi notitia, non fuisset practicum juramentum.

32. Quæritur, penitens se accusat: Pater, juravi me non facturum Religiosum, ducturum uxorem, non erogaturum elem. synam notabilem, non daturum mutuo. & similia, quæro, an tenear ad juramentum servandum, & an peccaverim, quando juravi?

Resp. Idem D. Thomas cit. ad 2. his verbis, ait, si quis juret, se non facturum aliquod melius bonum, quod tamen facere non tenetur, peccat quidem jurando, in quantum ponit obicem Spiritui Sancto, qui est boni propostus inspirator: non tamen peccat juramentum servando, sed multo melius facit, si non servat: unde in casu peccat contra justitiam juramenti, quia, etsi malum non sit in seculo vivere, & nubere &c. malum tamen est se firmare in proposito non eligendi bonum melius. Hinc regula generalis est, Quod juramenta incauta (quibus, quis jurat se non facturum, quod esset melius facere, licet non teneatur illud facere) non obligant: ratio est, quia sunt in præjudicium animæ, & non pertinet ad Dei reverentiam, ut fiat opus minus bonum, omnino meliore.

33. Dices, contra hoc videtur esse textus in cap. commissum de sponsalib. ubi Pontifex respondens dubio, quod quidam, præstito juramento, promisit mulieri se contrahaturum cum ipsa infra

biennium: & postea cum promissioni non let stare, sed transire ad Religionem, ant: tutius est ei, Religionem juramenti servata, prius contrahere, & postea ad Religionem ante consummationem copula migrare: ergo juramentum de contrahendo matrimonio obligat.

Resp. Pontifex dicit esse tutius, quia cum biennium esset in fine, poterat contingere, quod, nec contraheret, nec intraret Religionem, & ideo responderet, tutius est, quod contrahat, & postea poterit ad Religionem transire; si autem non contrahat, & Religionem intrat, non peccat, nec juramentum infringit, sed in melius commutat, ut ibi Glot. in verb. tutius, & cap. pervenit. 2. de iurejurando; promissio enim videtur virtualiter conditionata: nisi mutetur in melius.

34. Quæritur, an firmans sua dicta hac formula: peccam, si non ita sit, ut dico: per salutem meam est verum: juret?

Resp. Affirmative, quia sensus est: Deus me interficiat, vel vita privet, si non est verum, quod dico; hic adducitur implicite Deus in testimonium proprii dicti: nam jurare, est adducere Deum in testem, vel explicitè, ut iuro per Deum: testor Deum: Deus sit mihi testis &c. vel implicitè, cum iuras per creaturas; nam tunc non iuras adducendo eas in testimonium infallibilis veritatis, quia ipsæ infallibiles non sunt, sed iuras peccas, ut in eis representatur Deus; & sic implicite invocatur in eis Deus; pro quo

Nota, quod quoties iuratur per creaturam, quæ aliquam insignem dignitatem

tem habet à Deo, & in qua excitatur, quodam modo peculiariter in nobis memoria Dei, vel ejus attributorum, tunc est relatio ad Deum, & est verum juramentum: ut, si jures: *per Evangelium; per fidem Christi: per Beatos: per Sacramenta: per Sanctissimam Virginem: per Sanctam Crucem, per fidem Catholicam &c.* nam juras per res, in quibus Deus, ejusque Sanctitas elucet, & specialiter in Deum referuntur; Ad quod reducitur, si creaturis addas Deum: ut *per ignem Dei &c.* ipsa enim explicita nominatio Dei, ipsum invocari probat.

35. Sed quid de eo, qui hac usitur: Deum me asportet, si non est verum?

Resp. Jurat, quia implicite invocatur Deus, ut sit vindex falsitatis, & falsitatem castiget, exercendo per eum suam justitiam: sicut etiam juramentum est dicere *per salutem meam;* nam sensus est; *Deum me salute privet, si non est verum;* & ideo implicite, & inconfuse Deus invocatur: quemadmodum credo juramentum esse: *per animam meam,* quia censetur, quod quis velit specialiter obligare Deo animam suam, ut ipsam damnet, si non est verum.

36. Sed quid, si dicat: in mea conscientia: in fide boni viri, ita est?

Resp. Non jurat, quia sensus est: loquor, ut decet bonum virum, seu juro in mea conscientia, id est, loquor, quod scio esse conforme meae conscientiae, & cognitioni.

37. Sed quid, si dicat: juro: ita est?

Resp. Crediderim jurare, nam audientes id intelligunt,

38. Sed quid, si dicat: vivit Deus:

Deus est veritas: coram Deo loquor; Deus scit?

Resp. Si haec sumantur invocative, utpote invocando divinam praesentiam, scientiam, & veritatem in testimonium asserti, jurat; non vero, si sumantur enunciative, & per modum narrationis: ut, *Deus scit, Deus videt, quod non mentior: ego loquor coram Deo, seu Deum pra oculis habeo ad non mentendum;* quando autem uno, vel altero modo sumantur à circumstantiis colligitur; & particulariter, quod sumantur invocative, cum exigitur juramentum.

39. Sed quid, si dicat, hoc est tam verum, quam Deus, quam Evangelium.

Resp. Si credat, quod veritas sui dicti sit tanta, quanta est veritas Dei, & Evangelii, est haereticus: si vero interne id non credat, & ore proferat, est blasphemus haereticus. Quod si intendat confirmare suam veritatem veritate divina, nimirum, quod ita suo modo, & in linea finita veritatis, sit verum, quod asserit, sicut in linea infinita veritatis, Deus est verus, jurare non est dubium; sed à simili modo loquendi abstinendum omnino est.

40. Sed quid de jurante: nego Deum, nisi hoc, vel illud fecero: nisi vindictam sumam de meo inimico &c.

Resp. Triplex peccatum committit; unum, contra justitiam, dum vult proximo malum inferre; vel contra eam virtutem, cui malum propositum opponitur. Secundum, contra reverentiam Deo debitam, dum vocat in testimonium sui iniqui propositi. Tertium blasphemiam,

(Zz) 2

miæ, qua divinam bonitatem vilipendit; & Dei existentiam, & fidem de ipso vult, quasi pendere ab executione mali propositi; & insuper peccato scandali, dum dat occasionem audientibus, ut concipiant eum vilipendere, ac Deum contemnere.

41. *Quæritur, quinam possint relaxare juramenta?*

Resp. I. Juramentum factum in favorem tertii, ab isto potest relaxari. II. illud factum in Dei gloriam, potest quilibet commutare in rem evidentem meliorem: sic, qui juravit dare Ecclesiæ calicem æneum, satisfacit tradendo argenteum, & per se junium in pane, & aqua satisficit juramento de jejunando absolute, *V.l. 3. c. ult.*

42. *Quæritur: an reus interrogatus ab Judice teneatur veritatem fateri, & jurare, si Judex juramentum exigat?*

Resp. Responsio habetur ex D. Thoma 2.2. *quest. 69. art. 1.* in corpore. Ubi: Quicumque facit contra debitum justitiæ, mortaliter peccat. Pertinet autem ad debitum justitiæ, quod aliquis obediat Superiori, in iis, ad quæ jus Prælationis se extendit. Judex autem est Superior respectu ejus, qui judicatur; & ideo accusatus tenetur Judici veritatem exponere, quam ab eo secundum formam juris exigit; & ideo, si confiteri noluerit veritatem, quam dicere tenetur, vel, si eam, mendaciter negaverit, mortaliter peccat.

Si verò Judex hoc exquirat, quod non potest secundum ordinem juris, non tenetur accusatus respondere; sed potest, vel per appellationem, vel ali-

ter licite subterfugere; mandatum autem dicere non licet. *Et ad tertium habet:* qui mentitur in judicio, ut le a morte liberet, non solum facit contra dilectionem Dei, cuius est iudicium, & contra dilectionem proximi, ex parte Judicis, cui debitum negat, sed etiam ex parte accusatoris, qui punitur, si in probatione deficiat.

43. *Sed peritur, quando Judex censeatur interrogare secundum formam juris?*

Resp. *Idem S. D. ibidem art. 1.* in corpore, ait: dicendum, quòd aliud est veritatem tacere, aliud est falsitatem proponere, quorum primum in aliquo casu licet. Non enim aliquis tenetur omnem veritatem confiteri, sed illam solam, quam ab eo potest, & debet requirere Judex secundum ordinem juris: puta, cum præcessit infamia super aliquo crimine: vel aliqua expressa indicia appaerint: vel etiam, quum, præcessit probatio semiplena. Falsitatem autem proponere in nullo casu licet. *Ex his Confessarius discurret.*

44. *Quæritur, an juramentum factum per errorem, ignorantiam nimirum, non causatam fraude alterius; aut per dolum, hoc est ignorantiam fraude alterius causatam obliget?*

Resp. Negativè: ratio est, quia sic jurans, non jurat absolute se facturum, sed ex hypothesi, quod ita sit res, sicut ex errore, aut dolo concipit ipsam esse, ergo, cum ita non sit, non ponitur conditio; & sic non tenetur adimplere; nec peccat jurando, si ceteræ conditiones habeat.

habeantur ad rectè jurandum requisita. Hinc fit, quòd dum juras dare elemosynam Petro, quem credis pauperem, non teneris implere, dum reperis esse divitem, & non egere; quia præcisâ ignorantia non te obligasset. Ita vinculo juramenti non ligantur, qui vi, fraude, vel dolo inducuntur jurare: nam dolus, & fraus sunt causa promissionis, quibus præcisâ, nec promississent, nec juramento promissionem confirmassent. Deducitur ex cap. Cum contingat de jure jurand. Ubi deciditur servanda esse juramenta, sine vi, & dolo spontè præstita, cum in alterius præjudicium non redundant, nec observata vergunt in dispendium salutis aeternæ. Ergo à contrario sensu inferitur: quod juramenta vi, & dolo extorta, & non spontè præstita non ligant; quia, cessantibus hujusmodi circumstantiis, præstita non fuissent. Natal. Alex. Theolog. dogmat. t. 2. lib. 4. cap. 1. art. 3. regul. 10. Cæterum istis etiam in casibus tutius est, si petatur absolutio, ut docent plures DD. cum S. Anthonino p. 2. tit. 10. cap. 6. Nam juramentum, etiam dolo extortum, decet religiosas mentes habere, ut probat exemplum Josue, & Prineipum Israël. Josue 9. qui circumventi dolo Gabaonitarum pacem ipsis, & incolumitatem jurarunt: quam, etiam comperto dolo, servarunt propter religionem juramenti, volentes ex reverentia erga Deum verificare ea, quæ per nomen ejus promiserunt, ut per Gonzalez in 2. tit. 24. cap. 6. n. 3.

45. Quæritur, An detur obligatio aliquando jurandi, adeo ut quis peccet, nisi juret?

Resp. Per se hæc obligatio non datur;

potest tamen per accidens quis ad jurandum obligari, ut, cum sine juramento non potest servari charitas. Ideò tenemur jurare, ubi vel lex, vel præceptum superioris ad id obligant; aut cum agitur de salvando innocente; tunc enim ratio naturalis dicitur esse jurandum, & proximo innocenti succurrendum.

Per illud autem Christi Matth. 5. Ego autem dico vobis non jurare omnino. Christus non damnat absolute juramentum, sed reprobatur Judæorum abusum, qui putarunt, nihil esse in juramento cavendum præter mendacium; & propterea in rebus levissimis, & absque necessitate sæpissime jurabant, & ab aliis juramenta exigebant. Hujusmodi abusus à Christo improbatur; instrumurque ab juramento abstinendum, nisi gravis necessitas nos jurare compellat. Atque ita cum de rebus levibus agitur, & in familiaribus colloquiis non est adhibendum. Cum enim juramentum institutum sit in subsidium, & remedium infirmitatis audientis (qui aliàs non crederet, verum esse, quod audit, nisi testimonio Dei confirmaretur) non est eligendum, nisi in rebus gravis necessitatis; aliàs gravis irreverentia irrogatur Deo, adducendo ipsius auctoritatem in rebus nullius momenti: est utique juramentum per se bonum, sed de genere eorum bonorum eligendorum posita aliqua necessitate, ut per D. Thom. 2. 2. quæst. 89. art. 5.

46. Quinimmo ex ea facilitate jurandi oritur periculum, ut quis in perjurium labatur: ut optimè Augustinus de mendac. cap. 15. ibi: & sic ostendit, quomodo accipendum esset, quod dictum est:

(Lz) 3 dico

dico vobis non jurare omnino: ne scilicet jurando ad facilitatem jurandi veniatur, ex facilitate ad consuetudinem; atque ita ex consuetudine in perjurium decilatur.

47. At petitur. In quo consistat irreverentia, qua Deo per perjurium irrogatur?

Resp. In hoc, quod vocans Deum in testimonium rei factæ, aut concipit Deum non esse infinite sapientem, & ignorare veritatem dictæ rei, aut putat non esse summè bonum, sed posse, & velle sua suprema, & infallibili auctoritate confirmare, & approbare rem illam falsam. In quo sanè Deo maxima injuria tribuitur, ut est evidens. Legatur Vanni *som. 2. il Catechismo in pratica struct. 44.*

48. Queritur, An possit Christianus recipere juramentum ab Idololatra, qui per falsos Deos juraturus est?

Resp. Per se non potest, bene verò per accidens, ut si publica pax, vel contractus magni momenti alias firmari non possit; tunc enim justæ, & necessariæ causæ occurrunt ad bonum Christianæ Reipublicæ, propter quas licet ab Idololatra juramentum recipere, & exigere, exemplo Jacob *Genes. 31. num. 54.* qui ad securitatem, & pacem suæ posteritatis juramentum recepit à Laban Idololatra per Deum Nachor, falsum Deum. Consideratur enim, quod juramentum malum non est, & bene, hoc est per Deum verum etiam ab eo fieri potest. Nec invitatur ad crimen, quia non compellitur ad jurandum per falsos Deos, sed ad jurandum simpliciter. Nec intenditur peccatum Idololatriæ, aut veneratio Idoli, sed solum bonum publicum, & pro-

ptii negotii securitas, ac confirmatio. Neque item datur occasio pejerandi, quia sic jurare paratus est. Sicut non subministrat occasionem peccandi usurario, qui, ut suum pignus recipiat, solvit usuras; nec latroni, qui coactus pecunias proprias tradit; de quo D. Augustinus *Epist. 43. (aliàs 154.) ad Publicolam cap. 1. ibi. Qui vitur fide illius, quem constat jurare per Deos falsos, & vitur non ad malum, sed ad licitum, & bonum, non peccato ejus se sociat, quo per Demoniam juravit, sed bono patre ejus, quo fidem servavit. Vid. allegat Natalis reg. 14.*

49. Dices. Non licet juramentum exigere ab eo, quem pejeraturum esse novimus: ergo nec ab eo, qui per falsos Deos est juraturus.

Resp. Negando consequentiam; delictum est, quia cum justa causa exigatur juramentum ab eo, qui per falsos Deos est juraturus, habetur finis juramenti, hoc est confirmatio veritatis. Cum autem juramentum ab eo exigatur, quem quis novit esse pejeraturum, nec ille finis, neque aliquod aliud bonum inde est expedandum; per D. Thom. *cit. art. 4. ad 4.*

50. Consideret Confessarius obligationem juramenti promissorii posse pluribus modis tolli.

I. Impediendo illam ab initio, juxta text. *Trid. cap. 16. sess. 25. de regul. ubi statuitur, quod nulla sit renunciatio, aut obligatio, etiam juramento firmata, facta ante duos menses professioni proximis.*

51. II. Mutatione materiæ finitur obligatio juramenti, si eventus reddat rei juratæ implementum impossibile: Juramentum

mentum enim intelligitur, rebus sic stan-
tibus, cap. *Quemadmodum d. rit.* Idem-
que procedit, si res jurata reddatur illi-
cita, cap. *Quanto allegat. tit.* quia venit
obligatio ad casum, a quo incipere non
poterat.

§ 2. III. Condonatione etiam, cessat
obligatio juramenti, hoc est, remissione
facta ab eo, in cujus favorem, & gratiam
præstitum est, cap. *Præterea de sponsa-
lib.* in omni enim conditione jurata inest
conditio, si is, in cujus favorem præsti-
tum est, voluerit juramentum servare *l.
fin. ff. qui, & a quibus.* Nam de juramen-
to dicitur, quod sapit naturam actus,
qui adhaeret; per quod significatur, quod
cum juramentum ad jungitur actus, qui ex
ratione contra actus obligationem produ-
cit, obligatio juramenti regulatur per
obligationem, & juxta modum illius,
adeo ut, ea cessante, cesset obligatio ju-
ramenti. Siquidem eo casu adducitur ju-
ramentum in confirmationem illius
actus. Quare, si in promissione subin-
telligantur aliqua conditiones, etiam in
juramento illæ tacite veniunt: & sicut ca-
su, quo ille, cui promissio est facta, nolit
sibi promissionem impleri, cessat obliga-
tio promissionis, ita cessat obligatio ju-
ramenti, per D. Thom. *cit. quæst. 89. art.
20.* & Gonzalez *cit. cap. 24. cap. 28. nu. 11.*
Ubi *cap. 1. sub nu. 8.* notavit, quod ubi
principaliter utilitas partis vertitur, Deo
non est, quaesita obligatio; sed tantum
est vocatus in testem ad confirmandam
veritatem promissam; & quemadmodum
in contractibus humanis sine ulla injuria
testium partes communi consensu discedunt
à contractu, & alter alteri remittit
obligationem; ita etiam possunt remit-

tere obligationem juramenti sine injuria
Dei vocati in testem; maxime quia Deus
in testem vocatus juramentum ratum, &
acceptum habet in commodum, & fa-
vorem partis; Et proinde, ea condo-
nante, Deus remittit; hæc ille.

§ 3. IV. Obligatio juramenti tollitur
commutatione, dum res jurata in aliam
materiam transfertur, *l. 2. §. mutui ff. de
reb. creditis.*

§ 4. V. Irritatione etiam tollitur obli-
gatio juramenti, quando ejus materia
subditur alterius potestati, cap. *Pueri, &
ibi Glos. c. Pervenit 22. q. 5.* In omni enim
juramento promissorio subintelligitur,
nisi contrarium præcipiat, & velit supe-
rior quoad ea, in quibus jurans dependet
ab illo. Unde hæc etiam currit maxima,
quod juramentum porum resolvitur in
conditionale, quod fit à lege, ut ubi supra
Gonzalez. Unde habentes potestatem
dominativam, ut parentes respectu filio-
rum, mariti respectu uxorum, & Prælati
Regulares possunt suorum subditorum
juramenta respectivè irritare. Censentur
enim facta cum conditione saltem tacita:
si nimirum hi, quibus sunt subiecti, ap-
probaverint: nullus enim absolute jurare
potest in præjudicium alterius. Mayol.
Summa p. 1. art. 4. exposit. 2. præcept. Ar-
milla *in sum. v. juramentum.* Et Abellii
medull. p. 1. tract. 2. cap. 4. sect. 2. §. 4. n. 3.

§ 5. VI. Cessat obligatio juramenti re-
laxatione, absolutione, seu dispensatio-
ne. Quæ Differt à commutatione, irri-
tatione, & condonatione. Nam per re-
laxationem, & dispensationem tollitur
omnis obligatio juramenti, remittente
Prælato Ecclesiastico virtute jurisdic-
tionis spiritualis obligationem juramenti
& de-

& declarando materiam non fuisse juramento aptam; per commutationem vero obligatio in aliam materiam transferatur. Irritatio pariter perit et ad potestatem dominativam, & nulla causa indiget, ubi relaxatio spectat ad potestatem Ecclesiasticam, & requirit justam causam. Differt etiam à condonatione, quia condonatio fit à parte, cui juramentum est præstitum.

56. Romanus Pontifex, utpote Supremus Rector Ecclesie habens plenitudinem potestatis potest in omni juramento ex causa rationabili, cessante damno tertii, dispensare, & relaxare, ut tradunt DD communiter Gonzalez *num. 10.* & Mayol. *d. art. 4.* Quare dispensatio cadere solum potest in juramento promissorio. Ceterum, quia, ut diximus *num. 8.* est in juramento promissorio duplex veritas, una *dicti*, & *de presenti* (in hoc consistens, ut qui jurat, verum dicat) & *alia facti* (quæ importat, ut jurans in futurum impleat, quod promittit) nec promissorium est quoad primam veritatem dispensabile, quia præceptum negativum de non adducendo Deum in testem falsitatis, est indispensabile; semper obligans. Solum itaque est dispensabile quoad secundam veritatem, & obligationem, quæ respicit tempus futurum, sed futuram executionem, & implementum materię proximæ, quæ cum variari possit, & in aliquo eventu esse illicita, & nociva, & consequenter fieri materia non apta juramenti, super eâ tantum, & non super actu jurandi cadit dispensatio, ita ut, sicut prius per promissionem jurans tenebatur observare juramentum, autoritate Superioris ab illa obligatione liberetur, ut per allegat & DD. in *cap. 1. & 2. & cap. Magna de voti.*

57. Episcopi possunt cum suis subditis in juramentis dispensare, modò non habeant adnexum votum Papæ reservatum, vel inde non resultet præjudicium tertie personæ non consentientis. Ceterum, ubi observatio juramenti promissorii bono communi esset nociva, aut fuerit per metum, & injuriam extortum, potest Episcopus dispensare, etiam non consentiente eo, in cujus favorem fuerit præstitum; ita potest dispensare cum eo, qui juravit latroni dare pecunias, aut ulucario solvere usuras; est enim justa causa, ne scilicet sævitia hominum foveatur, idque fieri expedit bono communi. Ita in odium excommunicatorum liberantur subditi à juramento fidelitatis aliis præstito, *cap. Nos Sancto- rum 15. qu. 6.*

Diximus *num. 50.* obligationem juramenti promissorii, quia relaxatio, & dispensatio locum habet in juramento promissorio, non verò in assertorio. Nam materia juramenti assertorii, cum sit de præstito, vel præfenti actu, immutabile facit juramentum, quandoquidem statim est verum, vel falsum; & non dispensari non potest, ut actus jurandi, qui jam est, aut fuit, falsus; non sit, aut non fuerit falsus, ut ubi supra Gonzalez *num. 10.* & Mayol. *d. art. 4.* Quare dispensatio cadere solum potest in juramento promissorio. Ceterum, quia, ut diximus *num. 8.* est in juramento promissorio duplex veritas, una *dicti*, & *de presenti* (in hoc consistens, ut qui jurat, verum dicat) & *alia facti* (quæ importat, ut jurans in futurum impleat, quod promittit) nec promissorium est quoad primam veritatem dispensabile, quia præceptum negativum de non adducendo Deum in testem falsitatis, est indispensabile; semper obligans. Solum itaque est dispensabile quoad secundam veritatem, & obligationem, quæ respicit tempus futurum, sed futuram executionem, & implementum materię proximæ, quæ cum variari possit, & in aliquo eventu esse illicita, & nociva, & consequenter fieri materia non apta juramenti, super eâ tantum, & non super actu jurandi cadit dispensatio, ita ut, sicut prius per promissionem jurans tenebatur observare juramentum, autoritate Superioris ab illa obligatione liberetur, ut per allegat & DD. in *cap. 1. & 2. & cap. Magna de voti.*

58. Quæritur, Petrus pro actu fornicario juravit dare meretrici centum aureos;

aureos; petit à Confessario, an eos teneatur solvere ratione præstiti juramenti?

Resp. Negativè; nam promissio prodiga, etiam juramento firmata obligat solum ad quantitatem pecuniæ, in qua nulla est prodigalitas; siquidem cum aliquid promittitur sub juramento, semper subintelligitur, si sit honestum, licitum, &c. Ideò Petrus debet meretrici solvere eam quantitatem pecuniæ, quam viri equalis conditionis dare consueverunt pro tali actu, non verò excessum præstita *Mayol. cit. art. 5. v. Quarta conditio. Diana coord. to. 8. tr. 4. res. 56.*

§ 9. Nota, quod juramentum verum cum debitis circumstantiis prolatum, est ex se actus Religionis; nam adducitur Deus potius in testem veritatis, quam alius, quia existimatur illam scire, & potens esse vindictam sumere de illis, qui jurant falsum; quod certè cedit in honorem, & ipsius obsequium.

Postremò Confessarius advertat. I. Quòd aliter implendum est promissum, quando promissio ex se valida est, & ei accedit juramentum: aliter verò, quando ex se est invalida, eique juramentum accedit. Priori enim casu implendum est, tum vi promissionis, quæ per se obligat, tum vi juramenti, quod addit novam obligationem. In posteriori verò vi solum juramenti, non promissionis, quippe quæ ex se invalida sit. Adeò ut si hoc casu juramentum relaxetur, ad nihil promittens teneatur, in priori verò adhuc vi promissionis, quamvis non vi juramenti relaxati teneatur.

Quòd exemplo patet. Spontè, & liberè cum juramento promissisti Titio centum aureos, & ille promissionem jura-

Marthaucii Causela Confess.

tam accepit: teneris duplici titulo, promissionis nimirum, & juramenti, Summam anteorum dare, adeò ut si juramenti vinculum legitime relaxetur, debeas ex promissione eam conferre. Si verò vi, seu gravi metu coactus promissisti latroni totidem aureos dare, & juramentum addas, teneris solo titulo juramenti; quo legitime relaxato liber es ab omni obligatione. Ratio discriminis est: quia per promissionem ex se validam, & à promissario acceptatam confers eidem jus ad rem promissam: non autem per invalidam, ut bene discurret Becanus *to. 2. opusculor. de fid. heret. Servan. cap. 4. nu. 5. & 6.* Ceterum si promissio non solum esset invalida, sed etiam illicita, ut ad malum finem juramentum non teneret, quia non est vinculum iniquitatis, ut diximus supra.

II. Quòd obligatio, qua quis tenetur præstare, quod cum juramento promissit, oritur à virtute, tum veracitatis, fidelitatis, & justitiæ, tum Religionis. Veracitas enim ad duo nos obligat. Primò, ut sincerè, & non fictè promittamus, hoc est, ut, quod verbis promittimus, etiam animo promittamus. Secundò. Ut opere præstemus, quod promissum est. Utrumque enim requiritur, ut quis sit verax in dicendo, & promittendo.

Fidelitas ad hoc nos obligat, ut, quod promissimus, opere compleamus. Quæ obligatio differt ab ea, quæ provenit à virtute veracitatis. Nam obligatio veracitatis latius patet, quam fidelitatis: quoniam hæc solum locum habet in affirmatione promissoria, illa etiam in non promissoria, ut ex D. Thoma *2. 2. qu. 80.*

(A 2)

art.

arr. unic. ad 1. Tum quia obligatio fidelitatis est major, quam veracitatis. Nam qui promittit se aliquid facturum, magis obligatur, quam qui sine promissione id affirmat: *Voglio far questo.* Qui enim solum affirmat, uno solum titulo obligatur ad favendum, ne scilicet sit mendax in verbis. Qui autem promittit, duplici titulo tenetur, tum ne sit mendax in verbis, tum etiam ne violet jus alterius, quod iste habet ad rem promissam: nam promissor non constituit dumtaxat se debitorem, ut caveat mendacium, sed etiam tribuit alteri jus ad exigendum promissum.

Justitia obligat nos, ut tribuamus unicuique, quod suum est, ratione contractus; Quoniam qui promittit alteri se aliquid illi daturum, non tantum affirmat se daturum, sed etiam obligat se illi, & consequenter tribuit illi jus ad exigendum illud, quod promittit.

Religio nos obligat, ut Deo reverentiam, & debitum cultum exhibeamus, ut ex D. Thom. cit. Juramento autem Deo etiam cultum exhibemus, quia *juramentum est externus cultus, quo profitemur, Deum esse infallibilem veritatis, eumque adducimus, ut testetur, nos loqui verum.*

Quare, qui non implet, quod juramento promittit, est mendax contra veracitatem, perfidus contra fidelitatem, injustus contra justitiam, & perjurus contra Religionem; consequenter mortaliter peccat peccato habente quadruplicem malitiam, & deformitatem contra quatuor virtutes.

Sciendum enim est, quod veracitas, qua quis tenetur non mentiri, per se ob-

ligat sub veniali, sed per accidens sub mortali, ratione nimirum gravis damni, vel injustitiae, aut irreverentiae factae Deo, & in rebus fidei; in quibus circumstantiis omne mendacium est mortale.

Pariter fidelitas, qua quis debet promissum implere, ne sit infidelis, & perfidus, per se obligat sub mortali, sed parvas materiae excusat: violare enim jus alterius in re gravi est peccatum mortale.

Item justitia, qua tenemur promissa implere in pactis, & contractibus onerosis semper obligat sub mortali, nisi parvas materiae excuset, ut communiter Theologi cum D. Thom. 2. 2. q. 59. art. 4. Ponderantes, quod justitia ad hoc obligat, ut des alteri, quod jure illi debetur, juxta illud Ulpiani: *Justitia est constans, & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi*: non dare autem alteri, quod jure illi debetur, in re gravi est peccatum mortale, cum sit aperta inequitia, & justitia violetur, cum quo non compatitur, quod quis charitatem habeat cum proximo suo.

Religio tandem, qua quis tenetur promissum, aut pactum juratum prestare, ne sit perjurus, per se obligat sub mortali, nam perjurium est peccatum mortale, & quidem gravissimum, ut communiter DD. docent cum D. Thom. cit. q. 89. art. 3. Considerantes, quod qui falso jurat, quantum in se est, facit Deum approbare falsum, quae est atrox injuria in Deum.

Quibus positis exponit Paenitens Confessario: ex promissione, & pacto, etiam jurato, debeo centum Francisco, qui

qui est ligatus majori excommunicatione: peto, an teneat ea illi dare, ego enim sum in negativa propter naturam ipsius censura, quæ privat non solum perceptione activa, & passiva Sacramentorum, & publicis Ecclesie Suffragiis, sed etiam communione Fidelium, ut jura clamant. *cap. Cum excommunicato, & cap. excommunicatos* *11. quest. 3.* Majori namque excommunicatione ligatus est separatus ab aliorum consortio, tanquam ovvis morbosa, *cap. Corripitur* *24. q. 3.* Quæ privatio communionis, atque commercii facit, ut nullus cum excommunicato habere possit commercium, nec ipse se valeat ingerere actibus societatis humanæ. Quomodo Confessarius seget eum Pœnitente?

Resp. Instruat Pœnitentem, quod etiam in casu excommunicationis est fides promissionis, & pacti servanda, adeo ut teneatur in conscientia excommunicatione præstare, quicquid ei ex promissione, vel pacto jure debet. Ratio est, quia nunquam licet mentiri: nunquam jus alterius violare: nunquam injustitiam committere: nunquam nec in re minima esse perjurum: mendacium enim, violatio juris alterius, injustitia, & perjurium, intrinsicè, & ex natura sua sunt mala, & illicita: ergo nunquam, & quocumque prætextu fiant, possunt licitè fieri: ergo prætextu excommunicationis in Francisco non est Pœnitens liber à debito servandi fidem eidem, stando promissis; & quatenus promissa non impleat, est mendax, perfidus, injustus, & perjurus, & æquè reus, ac si alteri fidem non servaret, ut loco citato Becanus cap. 7.

Nec ratio à Pœnitente producta quidquam relevat: Circa quod considerandum est, quod duplex est genus excommunicatorum: alii sunt notoriè excommunicati, seu denunciati, ut notorii percussores Clericorum, qui dicuntur excommunicati non tolerati, & vitandi; & alii sunt quidem excommunicati, sed nec denunciati, nec notorii Clericorum percussores, nec est notorium eos in excommunicationem incidisse, qui proinde dicuntur tolerati, & non vitandi. Quamvis omnes excommunicati vi excommunicationis teneantur abstinere à communione Fidelium; tamen à contrario Fideles non tenentur ab illorum consortio, & communione abstinere, nisi vel sint nominatim excommunicati, aut notorii Clericorum percussores, ut ex Const. Martini V. Ad evitanda, quam refero *lib. 2. cap. 35. num. 16.* Aut ita notorium sit in excommunicationis sententiam incidisse, ut nulla possit tergiversatione celari, aut aliquo juris suffragio excusari, ut ex *const. Leonis X. Præmittitur §. 24. sub l. 20. Bullar. tom. 1.*

Hinc sequitur, quod si Pœnitens contractum, & pactum celebravit cum Francisco excommunicato non vitando, teneatur æquè bene illi fidem servare, ac cuicumque alteri.

Si verò conventiones, & pacta fecit cum excommunicato vitando, vel excommunicatio præcessit pactum, & promissionem, vel ad hæc subsequuta est. Si secundum: cum contractus fuerit validus, (ut aliàs supponitur) per solam subsequentem excommunicationem non fit invalidus, cum nulla constitutio su-

(Aaa) 2

perve-

pervenienti excommunicationi tribuat, ut rescindat contractus, qui alias sunt validi; atque ita manet obligatus ad servandam fidem, quam in tali contractu promissit. Sed primum, & contraxerit absque necessitate juxta dicta *lib. 1. cap. 33. num. 10.* peccavit quidem contrahendo, quia operatus est contra manifestam prohibitionem Ecclesie, communicando cum excommunicato vitando, sed contractus tamen est validus, si aliunde non sit defectuosus; ita validum est matrimonium cum excommunicato contractum, *cap. Significasti de eo, qui duxit*, valida est professio in Religione ab excommunicato facta, *cap. Cum illorum de senten. excommunic.* Et valida est donatio facta ab excommunicato, *cap. Inter dilectus de donat.* ita de aliis contractibus est censendum, nisi aliunde quid obstat. Adeoque fidem servare tenetur.

At petitur. An etiam fides sit hæreticis servanda?

Resp. Affirmativè; nam ut diximus, nunquam licet mentiri, esse perfidum, injustum, perjurum. Tum quia, ad servandam fidem obligamur ex virtute veritatis, fidelitatis, iustitiæ, & Religionis, (si promissio sit jurata) hæc autem obligatio non tollitur per hoc præcisè, quod illi, quibus promissio de re licita, & honesta facta est, sint hæretici. Tum quia Gentilibus Idololatriæ, & Turcis fides servanda est, ita Josue *1. cir.* fidem servavit Gabaonitis, ergo etiam hæreticis est servanda.

Nec obstat, quod hæretici fidem Deo non servant. Quoniam id non pertinet ad contractus humanos, de quibus di-

scurrimus, sed divino judicio relinquendum est.

Hinc sequitur, quod dum Princeps in bello licitè, & honestè convenit cum hæreticis, fidem servare debet. Item, dum eis concedit Salvum conductum liberè vendendi, & redeundi, est fides servanda juxta *Trid. sess. 15. in acc. de sal. cond. dat. Profess.*

Hic tamen Confessarius duo advertat. Unum, quod cum hæreticis non est ita de facili paciscendum, propter tria. I. Propter periculum subversionis: hæresis enim est morbus contagiosus; unde periculum est, ut noceat Catholico. II. Propter scandalum: plures enim rudes, & imperiti possunt scandalum pati, dum vident Prudentes, & Doctos cum hæreticis conversari, pacisci, & similia agere. III. Propter improbitatem hæreticorum, juxta *Apost. 2. ad Timoth. 3.* *Erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemæ, &c.*

Alterum, quod Italis prohibitum est, ne extra Italiam habitent in locis, ubi aliqua Ecclesia cum Parocho, vel Pastore, seu Sacerdote Catholico non existat. Item, ut abstineant à matrimoniis cum mulieribus hæreticis: nec filios suos de sacro fonte levare per hæreticos permittant, nec ipsi filios hæreticorum levant, nisi per Catholicum Sacerdotem catholico more baptizentur. Item, ut ubi adest copia medici Catholici, non utantur hæretico; ita *Clemens VIII. cons. Cum sciet, la 42. Bull. tom. 3.* & quamvis prohibitio tangat Italos extra Italiam, est certum, quod eis cum hæreticis etiam in Italia non liceat conversari, & contra delinquentes procedit Sacrum Tribunal.

CAPUT XVII.

Prop. XXVI. XXVII. & XXVIII.
ab Innoc. XI. Sc.
Mendacium, & Amphibologia.

1. PROP. 26. Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio sine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.

PROP. 27. Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium; aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censcatur, tunc expediens, & studiosa.

PROP. 28. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali prestare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur facti crimen occultum.

Tractanda hoc capite connectuntur cum resolutis in superiore; quæ data opera in duo distinxit, ut sicut propositiones diversa tangunt, juramentum, mendacium, & amphibologiam, ita Confessarius ea distinctè possit sub propriis titulis distributa pro sua instructione perlegere.

2. Quæritur, quid sit mendacium?

Resp. Est falsa significatio vocis cum intentione fallendi, & animò dicendi falsum: seu, est difformitas verborum cum menti loquentis, adeò ut loquens aliud in mente habeat, & aliud ore proferat: propterea communiter asseritur, quod mentiri sit contra mentem ire; itaque cum mens aliud intendit verbis aperire, quam sentiat, dicitur mendax; sic, si, dum in mente habes, quòd Petrus currat, & ore proferas, quòd non currat, mentiris: super quo est advertendum: quòd si putes Petrum currere, & Petrus à parte rei non currat, si affirmas: Petrus non currit: et si verum materialiter dicas, formaliter tamen mentiris, quia verbis non significas, quòd mente concipis, & ut putas; si verò à parte rei Petrus non currit, & ipsum currere concipias, dum dicis: Petrus currit; et si falsum materialiter dicas, formaliter tamen verum asseris, & propterea non mentiris.

3. Quæritur, quotiuplex sit mendacium?

Resp. Triplex. 1. Jocosum, eum absque ullius damno, sed joci gratia mentiris. 2. Officiosum, cum pro tua, vel alterius utilitate mentiris. 3. Perniciosum, dum cum damno alterius mentiris.

4. Sed quæritur, an omne mendacium sit ex suo genere peccatum?

Resp. Affirmativè, & ita, ut in nullo casu, nec ad vitandam sui, vel alterius mortem, nec ad servandam pudicitiam, ad animæ salutem, nec etiam pro Dei gloria mentiri liceat: text. in cap. primum est capitale, in cap. Ne quis arbitretur, & in cap. faciat homo 22. q. 2. & ex D. Thom. 22. quest. 110. artic. 3.

(Aaa) 3

Ratio

Ratio est, quia difformitas oritur ex dissonantia verborum ad mentem, quae est semper intrinsecè mala. At perniciosum est ex suo genere mortale nisi parvitas materiae excuset, in rebus in quibus hujusmodi parvitas datur; jocosum verò, & officiosum sunt venialia.

5. Sed quaeritur, an jocosum, & officiosum, quae, ut talia sunt veniale, transeant in perjurium si juramento affirmantur?

Resp. Affirmativè; nam perjurium est mendacium juramento firmatum: omne autem perjurium, quantumcumque mendacium sit leve, ex sui ratione est mortale, cap. ult. 22. qu. 1. Ubi dicitur perjurium grave scelus est: adeò ut à perjurio nec metus mortis excuset: cap. si quis 22. qu. 5. Ratio est, quia cum in juramento Deus adducatur in testem, perjurium semper est mortale, etiam in re levissima, quia atrocissima fit injuria in ejus veritatem: hinc regula generalis est, quod, mendacio interveniente, semper juramentum est mortale, etiam si per jocosum mentiatur, nam gravissima fit Deo irreverentia, cum in suis jocis adhibere testem, falsitatis. Vid. cap. praterito.

Sed dices, in mendacio jocosum loquens, non habet intentionem fallendi; ergo non mentitur, ergo mendacium jocosum non est malum: & si ei addatur juramentum, perjurium non patratum?

Resp. Negando antecedens, loquendo de interpretativa intentione; nam certè intendit, ut audiens credat verum esse, quod secundùm vocis significationem est falsum: si enim hoc non intenderet, utique verba falsa non pronuntiaret.

6 Sed quid, si audiens non fallatur, vel quia non adest, vel quia, cum mendacium sit jocosum, fidem non adhibet loquenti?

Resp. In casu etiam mentiretur, patet ex Divo Thom. 2. 2. qu. 110. art. 1. in corpore & in 3. distinct. 38. qu. 1. articulo 1. ad ultimum, ubi: quicumque falsum loquitur, quantum est in se, fallit, quamvis non semper aliquis per ejus verbum fallatur. Et ex D. Bonavent. in 3. distinct. 38. qu. 5. num. 50. ubi hæc sunt. Cum dicitur mendacium, est falsa vocis significatio cum intentione fallendi, non idem est fallere, quod decipere: sed idem est fallere, quod falsum dicere: unde sensus est, cum intentione fallendi: hoc est, falsum dicendi: & hoc utique convenit mendacio jocosum: ergo, qui sciens, falsum loquitur, etiam per jocosum mentitur, sive audientem fallat, sive non; & dum jurat, est perjurus: quòd si mendacia non habent, quem decipiant, ipsa sibi mentiuntur juxta illud psalmi: *mentita est iniquitas sibi*. Fagnan. in 5. ad cap. Falsidicus de crimine falsi.

7. Quaeritur, an sit mortale, & perjurium jurare falsum cum restrictione mentali, seu cum locutione amphibologica, sic nimirum, ut quis non intendat propositionem, quam profert, in sensu, in quo ab audientibus intelligitur, sed in alio; seu subintelligat aliquid in mente, quod reddat propositionem veram, quae secundùm externam vocis significationem est falsa: v. g. interrogor, an Petrus occiderit Paulum, quem ego ab eo occidere vidi: ne ipsum interrogantem infamem: juro: nescio Petrum occidisse Paulum: sub intelligendo in mente

ut tibi referam: vel de alio Petro, ab eo, de quo quaeritur?

Resp. Affirmativè, patet ex decreto Innoc. ratio est, quia in eo mentior; etenim cum verba illa: *nescio Petrum occidisse Paulum*: simpliciter prolata, significant me absolute id nescire, dum mente sensum restringo, vel in alio subintelligo, quem ipsa secundum externam significationem vocis non habent; vel in quo scio ab interrogante non intelligi, falsum dico; nam aliud ore dico, & aliud mente teneo, & illis verbis utor, ad hoc, ut audiens fallatur, & credat verum esse, quod verba sonant; si enim hoc non intenderem, verba falsa non pronunciarerem; verax, & non mendax essem, si in mentem haberem, quomodo per verba exprimo ei, quem alloquor; & ideo, cum addo mendacio juramentum, sum perjurus.

8. Sed quaeritur, *an, cum iusta causa liceat, & sine restrictione loqui, & jurare: v. g. interrogatur mulier à marito, suspicante de ipsius adulterio, quod secretò commisit, quam, stricto gladio, aggreditur, ut dicat, an adulterium commiserit, occisurus, si fateatur: Si mulier neget, mentitur: si fateatur, occiditur: dubitatur, an ad utrumque vitandum possit licite dicere, non commisi, subintelligendo, ut tibi declarem: vel, hanc antecedenti?*

Utrique sunt DD. negat Dominicus Soto de just. & jur. lib. 5. quest. 6. art. 2. prop. fin. Affirmat Diana Coord. tom. 8. tract. 4. resolut. 4. num. 13. allegans Sayrura lib. 5. cap. 4. nu. 24. Cardenas cris. ad prop. ab Innoc. XI. damnat. dissert. 19. cap. 6. num. 68. Viva ad proposit. damnat. ab

Innoc. XI. par. 2. prop. 26. & 28. à num. 3. alique plures apud Fagnan. cit. num. 41. Concordant Pisanus Glad. Gedeonis ad prop. damnat. ab Innoc. XI. prop. 26. nu. 2. & Mayol. sum. moral. p. 2. §. precept. prolog. 2. de us. equivocat. & restrict. ment. dividentes restrictionem in purè mentalem, exterius nullatenus apparentem, & significatam, quam vocant etiam restrictionem formalem, & in non purè mentalem, seu etiam externam, & sensibilem, quam & materialem appellant.

9. Restrictio purè mentalis habetur, quoties verba, quæ quis profert, nec ex sua significatione, nec ex se, neque ex circumstantiis occurrentibus loci, temporis, personæ, ac modi interrogandi eum sensum patiuntur, quem proferens intendit, & quem audiens etiam prudens, & oculatissimus, & hic, & nunc diligentissimè attendens ad verba, penetrare non potest; ut si quis interrogatus, *An Petrus sit domi?* respondeat, non, subintelligendo in mente, ut *noceat*, ut *faciat chimeram*: quando interrogatio est de existentia naturali; vel, si interrogatus: *An Petrus sit mortuus*, affirmet, intelligendo *civiliter*, seu, *per assumptionem habitus religiosi*, quando ex circumstantiis apparet, locutionem esse de morte naturali, de qua respondens interrogatur.

Hujusmodi restrictionis speciem esse ab Innoc. confixam patet ex verbis propositionis 26. intelligendo *intra se, eamque esse in omni casu illicitam, & intrinsecè malam*, adeò ut etiam sit perjurus, qui cum ea restrictione jurat, ut dixit allegat. Viva num. 4. probatque Mayol ubi sup. ex quo restrictio interna, & purè men-

mentalis sit verè, vel æquivalenter mendacium: mendacium enim aliud non est, quàm *locutio difformis menti loquentis*. quoties autem verba nec secundum se, neque sub his circumstantiis externis exprimentur objectum, prout est in mente loquentis, tunc locutio est mendax; & habetur malicia mendacii, quæ consistit in abusu locutionis, quæ à Deo hominibus data est, ut sit expressiva mentis, eique conformis per Polman. *Breviar. theol. par. 2. part. 2. num. 1036*. Sed in restrictione purè mentali, & interna totum hoc habetur. Quomiam licet verba, ut conjuncta cum eo, quod mente retinetur, faciant sensum verum, illud tamen, quod mente retinetur, impertinenter se habet ad locutionem, seu ad significandum audenti iudicium, quod habet loquens de objecto, circa quod interrogatur.

Consideratur etiam, quod loquens cum restrictione purè mentali ponit signa externa, quæ, spectato significato, & juxta communem hominum acceptationem sunt menti difformia, estò sint conformia cum eo, quod mente retinetur, & à verbis non significatur, nec ab audientibus percipi potest, ergo adhibens in locutione restrictionem purè mentalem est verè mendax, & perjurus, si ita loquens juret.

10. *An autem licitus sit usus restrictionis purè mentalis ad vitanda incommoda nonnulla, ut ad vitandam vitam, honorem, & res?*

Respondetur Negative, prout patet ex damnatione 27. propositionis, ibi: *Causa justa utendi his amphibologiis*, hoc est, purè mentalibus; pronomen enim *his*, determinat sequentem vocem *amphibolo-*

logus, non ad quascumque, sed ad illas, de quibus dictum erat in *prop. 26*. Et constat pariter, quòd D. Augustinus *lib. contra mendacium* nullam justam causam agnoscat ad mentiendum, & omnem excludit, ut *cap. 14. & 19*. adeo ut alleat non licere mentiri, nec pro vitanda morte proximi, nec pro salute animæ, vel ad hominem baptizandum. Quinimò nec ad vitandam propriam mortem mentiri licet. Unde si Tyrannus mihi mortem minaretur, nisi proferrem aliquod mendacium, non possem hoc mendacium, quamvis levissimum, aut joculosum proferre ad mortem declinandam, eo quod mendacium hoc sit intrinsecè malum, nec possit ab hac circumstantia mortis declinandæ honestari. Locutio autem cum restrictione purè mentali est propriè mendacium, ut diximus, habetque malitiam tam necessariò & inseparabiliter annexam, quàm mendacium, ut notavit Poncius *Commentar. de pecc. in 3. dist. 38. qu. unic. num. 130*. Ergo nulla incommoda excusant restrictiones purè mentales, sicut nec ipsa mendacia.

11. *Dices. Pro vita defendenda licitum est injustum invasorem occidere cum moderamine inculpata tutelæ, ergo etiam ad eum finem licebit respondere cum restrictione purè mentali.*

Respondetur, negando consequentiam, nam locutio cum restrictione purè mentali de necessitate est difformis menti, atque ita est mendacium stricto modò, & licet non licet mendacium ad vitandam vitam, ita nec restrictio purè mentalis.

Addo, quòd statim ac adhibetur restrictio purè mentalis, non habetur de-

fenſio cum moderamine inculpatae tutelae; quoniam non poteſt dici moderamen inculpatae tutelae, cum modus, quo vita defenditur eſt illicitus: modus autem, quo defenderetur vita per locutionem cum reſtrictione purè mentali, eſſet illicitus: Aſſumeretur enim locutio, quae eſſet menti diſſoemis, in quo ſtat mendacii & hujus reſtrictionis malitia inſeparabilis.

12. Adverto, quòd ſi uſus reſtrictionis purè mentalis eſſet licitus, actum eſſet de ſocietate, & bona fide, ac certitudine contractuum, & commerciorum inter homines.

13. Reſtrictio verò non purè mentalis, ſeu externa, & ſenſibilis habetur per verba, quae de ſe unam tantum ſignificationem communem habent, ſed ratione circumſtantiarum habent aliam particulatam, quam circumſtantiæ hic, & nunc occurrentes faciunt, etiam juxta intentionem interrogantis, propter quas proinde poſſet evenire in cognitionem ſenſus, à proferente uſurpati, ſi diligenter ea verba, & circumſtantias examinaret, & ponderaret: Quòd ſi tunc ob præcipationem judicii, & omiſſionem conſiderationis illarum, mentem loquentis non intelligat, vel non in alio, quàm in ſenſu communi ea verba accipiat: id per ſe non provenit ex loquente, nec ex æquivocatione, tamquam ex cauſa per ſe, ſed ſolum ex illius inconfideratione, & ignorantia, & ita audiens ex propria culpa ſe fallit, & non decipitur à loquente, qui proferit verba, quae ex circumſtantiis verum ſenſum in communi omnium prudentum acceptatione recipiunt.

14. Ità, dum Confefſarius interrogatur, *Matthandei Cantela Confefs.*

ſed ut miniſter Chriſti; non audit, ut reus, ſed ut Jdex; & neſcit notitia aliis communicabili, quia quae habetur per confessionem, nulli communicari poteſt. Quos ſenſus poterit audiens percipere, ſi attendat ad circumſtantiam interrogationis, perſonae, quae interrogatur, & delicti, de quo quaerit: nam interrogat Confefſarium de auditis in confessione, de quibus Confefſarii extra confessionem loqui non poſſunt: Atque ita, ſi dictas circumſtantias ponderet, poterit verum ſenſum reſponſionis percipere: & hinc patet circumſtantias ſufficienter ſignificare, in quo ſenſu Confefſarius reſpondeat.

15. Item, ſi Reus interrogetur non juridicè ab Jdice de crimine vero, ſed occulto, non tenetur ei reſpondere, ut ex D. Thoma dixi cap. priori num. 42. Quòd, ſi Reus urgeatur reſpondere, & nec appellatione, aut ſilentio, vel alia via poſſit reſponſionem declinare, non tenetur adhuc fateri veritatem, ſed poteſt licitè eam occultare æquivocatione materiali dicendo, *non commiſi*; quae verba in communi acceptatione faciunt hunc ſenſum; *non commiſi crimen, de quo me, tanquam Jdex, valeas interrogare, & quòd tibi interroganti injuſte debeam fateri*.

(Bbb)

fateri,

fateri, ut notavit allegat. Mayol; nec tunc mentitur, sed verum dicit, ut apud Poncium *num. 1. 24.* quia ex circumstantiis illius interrogationis sufficienter innotescit, quod ipse sic respondeat in illo sensu; quoties autem ex nonnullis verbis significatur sufficienter aliquid, non est necessarium adde re alia verba. Quando verò juridice interrogatur, non potest equivocare, quia in tali casu bonum publicum bono privato debet prevalere.

16. Item Legatus Principis à Rege, ad quem mittitur, interrogatur de iis, quæ secretò sibi fuerunt à suo Principe communita, ex quorum manifestatione sequeretur infallibiliter Regni everfio, Templorum profanatio &c. potest sine mendacio ingenue respondere: *nescio*: aut, *meus Princeps nihil tale mihi communicavit*: & audientes ex circumstantia Legati, qui agit res sui Principis, possunt, & debent arguere, quòd dicat, *nescio sibi, ut debeam revelare*; & sibi imputent, si hoc non capiant, cum circumstantiæ sufficienter id ostendant.

17. Licitum esse usum restrictionum externarum sensibilibus non purè mentalium, seu equivocationum materialium dixerunt allegati Mayol. Pisapus, & Viva: & probant exemplo Abrahæ, qui ut se à mortis periculo liberaret, dixit Saram non esse uxorem suam, nec tunc mendacium dixit, sed veritatem iusta, & urgentissima causa celavit. Quamvis enim nunquam sit licitum negare veritatem & audientem positivè ex intentione fallere, intendo per se illius deceptionem, tamen secundum D. Augustinum, & Doctores licet ex causa veritatem occultare,

quando non expedit illam manifestare, dicendo verum verbis obscuris. Unde D. Thomas 2. 2. *qu. 70. art. 1. ad 1. ait.* Quòd D. Augustinus loquitur de occultatione veritatis in casu illo, quando aliquis non compellitur Superioris auctoritate veritatem proflare: *Quando occultatio veritatis nulli specialiter est damnosa*, & D. Raymuadus *lib. 1. sum. tit. de mend. allegat à Chabasi. prax. lib. 4. cap. 4. num. 1. 2. habet.* Si reum, qui queratur ad necem, domi occultaverim, nec ad redimendam ejus vitam aliud suppetat remedium, quàm interrogantibus, qui volunt interficere, respondere: non est hic respondendum aliquod verbum equivocum: non est hic, puta in mensa, vel aliquid simile.

Iusta autem, & gravis causa in Confessario, reo, & Legato ad occultandam veritatem, & dicendum verum per verbum equivocum, *nescio*, vel *non feci*, est, quia si Confessarius fateatur peccatum, frangit sigillum confessiois, & reverentiam irrogat Sacramento. Si reus fateatur crimen, poenam mortis, vel aliam gravem debet sustinere; & si Legatus Principis aperiat secretum sui Principis, offendit fidelitatem, ledit secretum naturale (quod servandum est, nisi sumus in casu, in quo secretum præjudicet bono publico, vel fidei, & Religionis,) & est causa enunciatorum malorum.

18. Ità in casu Adultera absque mendacio, & restrictione purè mentali habet iustam causam licite occultandi veritatem respondendo ad vitandam mortem: *non feci*. Quæ verba ex circumstantiis tum mali imminenti, tum quòd nullus

nillus tenetur se infamare, tum quòd mulieres similia crimina maximè maritis solent negare, faciunt hunc sensum, quòd non fecerit, ut debeat dicere marito; vel alium similem verum, licet obscurum. Quos si maritus non percipit, sibi imputet, non attendens ad circumstantias locutionis, à quibus abundè significatur. Poncius ubi supra num 141. dixit, quòd mulier posset hac forma se extricare: *marito mi, cur me de hoc interrogas? putas ne me, aut ullam aliam talis criminis consciam, falsuram iūd? An non scis, quòd talia crimina difficulter confiteantur Deo? Quid ergo putas nos falsuras extra confessionem, & quidem maritis, quibus præsertim volumus ea esse occulta?*

Itaque Confessarius mulieri petenti instrui circa modum respondendi, posset consulere illum, in quo nec mendacium est, nec restrictio ulla. Quod, si maritus iisdem criminis instaret pro responsione decisiua, posset respondere per verbum æquiuocum, non feci.

19. Cæterum cit. Mayol tradit quatuor condiciones esse necessarias, ut ad praxim licitè deducatur usus restrictio- num non purè mentalium externarum, vel æquiuocationum materialium, propter quas rarissimè occurrit, ut similis modus loquendi adhiberi possit.

Prima est: Quòd sit iusta causa, & gravis necessitas ita loquendi; cum nimirum oriretur loquenti, vel aliis gravissimum damnum, cui nec silentio, neque alia via, quàm istis æquiuocationibus, hic, & nunc & in istis circumstantiis, & angustiis occurrere posset.

Secunda, Quòd respondens non tenea-

tur ex iustitia, religione, obedientia, aut alio præcepto veritatem nudè declarare; sed jus habeat ad celandam veritatem, & permittendum, quòd audiens ex se ipso se decipiat; & ita Reus legitime interrogatus ab Iudice iudicè procedente, & quilibet inferior, à quo Superior legitime exquirat manifestationem alicujus veritatis ad bonam gubernationem necessariam, tenetur sub peccato obedire, & veritatem sincerè detegere. Parker pœnitens, quando interrogatur à Confessario de peccatis, quæ commisit, & de pertinentibus ad iudicium fori interioris, de restitutione facta, & occasione proxima &c. tenetur clarè respondere fatendo veritatem.

In omni itaque materia judiciali, siuè fori, siuè exterioris, siuè interni, non est licitum veritatem occultare amphibologii, etiam non purè internis, ita ut illis utens peccet lethaliter, & jurans ad eas confirmandas sit perjurus. Idem dicendum de eo, qui interrogatur de Fide, quando instat præceptum confitendi illam: non enim tunc potest verbis amphibologicis eam occultare, aut simulare falsam Religionem, etiam ad vitanda gravia tormenta, & mortem; nam propter metum etiam mortis nec aliquod minimum peccatum veniale licet committere ex D. Augustino lib. cit.

Tertia. Quòd occultatio veritatis mediante æquiuocatione materiali non debet esse innocenti specialiter nociva, & damnosa, sed tantum assumenda est à loquente ad vitandum proprium, vel proximi damnum, quòd alia via hic, & nunc evitari nequit; non verò ad damnum alteri inferendum. Ita spontè

etiam contrahentes, & se invicem onerosè obligantes ad vendendum, emendum, &c. & cum à privata persona, ad quam spectat ratione contractus juramentum exigitur, tenentur sine ambiguitate se obligare, & non fictè jurare, aliàs injuriam irrogant parti legitimè contrahenti, & juramentum exigenti, ac damnum inferitur ei, qui ex sua parte ingenuè contractum implet. Et hinc humanum commercium, & societas læditur.

Quartam addendam esse puto, nimirum, quòd verba exteriora, vel ex se, vel ex circumstantiis sint verè æquivoca, & in communi prudentium usu interpretationem, & duplicem sensum verum admittant, quorum quemlibet quisque ad illa attendens, & ponderans possit intelligere, aliàs erit locutio cum restrictione purè mentali, quæ nullo pacto licita est, & est ab Innocentio proscrip-
ta.

20. Verùm idem Mayol. ibid. concludit, Quia in praxi usus æquivocationum, etiam purè materialium, præsertim, si frequens extiterit, non caret periculo incidendi in æquivocationes formales, restrictiones purè internas, & mendacia; perinde ac ex juramentorum repetitione facilis est lapsus in perjuriam, ideo sicut scriptura consulit, ne juramentis os nostrum allueat, immò ut non juremus omninò, quantumvis juramentum sit licitum ad tollendas occasiones perjurandi; ita etiam consulendum est hominibus, ut non nisi in verissima & extrema necessitate, & quàm rarissimè utantur æquivocationibus, etiam materialibus, ut sic vitent periculum

mentiendi. Hæc ille; qui objecta solvit, quæ ex D. Augustino opponuntur contra superius dicta. Hæc sunt, quæ occasione dubii propositi sub num. 3. dicenda esse censui contra dicta in prima impressione.

21. Quæritur. Superior promovendus ad Ordines interrogat de natalibus, de censuris, de irregularitate, & volens contrahere matrimonium interrogat de impedimento, exigens etiam juramentum; petitur, an possint respondere cum restrictione etiam non purè mentali: & jurare non habito respectu ad intentionem jurantis?

Resp. Negativè, & contrarium videtur etiam proscrip-
tum in propositione 28. In qua damnatur licitam esse restrictionem non purè mentalem (purè enim mentalis in duabus propositionibus antecedentibus fuit proscrip-
ta) quoties de mandato Superioris, aut Principis, vel alio speciali statuto juramentum exigatur à promotis ad Magistratum; ut secunde promotus teneatur candidè fatèri suum crimen occultum, nisi velit renunciare officio obtento, & interrogationem illam, & juramentum declinare: ita Vivas. cit. & Pisan, ad prop. 28.

Licet enim licita sit æquivocatio mentalis, & restrictio non purè mentalis, & interna, quando Judex interrogat Reum, aut testem de crimine occulto, si non præcesserit diffamatio, vel semiplena probatio, aut indicia sufficientia, eò quòd tunc non interrogat juridicè, hoc est secundum ordinem juris; & ideo tunc non interrogat tanquam Judex, seu superior, sed tanquam persona privata, cui nemo tenetur aperire crimen occultum. Tamen

men quoties de mandato Regis, vel superioris legitimi exigitur iuramentum à Promoto ad Magistratum, quòd illum non obtinuerit propter commendationem, aut munera; tunc licet nulla diffamatio, aut semiplena probatio præcesserit, interrogatio est iuridica, & ordinata non ad puniendum delictum, sed ad avertendum à Republica damnum, quod sequeretur, si hac via Magistratus indignis conferrentur, & proinde illicita profus est responsio æquivoca, & iuramentum additum est perjurium. Ut idem Viva in terminis.

22. Unde notandum, quòd Iudex, vel Superior potest dupliciter de crimine interrogare. Primum ad illud puniendum, Secundo, ad impediendum commune damnus, aut alia crimina, quæ sequerentur: ut, quando fit interrogatio de crimine impediendo susceptionem Ordinis Sacri, vel matrimonium: dum interrogatio fit de subornatione, aut favore prævio ad promotionem. Si interrogatio fiat ad puniendum delictum, absque dubio exigitur semiplena probatio, aut indicia, & diffamatio, ut iuridicè superior interroget, & subditus teneatur respondere. Ut Doctores communiter. At ubi interrogatio fit de delicto in ordine ad præcavendum damnum publicum, aut alia peccata, tunc non debet semiplena probatio præire, quia bonum publicum prævalere debet privato. Bono autem publico expedit, quòd subditus ad alterum compellatur: vel ad deponendum officium, quòd obtinet in damnum publicum: vel ad manifestandum crimen occultum. Et hinc non datur locus æquivocationi, sed debet subditus candidè res-

pondere ad mentem interrogantis, & delictum suum aperire.

23. At petitur. *An promotus ad Magistratum, vel Prælaturam, qui interrogatus legitime an mediante pecunia, aut commendatione illam obtinuerit, veritatem, pejerando occultavit, teneatur statim Prælaturam renunciare, & damna compensare alteri, qui sua causa non est electus?*

Resp. Affirmativè. Si collatio Magistratus, vel Prælaturæ ex speciali statuto sit ipso iure irrita, quoties per commendationes, aut munera acquiritur, sive provisus pejeraverit, sive non: semper tenetur renunciare, quia invalide fuit promotus. Debetque damna compensare ei, qui aliàs fuisset electus, cum fuerit illi injurius. Si verò collatio non sit invalida ipso iure, sed invalidanda per sententiam Iudicis post delictum probatum, provisus negando delictum peccavit quidem, sed non tenetur ante sententiam Iudicis renunciare. Suarez lib. 5. de legibus cap. 9. num. 13. Qui probabilius putat esse, quòd non teneatur damna alteri compensare, cum non peccaverit contra iustitiam commutativam respectu eligendi, sed contra obedientiam respectu Iudicis: vel contra iustitiam legalem respectu Republicæ, aut contra iuramentum, & Religionem.

24. Queritur, an mentiantur homines cum urbanitatis causa sequenti forma se salutant, aut literis subscribunt: *osculor manus tuas: purpuram, pedes &c. ad tuos pedes provolvor; vel servus tuus sum: vel, omnia, que domine sunt, mea sunt, & de illis potes disponere pro libito?*

(Bbb) 3

Resp.

Resp. Negativè, nam in communi usu receptum est, quod ea verba proferantur in sensu improprio, & metaphorico, & sumantur, ut signa obsequii, vel amicitia; nec plus proferentes intendunt, quam obsequium, & amicitiam erga dominos, & amicos respectivè.

25. Quæritur, an Confessarius possit negare schedulam audita Confessionis ei, qui non est verè confessus propter defectum debitæ dispositionis; ratio dubii in hoc stat; quod si non deærit, significabit penitentem esse in malo statu, & revelabit Confessionem: si verò dederit, mentietur.

Resp. Negativè, sed schedulam debet dare, non quod absolverit, quia tunc mentiretur, sed quòd audiverit ipsius Confessionem: quò casu non mentitur, nam eam audivit.

Sed nonne, si daretur schedula peccatori occulto, ea mediante ipse decipiet parentes, Dominum, & Parochum: nam ex ipsa colligit ipsum esse optimum Christianum, cum tamen non sit, & ipse Confessarius deceptioni cooperaretur?

Resp. Quod nunquam Confessarius debet directè, vel indirectè aliquid facere ex quo possit revelari Confessio; negando verò schedulam Confessionis, saltem indirectè, revelaret; nam significaret eodem modo malam dispositionem penitentis: quam schedulam non confert ea intentione, ut præfatos penitens decipiat, sed, ut proprio muneri satisficiat, nec aliquid ponit, quod possit reddere Confessionem odiosam, & sigillum frangere.

26. Quæritur, accedit penitens, & se accusat: Pater, promissione jurata, fictè promisi Bertæ me eam ducturum

in uxorem, si mihi usum sui corporis concessisset, quod ipsa fecit, sed, cum ego, tunc ipsi promiserim restrictione mentali, intendendo, me ipsam ducturam post centum annos, vel, dum habuerit dotem scutorum centum militum, peto instrui, an teneat ipsam ducere?

Resp. Affirmativè, habetur ex cap. Quacumque arte, & cap. humana artes 22. quæst. 5. ubi hæc sunt: quacumque arte verborum quisque juret. Deus tamen, qui conscientie testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit; dupliciter tamen reus fit, quia & Dei nomen in vanum assumit, & proximum dolo caput, & ex D. Thoma 2.2. quæst. 89. art. 7. ad 4. resolvente: quando non est eadem jurantis intentio, & ejus, cui jurat, si hoc provenit ex dolo jurantis, debet juramentum servari secundum sanum intellectum ejus, cui juramentum præstat: & ideo ducatur ipsam ducere; ratio etiam est, quia hæc propositio: ducam te in uxorem, si mihi copiam tui corporis concesseris, ex natura sua significat illud, quod communiter à puella, & cæteris audientibus intelligitur, & juramentum ipsam in eo sensu confirmat; sed puella intellexit, quod promittens absolutè eam in matrimonium sit ducturus, & quòd profirmitate promissionis juraverit, ac Deum adduxerit tamquam fidei iustorem, quod observabit promissum in eo sensu, ergo obligatur jurans ad observantiam promissi.

Quod confirmo. Juramentum fictum cum dolo illud est, cuius fictio opponitur juri ejus, qui onus aliquid subit, ratione cuius

cujus habet jus, ne alter faciat juramentum solummodo fictum, vel solummodo amphibologicum; modo: puella concedens ob promissionem juratam usum sui corporis, habet jus, ut alter serio, & cum juramento vero se obliget ad futurum matrimonium: nam propterea tale onus subivit, & posuit ex parte sua id, quod libidinosus requirebat, & pro quo illum juramento obligavit ad se reddendam securam, & certam de futuris nuptiis, ergo debet eam ducere, & prestare id, propter juramentum fictum, & amphibologicum, quod fuisset prestandum propter juramentum verum, & sincerum, ergo in casu ad idem obligat dolosum juramentum, & dolosa promissio, ad quod obligat verum juramentum, & promissio sincera.

27. Sed quaeritur, ex qua virtute teneatur juramentum, & promissionem fictam implere, ac puellam ducere?

Respon. Ex virtute justitiae (& si juramentum fuisset verum ex virtute, etiam religionis) ratio est, quia, qui acceptat aliquid sub conditione onerosa datum, ex justitia tenetur, quando potest implere, sed talis accepit usum alieni corporis sub conditione secuturi matrimonii, & potest illam implere, ergo tenetur.

Sed quaeritur, an possit substituere dotem ad implendam promissionem.

Respon. Negative; nam dum potest in specie dare id, sub cujus conditione alter subivit onus, tenetur ipsam dare, alias, eo pegato, alter esset rationaliter invitus; sic, qui potest restituere equum, non potest, nec debet restituere pecuniam, nisi Dominus sit contentus.

Sed quid, si fide cum juramento promississet puella dotem?

Resp. Si non habebat jus, ut ille sibi dotem promitteret, & id juramento firmaret, peccavit fide promittendo, & jurando, peccato mendacii, & peccato contra reverentiam juramenti; sed ad nihil tenetur: non ex virtute justitiae ad dandam dotem, cum nec fictio promissionis, nec fictio juramenti fuerit contra justitiam.

Sed quid, si intuitu hujus fide promissionis fuisset impedita, quominus ab alio dotem acciperet?

Resp. Tunc teneretur ex justitia ad compensandum damnum, saltem si prudenter potuit, & debuit praevideri; nam tunc ex tali fictione injuste damnum sequeretur, & injuriam ipsa reciperet.

28. Quaeritur, an possit quis factis mentiri?

Resp. Affirmative, etenim non solum in verbis falsis, verum etiam in factis, & simulatis operibus mendacium est, ut expressè textus in cap. caver. 22. qu. 5. & D. Thomas 2. 2. qu. 111. art. 1. in corp. ait: sicut, ergo veritati opponitur, quod aliquis per verba exteriora aliud significet, quam apud se habet, quod ad mendacium pertinet; ita etiam opponitur veritati, quod aliquis per aliqua signa factorum, vel rerum aliquid significet contrarium ejus, quod in eo est, quod proprie simulatio dicitur: unde simulatio proprie est mendacium quoddam in exteriorum signis factorum consistens: non refert autem, utrum aliquis mentiatur verbo, vel quocumque alio facto. Unde cum omne mendacium sit peccatum, consequens

quens est etiam, quod omnis simulatio est peccatum. Hæc S. Doctor, de quo etiam cap. sequen. num. 2. & 3.

29. Quæritur, an hypocrisis sit species simulationis, & mendacii?

Resp. Affirmativè; hypocrisis enim est quedam simulatio; nam qui simulat se habere sanctitatem, seu personam justæ, cum sit peccator, est hypocrita: & ita, dum quis sacrum audit, Ecclesias frequentat, intendens, quod ab adstantibus videatur bonus, cum non sit, hypocrita dicitur, ex D. Thoma cit. art. 2. in corp.

30. Sed quæritur, an hypocrisis sit ex suo genere peccatum mortale?

Resp. Ex D. Thoma ibid. art. 4. in corp. quod in hypocrisi duo sunt, defectus sanctitatis, & simulatio ipsius: si quis, quo ad primum per peccatum à sanctitate defecerit, & non curet sanctificari, & justificari, quando tenetur, mortaliter peccat, & sic manifestum est, hypocrisis esse mortale peccatum, quomodo hypocrisis consuevit accipi in Scriptura; quantum verò ad secundum, quæ est hypocrisis communiter dicta, non est ex suo genere mortale, nam opponitur veritati, quæ de se non obligat sub mortali; sed propter adjuncta esse potest; ut, si quis sanctitatem simulat ad falsam doctrinam disseminandam, vel ad adipiscendam Ecclesiasticam dignitatem, qua est indignus; vel alia bona temporalia, in quibus finem constituit: & causa sit, cur alii ipso meliores, & egentes priventur. Quoties itaque finis intentus per simulatam sanctitatem non repugnat charitati Dei, vel proximi, erit peccatum veniale; ut optimè D. Thom. cit. Vide De la

Cruz direct. conse. 8. precept. qu. 2. art. 1. de mendac.

31. Quæritur, an jactantia sit species mendacii?

Resp. Affirmativè; nam vis jactantiae in eo est, ut quis verbis se extollat, dicendo de se aliquid supra se: ut, quod sit nobilis, dives, doctus, cum non sit; consequenter semper mendacium exigit, & includit. Propterea notatur à Cajetano in 2. 2. D. Thom. qu. 111. art. 2. 5. ad hoc dicitur, quòd jactare se de malo aliquo perpetrato, non est actus jactantiae, sed inanis gloriae, juxta illud psalmi: quid gloriaris in malitia; nam in hoc, quamvis gloriator peccet, tamen non mentitur.

32. At quæritur, an jactantia sit peccatum mortale?

Resp. Negativè, ex suo genere, & per se, sed solum veniale, ut num. 4. diximus de mendacio in communi, cujus ipsa est species. Verùm, quia peccatum mortale est, quod charitati contrariatur, ut loquitur D. Thom. loc. cit. in corp. & nos diximus lib. p. c. 17. num. 4. Idèò jactantia est mortale in sequentibus casibus: primo, cum quis jactanter de se profert, quod est contra gloriam Dei, ut legitur de Rege Tyri Ezechiel. 28. Deus ego sum. Secundo, cum quis jactanter, & insolenter prorumpit in contemptum, & contumeliam proximi: sicut Lucæ 18. habetur de Pharisæo, dum dixit: non sum sicut ceteri hominum, raptores, injusti, &c. vel, ut etiam hic Publicanus. Tertio, quando, quis jactat se, de peccato à se non commisso in damnum suæ famæ, vel bonorum; nam hic se infamando peccat contra charitatem, qua tenetur

se diligere. 4. Quando ex cupiditate lucri cum gravi damno proximi interno, vel externo quis jactat se doctorem, aut medicum, & inde falsam doctrinam seminat; vel pecuniam lucratur, aut corpora lædit, vel Cathedram obtinet, alias non obtenturus; quo casu tenetur, & Cathedram resignare, & pecuniam restituere; aliaque illata damna resarcire. Quòd si quis se jactaret, vel ut gloriam, aut lucrum aquireret, modò esset sine notabili damno proximi, foret solum veniale, utpotè spectans ad mendacium officiosum: ut ibid. optime S. Doctor ad tertium. Toties itaque jactantia est mortalis, quoties cum mendacio pernicioso conjungitur; & quis contra Charitatem Dei, suam, vel proximi jactanter loquitur. Vide De la Cruz, de mendacio.

De mendacio in Confessione prolato diximus lib. I. cap. 7. num. 15.

CAPUT XVIII.

Prop. XXIX. ab Innoc. XI. Sc.
Administratio Sacramentorum non simulata.

1. PROP. 29. Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

Etiam Authores propositionis supponunt esse illicitum absque gravi causa simulare administrare Sacramenta; sed in eo errant, dum statuunt urgentem metum esse causam gravem, & justam, ratione cujus non sit illicitum Sacramentorum administrationem simulare.

2. Simulatio habetur, cum quis per Matth. xvi. Cautela Confessi.

signa externa factorum, vel rerum significat aliquid falsum, quod in mente non habet: & duplex est: *materialis*, & *formalis*: hæc dicitur, quæ fit ex intentione decipiendi, saltem virtuali, qua quis nimirum intendit, quòd alii intelligant aliter ac ipse cognoscit rem se habere; explico: expono vestes aeri, quibus uti soleo, dum iter facio, animo, ut videntes decipiantur, & putent me velle iter facere, & tamen de hoc non cogito, sed potius de opposito: in casu formaliter simulo. Illa verò, cum quis ponit signa externa indifferentia ad plura significanda, per quæ præter intentionem operantis aliqui decipiuntur; patet eodem exemplo: vestes aeri expositæ duo significare possunt, unum, quod quis velit illis uti ad iter faciendum; alterum, ut beneficio aeris à corrosione vinearum serventur illesæ. Si videntes eas aeri expositas intelligant, me velle iter facere, quod non intendo, quoad eos materialiter simulo.

Circa quod sunt Confessario aperienda dubia infra scripta.

3. Quæritur, an non modo damnetur propositio, quatenus affirmat licitam simulationem formalem in administratione Sacramentorum, hoc est ex intentione decipiendi, saltem virtuali; verum etiam damnetur quoque, quatenus agit de simulatione materiali, in qua scilicet præter intentionem administrantis decipiuntur fideles?

Resp. Affirmativè; ratio est, quia damnatur propositio, quatenus simulatio affert irreverentiam Sacramentis, sed irreverentia Sacramentis irrogatur per simulationem, tam formalem, quam ma-

(Ccc)

teria.

teriallem, ergo utraque damnatur; minor est certa, & patet à pari: qui coram Idolo Thus in thuribulum ponit, non excusatur à peccato; per hoc, quod id agat simulatione materiali, & sine intentione significanti adstantibus affectum adorationis, vel cum sola intentione olfaciendi odorem thuris; non modo propter scandalum, verum etiam, quia actio illa, est externus cultus Idoli: ergo, sicut immittens incensum in thuribulum coram Idolo, etiam cum simulatione materiali, non excusatur à peccato mortali contra præceptum adorandi solum Deum, sic ministrans Sacramentum cum sola simulatione materiali, non excusatur à peccato contra reverentiam debitam Sacramentis; nam, quemadmodum ille externam, & illicitam reverentiam exhibet Idolo, quamvis affectus internus feratur in Christum, sic iste irreverentiam rebus Sacris irrogat. Tum quia, Authores propositionis loquuntur indistinctè de omni simulatione, ergo qualibet damnatur, ergo etiam materialis, quæ est verè simulatio. Tum quia, quolibet modo simulat, administrationem Sacramentorum fingit, & affert circumstantiam irreverentiæ, & consequenter peccat contra reverentiam Sacramentis debitam.

4. Queritur, an ad vitandum scandalum possit licitè ministrari hostia non consecrata, pro consecrata: V. G. est homo in articulo mortis, nulla habetur hostia consecrata pro Viatico dando, si ad ipsum non deferatur, tota gens scandalizatur, & commovetur; dubitatur, an ad scandalum vitandum præberi possit hostia non consecrata?

Resp. Negativè, quia ea ficta communicatio est simulatio in administratione Eucharistiæ; fingitur enim esse Eucharistiæ, ea, quæ non est talis, & peccat graviter Sacerdos. 1. Quia fingit rem divinam, ubi non est. 2. Exhibendo hostiæ non consecratæ externam adorationem Latræ. 3. Præbendo occasionem aliis ad eam adorandam: quæ omnia sunt graviter illicita.

5. Sed queritur, an, cum Confessorius ex sola Confessione Sacramentali vivit penitentem, accedentem ad Sacramentum, esse pane Angelico indignum, possit licitè loco hostiæ consecratæ præbere non consecratam?

Resp. Aliqui apud Gobat. experient. Theolog. tract. 4. casu 21. sect. 1. num. 397. putarunt posse, modò penitens consentiat, & Sacerdos cum hostiæ non consecratæ, teneat simul in manu aliam consecratam, ut etiam circumstantes debitum objectum suæ adorationis habeant. Quæ sententia est profusè improbabilis, & falsa, ideò non posse dicimus; nam tunc Sacerdos mentiretur, & adstantes deciperet: significaret enim se dare hostiam consecratam, quàm non daret; unde peccaret 1. Peccato falsitatis, & simulationis. 2. Peccato irreverentiæ erga Sacram hostiam; nam fraudulenter rem divinam simularet, & propterea Deo illuderet, quod gravissimum crimen est, ex cap. de homic. de celebrat. Missarum.

6. Sed, an debeat dare consecratam?

Resp. Affirmativè, si sit peccator occultus, ne sigillum Confessionis frangat. Vide cap. 33.

7. Queritur, an Sacerdos, cui Hereticus

vericus, stridto gladio, mortem minatur, si non consecret totum panem, qui, vel in platea est expositus venditioni, aut de recenti in furgo coctus, possit ad fugiendam mortem verba consecrationis proferre sine intentione consecrandi?

Resp. Negativè: grave enim scelus est contra reverentiam Sacramenti proferre verba consecrationis, à Christo Domino instituta pro consecratione Sacramenti, sine intentione consecrandi, sed ad simulandum, ac mentiendum, & Deo illudendum, quod est ita intrinsecè malum, ut nullam ob causam justificari possit, argum. ex alleg. cap. de homine: ubi Pontifex declarat, gravius peccasse Presbyterum, qui in mortali celebrans non consecravit, quàm si consecrasset; sed certè, si non gravius, æquè saltem grave est, proferre verba consecrationis sine intentione consecrandi, ac omittere, vel suppressere verba ipsa, cum dicentia sunt; nam utrobique fraudulenter res divina simulatur: quod est Deo illudere, & gravissimum scelus, ut ibi textus.

8. Sed quid, dicendum, si Hæreticus ille ignoraret verba consecrationis, & Sacerdos ad effugiendum mortis periculum recitaret Orationem Dominicam, sic simulando consecrationem?

Resp. Cardenas dixit, posse Sacerdotem illam Orationem recitare, non intentione decipiendi hæreticum, quia tunc consecrationem simularet, & formaliter mentiretur, adèdque peccaret, etiam contra reverentiam debitam Sacramento: bene verò, si ad eam recitandam procederet sine tali intentione;

quia tunc solum ex intentione materiali illam Orationem proferret; sed hoc etiam non posse iudico; nam Oratio illa respectu illius hæretici, cum quo res agitur, assumeretur à Sacerdote ad significandum aliud ab eo, quàm hæreticus intenderet; nam ipse intenderet, quod per ea verba panem consecraret, & Sacerdos, ad huic finem non instituta proferret: ideo saltem virtualiter ipsum deciperet; quoniam, tunc quis decipitur, eum ei per signum externum aliquid aliud quis significat, quàm ille iudicat, vel quàm ipse petat. Et ex eo præsertim patet, quod si Sacerdos postea interrogaretur, an panis esset consecratus, respondere non posset, affirmando, nisi vellet mentiri: ergo evidens est, quod ipsum decepisset, & formaliter simulasset consecrationem; quod cum ex decreto Innoc. non sit, etiam quocumque metu urgente, licitum, nec in casu id præfato Sacerdoti licere est dicendum; ideo, quando alia via non posset sibi providere, deberet se Deo commendare, & mortem subire.

9. Sed quaeritur, an, si supra panem illum proferret verba consecrationis cum intentione consecrandi, peccaret?

Resp. Affirmandum videtur, nam certè irrationabiliter, & imprudenter ageret; nam non est verisimile, quod Christus pro licita consecratione instituerit quantitatem ita magnam, quæ non posset deservire usui fidelium. Poncius mox citandus.

10. Sed petitur, an tota illa quantitas esset consecrata?

Resp. Quamvis id non spectet ad propositum casum, adhuc tamen affirmamus.

mus. Nam non constat, Christum pro materia consecrationis determinasse aliquam quantitatem panis, & vini substantia, vel tanta magnitudine; sed de fide est, ipsum instituisse pro materia consecrationis Corporis, panem triticeum, & pro materia consecrationis Sanguinis, vinum de vite, ex dicend. lib. 4. cap. 4. Ergo, cum illa quantitas sit panis triticeus, & sufficienter præsens Sacerdoti, (quod supponitur) videtur tota esse consecrata, si super eam cum intentione consecrandi verba consecrationis protulisset. Videatur Ponc. disp. 44. q. 3. n. 35. & Marchant. *Horr. Pass. Candel. Mist. r. 4. cap. 1. resolut.*

11. Quæritur, accedit penitens, qui est in occasione proxima peccandi, quam deferere non vult: dubiatur, an Confessarius possit simulare ipsum absolvere: quod videtur necessarium ad evitanda hæc incommoda. 1. Ne ipsum absolvens, gravissimè peccet absolendo indignum. 2. Ne violet sigillam, nam adstantes possent animadvertere ex absolutionis omissione, ipsum esse in malofratu, & indignum absolutione, ergo, cum utrumque vitaturus sit, si singas, vel simul, absolvere poterit, immò debet verba absolutionis sine intentione absolvendi.

Resp. Non potest simulare ipsum absolvere; nam: si proferat hæc verba: ego te absolvo: sine intentione absolvendi, mentitur, & magnam irrogat irreverentiam Sacramento, à Christo Domino inquit ad finem dimittendi peccata.

12. Sed quid, est Confessario agendum?

Resp. Potest aliquas orationes tacite recitare, vel penitentem benedicere, non animo ipsum absolvendi, vel alios deci-

piendi, sed solùm, ne indignitatem penitentis prodat, & ne sigillum violet: quod est servandum, tam verbis, quam factis, ex cap. omnis utriusque sexus de penit. & remiss. Et quamvis adstantes deciperentur, non probat Confessarius, non posse ita se gerere, quia, nec id Confessarius intenderet, nec esset propria, & in rigore simulatio pertinet ad Sacramentum, cum præfata orationes ad formam Sacramenti non pertineant. Verùm, si eas orationes, vel Pater, & Ave recitaret, intentione, ut adstantes deciperentur, vel, ut cognosceretur penitentem absolvere, aut animo absolvendi mortaliter peccaret & peccato mendacii, & contra reverentiam Sacramento debitam.

13. Sed quid, si penitens, audiens à Confessario sibi negari absolutionem, mortem minatur Confessario, nisi absolvat?

Resp. Nectunc Confessario licet absolutionem simulare dicendo formam absolutionis Sacramentalis, quamvis dicatur sine intentione absolvendi; vel, alias orationis recitare intentione, ut, vel ipse penitens, vel alii perciperent se ipsum absolvere; nam semper mentiretur, & irreverentiam Sacramento irrogaret.

14. Sed quid, si penitens sub visceribus instaret, quod Confessarius clare, & distinctè proferret verba absolutionis. Ego te absolvo?

Resp. Cardenas cap. 5. num. 63. dicit, quod, cum verba essentialia absolutionis Sacramentalis: ego te absolvo, possint, etiam significare absolutionem à censuris, si, cum ea intentione proferantur, vel submissa voce pronunciano à confessoris: possit Confessarius metuens sibi mor-

mortem à pœnitente, dicere *absolvete*, subintelligendo à *cenfuris*.

Quòd fanè meo videri falſum eſt; nam hujulmodi locutio, *absolvete*, ſubintelligendo à *cenſuris*, eſt locutio cum reſtrictione mentali: hujulmodi autem locutio ex dictis Superiori capite licita non eſt; ergo, nec ea verba proferre cum ea reſtrictione, niſi velit mentiri, & pœnitentem decipere, qui putaret ſe à peccatis abſolvi, & Confefſarius intenderet ipſum à cenſuris liberare; propterea in caſu, quando non poſſet pœnitentem à ſuo propoſito removere, deberet potiùs mortem expectare, quàm peccatum committere.

15. Sed quid, ſi pœnitens, id audiens, diceret, *ad minus ſi non potes fingas me abſolvere?*

Reſp. Deberet Confefſarius palàm loqui: ego non poſſum te abſolvere, quia es indipotitus; nec poſſum fingere, aut mentiri, & irreverentiam Sacramento irrogare: ſi vis benedicere; benedicam: ſed abſtine me aliquid agere, quòd abſolutionem ſimulem, vel, quo intendam, vel alios decipere, aut contra reverentiam, Sacramento debitam agere.

16. Sed quæritur, an poſſit ad non ſimulandam abſolutionem apponere conditionem: te abſolvo, ſi occasionem dimiſeris?

Reſp. Negative; nam ad evitandum unum peccatum, aliud committeret abſolvens indipotitum, ex dicendis cap. 35. Notandum itaque eſt, quòd non valet abſolutio conditionata, ſeu quæ datur cum conditione de futuro: *ut te abſolvo, ſi cras reſtitueris*, eſto cras reſtituas; ratio eſt, quia non poſſet ſuſpendi effectus Sacramenti: quòd ſtatim, vel operatur totum, ſi pœnitens de præſenti ſit diſpoſi-

tus, vel nunquam, ſi eſt indipotitus; valet autem data cum conditione de præſenti, vel de præterito; *ut abſolvo te ſi es diſpoſitus*: vel, *te abſolvo, ſi reſtitueris, ut aſſeris*; nam effectus Sacramenti non ſuſpenditur, ſed ſtatim ponitur, ſi in pœnitente reperitur diſpoſitio de præſenti, & de facto, ut aſſirmat, reſtitutionem fecerit; peccaret autem Sacerdos illas conditiones ad libitum, & abſque convenienti neceſſitate apponens; nam non debet variare ritum ab Eccleſia determinatum; ſed ubi a deſt neceſſitas, licitè apponitur. Sic licitè ſub conditione: *ſi es diſpoſitus, & abſolutionis capax*: abſolvitur moribundus, qui loqui non poſſet, & ſolùm per ſigna aliqua doloris peccatum oſtendit; nam propter appolitam conditionem non exponitur Sacramentum periculo nullitatis, & per abſolutionem providetur ſaluti infirmi, ne periculo damnationis exponatur; cui fortè exponeretur, niſi ſaltem ſub ea conditione, adhiberetur Sacramentum, ad remittenda peccata inſtitutum.

17. Quæritur: *vocatur Confefſarius à Petro, detento in vinculis, cui exponit: Pater, à tribus menſibus privor mea libertate: caſam aperio: ſex ab hinc menſibus contraxi ſponſalia cum Berta deinde cognovi carnaliter ipſius ſororem, propter quòd contraxi impedimentum dirimens, matrimonium contrahendum, & quia propterea nolui eam ducere, ipſa inſtetit apud Episcopum, ut me cogeret ad implenda promiſſa ſponſalia: cui propter impedimentum mihi notum, obedire nolui; & propterea me incarceravit, & excommunicatum denunciavit; quæro, an ad vitanda hac incommoda poſſim contrahere, non ex animo evadendis*
(Ccc) 3 ſponſa

sponse potestatem in meum corpus, quia jam scio, matrimonium propter praesatum impedimentum esse nullam, sed sine intentione me obligandi, & simulandi contractum?

Resp. Negativè; sive cum animo contrahendi, contrahas, sive absque animo, eam ducas, semper peccas contra reverentiam debitam Sacramento; nam semper facis illud irritum: in primo casu, quia contrahis cum impedimento dirimente: in secundo verò, quia simulas Sacramentum, nec intentionem habes faciendi Sacramentum, & te obligandi; nec potes ex metu, quamvis gravi, excusari; & peccas peccato mendacii, & deceptionis; nam falsum dicis, si respondeas, te accipere Bertam in tuam: animum enim contrahendi, & celebrandi contractum non habes. Remedium itaque erit, ut ad Sacram Pœnitentiariam pro dispensatione super impedimento recurras, quam, quia occultum, obtinebis: vel de impedimento conferas cum Episcopo, ut super eo instructus juxta negotii gravitatem provideat.

Quæ sanè est melior responsio pro praxi, quam allata à Cardenas cap. 7. Ubi resolvit posse Petrum simulare matrimonium, ut contractus est, non verò ut Sacramentum. Quam distinctionem vide lib. 4. cap. ult. ubi tradimus eas duas rationes non posse à viro Catholico separari.

Immo, dum Petrus eas separaret, Bertam deciperet: quæ non exigit matrimonium, ut est qualitercumque contractus, sed ut est Sacramentum à Christo institutum, ergo simulatio, & deceptio ipsius non solum tenderet in matrimonium sub

ratione contractus, verum quoque in esse Sacramenti; ergo mentiretur; vel saltem deberet loqui cum restrictione mentali, quod cap. præterito esse illicitum ex Innoc. diximus.

CAPUT XIX.

Prop. XXX. XXXI. XXXII.

§ XXXIII.

ab Innoc. XI. Sc.

Homicidium ad defensionem rerum.

1. PROP. 30. Fas est viro honoratocidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hac ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuisse percussus, & post impactam alapam, vel ictum fugiat.

PROP. 31. Regulariter occidere possumus pro conservatione unius auri.

PROP. 32. Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ nullum possidemus, sed etiam, ad qua jus inchoatum habemus; & quæ nos possessuros speramus.

PROP. 33. Licitum est, tam heredi, quam legatario contra injuste impeditorem, ne, vel hereditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere; sicut & jus habenti in Cathedrali, vel prabendam, contra earum possessionem injuste impeditentem.

De homicidio ad defensionem honoris diximus lib. 1. cap. 13. videat tibi Confessarius, & hic alia, etiam ad defensionem rerum, ponderet.

2. Queritur, Quare ad defendendum honorem,

honorem, & bona temporalia non liceat in-
vasorem, & spoliatorem occidere?

Resp. Quia irrationabile, & indecens
est & contra legem rationis, ac naturale
lumen eligere majus malum ad fugien-
dum minus, seu ad conservanda minora
bona; constat autem, quod jactura vitæ
sit majus malum, quàm amissio honoris,
& bonorum temporalium, nam vita ho-
minis est majus, & altioris ordinis bo-
num, quàm sint bona alia exteriora, fa-
mæ, & divitiarum, quæ ut media ad vi-
tam conservandam ordinantur; & pro-
pterea gravius peccatum ex iis, quæ in
proximum fiunt, est homicidium; nam
per id, ei maximum nocumentum infer-
tur, cum vitæ privetur, quæ nil pretiosius
possidet, & nullum ex istis temporalibus
est ipsa extimabilius, nec per ullam ex-
præfatis compensabilis: & ita pro con-
servandis bonis temporalibus, sive famæ,
sive fortunæ, non licet calumniatorem, &
spoliatorem occidere. Quod alia suadeo
ratione: simile jus in personis privatis est
in præjudicium, & perniciem Reipubli-
cæ: cum illud sit in Reipublicæ pernici-
em, quod est nocivum multitudini; sed
tale jus defensionis occisivæ contra calu-
mniatorem, & furem est multitudini no-
civum; nam, cum in Reipublica multe
sint detractiones, & furta, continua, &
frequentia essent homicidia, dum quilibet
existimaret se jus occidendi habere;
& sic Reipublica assiduis odiis arderet,
& pax perturbaretur ipsius; immò, si id
liceret, non posset ipsa justè punire occi-
sores calumniatorum, & Civium, quod
nullus dixerit.

3. Sed quaeritur, contra quam virtu-
tem facit, qui proximum occidit?

Resp. Contra justitiam, cuius est suum
cuique tribuere, & relinquere, ac suum à
nullo auferre; ab homine autem per ho-
micidium auferitur bonum vitæ, ad quod
conservandum jus habet; & hinc patet,
quòd obligatio non interficiendi prox-
imum, sit justitiæ.

Nec obstat, quòd non sit vitæ suæ, &
membrorum Dominus, sed solus Deus:
cum nemo possit esse Dominus, nisi alte-
rius; Quia ad minus homo est custos vi-
tæ, & Dominus usus membrorum suo-
rum, quod sufficit, ut ei injuria per ho-
micidium fiat.

4. Sed quaeritur, an etiam contra ju-
sticiam peccet, qui eum mutilat, verberat,
& vulnerat?

Resp. Affirmativè; nam jus habet, ut
nullus tale malum ei inferat; per mutila-
tionem privatur membris: per verbera-
tionem dolore afficitur: per vulnus caro
eum dolore violenter dividitur: quæ
sunt peccata circa vitam proximi.

5. Sed quaeritur, an etiam incarcera-
tio reputetur peccatum circa proximi vi-
tam?

Resp. Affirmativè; nam per eam tolli-
tur libertas hominis, qui jus habet, ut à
privata persona non privetur, & tan-
tum malum ei inferatur, licet à priva-
ta persona: quia malefactores incarcera-
re, & vitæ privare, licet dumtaxat, ju-
ris ordine servato, Principibus, &
Magistratibus, (vel aliis, quibus isti
commiserint) quibus cura Communi-
tatis commissa est, in cujus bonum ipsa
mors, & incarceratio ordinatur. D. Thom.
2. 2. quest. 61. art. 3. in corp. Propterea
si Patres, & Domini ad longum tempus
detineant in vinculis filios, & servos, pec-

peccant, & debent recurrere ad potestatem publicam; aliàs, etiam violant jus, quod habet, ne ei tale malum à persona privata inferatur.

6. Sed queritur, *an hac peccata contra vitam proximi sint mortalia ex suo genere?*

Resp. Affirmativè; nam ex justitia tenemur non lædere proximum in bonis vitæ: justitia autem ex genere suo obligat sub mortali ad suos actus ex dict. *lib. 2. cap. 17. num. 20. & 21.* Deinde, actus, quibus offenditur proximus in bono vitæ, opponuntur charitati, qua debemus proximum diligere, eique bonum velle; qui certè non amatur, si ei ea mala inferantur: actus autem, qui charitati opponitur erga Deum, vel proximum, est ex suo genere mortale peccatum: ergo, &c. vide *ibid. num. 4.* Parvitas autem materiæ, maximè in verberibus potest à mortali excusare.

7. Queritur, *an in Confessione sit aperienda persona, que occiditur, mutilatur, & verberatur?*

Resp. Affirmativè; nam absque dubio gravius peccat, qui occidit, mutilat, &c. Parentes, Cognatos, Clericos, & Superiores, quàm alios; nam, qui occidit Parentes, & consanguineos peccat contra justitiam, & contra pietatem: qui Clericum, peccat etiam contra Religionem, & Sacrilegium committit: & qui Superiorem, & Principem, etiam contra observantiam.

8. Queritur, *an propter rem magni valoris, & summam notabilem pecunie possit quis furem licitè occidere?*

Resp. Alii affirmant, nec id ab eis censetur ab Innoc. damnatum; quan-

doquidem propositio; 1. quam ipse procripsit, loquatur de occidente furem pro conservatione unius aurei: & deducunt, ex quo DD. communiter de jure civili teneant licere Laico furem occidere pro conservandis rebus, si aliter res à rapina, & invasione salva haberi non possit, vel spes non sit aliter recuperandi: hujus sententiæ est Bonac. *de rest. in particul. disp. 2. qu. ult. punit. 10. na. 1.* plures allegans, & nu. 1. extendit, ut sit viro honorato licitum occidere invasorem inferentem ignominiam, quando aliter ignominia vitari non potest.

Sed quidquid sit de jure civili, & secundum opinionem Legistarum, secundum Canones, in foro conscientie, quod Deum, & jus naturale id non licere est certum. Videtur decisum in cap. *interfecisti de homicid.* ubi decretalis: *si autem sine odii meditatione, te, tuaque liberando, hujusmodi Diaboli membra interfecisti:* ex quibus habetur, quod, ut quis excusetur ab homicidio, duo copulativè sunt necessaria: ut occidat defendendo cum moderamine inculpate tutelæ non tantum res, sed etiam personam; nam textus non dicit, *te, vel tua:* sed *te, tuaque.* & patet ex autoritate Augustini relati à D. Thoma 2. 2. *qu. 64. art. 7. in 2. arg. contrario,* ubi ait: *quomodo à providentiâ a peccato liberi sunt, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humana cade polluti sunt?* ac ex cap. *suscipimus eod. tit.* ubi: *expeditur potius rerum sustinere iacturam, quàm pro rebus vilibus, & transitoris, tam acriter in alios exardescere.* Propterea DD. ex Fagn. in 5. *ad cit. cap. suscepimus de homicid.* discurrentes de irregulari-

regularitate Clerici ob occisionem, obfervant: quod, quandoque Clericus operatur aliquid ad defensionem personæ & rerum; aliquando ad defensionem personæ tantum: & sæpe ad defensionem rerum dumtaxat; primo casu, si defensio sit necessaria, & inevitabilis, & cum moderamine inculpata defensionis, non efficitur irregularis, si ex tali facto homicidium sequatur, ex *Aleg. cap. intersecisti.* & *Clement. Si furiosus de homicidio.* Si verò nulla sit necessitas defensionis, irregularitas non vitatur; idem in secundo casu defensionis dicitur: sed in tertio casu, quando pro defensione rerum tantum occidit, irregularitatem non effugit.

Sed dices, pecunia, & patrimonium dicuntur vita hominis: ergo, si pro defensione vitæ potest quis sine peccato in vasorem occidere, & pro defensione rerum, spoliatores.

Resp. Nullam esse proportionem inter divitias, & vitam; nam hæc est rebus temporalibus pretiosior, & sine dubio bonum incomparabiliter majus; solum potest analogia procedere quoad quid, quatenus homo pecunia, & patrimonio vivit; non verò quoad hoc, ut pro defensione rerum liceat hominem occidere. Quod evidenter opinor ex his concludi; si puella, ipsa invita, violatur, violatio non imputatur ei ad peccatum, modo ex animo resistat, & consensus absit, sed duplicatur ad coronam, cum non coinquinetur corpus, nisi de consensu mentis, ex *D. Thoma cit. art. 5. ad 3.* Si honor lædatur, potest a via reparari; vel saltem homicidium ad id non est medium, juxta dicta *lib. 1. cap. cit. nu. 19.* Bona etiam

Matthæi Cautela Confess.

temporalia, alia via reparari possunt sine occisione, ut beneficio legis, vel implorando officium Judicis, vel esse potest spes reacquirendi beneficio restitutionis; vita autem non potest alia via reparari: nam mortuus officium Judicis implorare non potest: ultimum enim malorum, & maximè terribile est mors ex *D. Thoma cit.*

9. Nec obstat, quòd propositio 31. damnata ab Innoc. loquatur de occidente furem pro conservatione unius aurei, quia in 32. Pontifex damnat, etiam pitionem dicentium pro majori summa licere homicidium; nam Authores dixerunt: non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus (nota hic non distinguere, an sint magni, vel infimi pretii) Sed etiam, ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus: quam Innoc. damnat, ut jacet, & quoad utramque partem.

Hinc cautè legendus Ilung. Theol. pract. tract. 4. disp. 3. qu. 2. art. 2. §. 1. nu. 68. qui tamen post decretum Innoc. scripserit, adhuc docuit esse permissam facultatem occidendi ad defendenda bona externa, si magni sint pretii, & de facili recuperari ne queant.

10. Sed quid respondebis Confessarius pœnitenti accusanti, se occidisse. & sagitta confodisse furem, equo fugientem, alias non recuperaturus summam pecuniæ, quam sibi per fracturam portarum, & parietis abstulit; alleganti se non peccasse occidendo, ex illo *Exodi 22.* Si effringens fur domum, vel suffodiens, fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis; alias multum *Respublica fur-*

(D d d)

tie,

is, & rapinis perturbabitur, dum fures noverint se non posse à furis per rerum Dominos impediri?

Resp. Allegabit ipsi sequentia verba ex eodem capite: *quod si, o sole, hoc fecerit, homicidium perpetravit, & ipse morietur.* Saceritaque textus in primo versu loquitur de fure nocturno, & in secundo de fure diurno; rationem diversitatis assignat August. apud Fagnan. in quintum ad cap. *sicut dignum de homicid. num. 11.* quia scilicet occidens furem, si iam sole poterat discernere, quod ad faciendum, non occidendum venisset, & ideo non debuit occidi. Et probat: propterea fur nocturnus occidi potest, quia incertum est, an venerit animo occidendi, vel furandi; & ita, quoad eum, agitur de periculo personæ, & rerum simul; quoad verò diurnum, de periculo rerum dumtaxat: ideo nunquam pro solis rebus licet furem, etiam nocturnum occidere, sed solum, cum agitur de defensione, etiam personæ, sed cum moderamine inculpatae tutelæ: cum nimirum Dominus, armis aggreditur, & mortem non potest evadere nisi se defendat, & defendendo aggressorem occidat; in quo tamen debet servare moderamen allegatum: ex dictis Cap. cit.

11. Quaritur, quid agendum Confessario cum penitente, qui exponit. Pater, Antonius quatit me apud Judicem de gravissimo furto (diebus præteritis in Ecclesia N. facta,) accusare, & ad id probandum falsos testes habet paratos, propter quod ego certe, quamvis innocens, damnabor: vel saltem, omnibus bonis privabor: crederem me posse licite prævenire, & Antonium, ac testes occidere;

nam id est probabile apud Molina, Sancti, Lugo, aliosque: etenim melius licet me defendere meliori via possibili?

Resp. Debet penitenti significare, se non posse sine peccato Antonium, vel falsos testes occidere; nam nulli, privata auctoritate, licet mortem alteri inferre; aliàs maximè turbaretur Respublica, & inutilis esset Publica Potestas, cui cura Communitatis est commissa, & ad quam propterea spectat bonum Reipublicæ promovere, & homines ad mortem damnare, dum eorum occisio ad bonum Communitatis ordinatur. Nec penitens est in casu, in quo licitum est injustum invasorem cum moderamine inculpatae tutelæ occidere; nam, si sermo sit de invasore rerum, est certum ad defendendas res præcisè, non esse licitum spoliatores occidere propter improprietatem, quæ est inter res, & vitæ: si verò agatur de ipsius vita, jam patet, quod alia via potest se defendere, quam occidendo: vel per absentiam à loco: vel viri prudentis officio apud Judicem interposito, qui eum de veritate sciti certior: aut allegando suspectos testes & accusatores: aut appellando à sententia; Immo, si eos occidit, non procedit cum prædicto moderamine; nam occisio non est unicum medium ad mortem evadendam, sed potius consideratur efficax ad mortis supplicium, in iusta occisione promerendum.

12. Sed quaritur, an licitè possit resistere ad eorum testimonium infirmum crimen falsum obijcere?

Resp. Negative; nam reus non habet jus defendendi se illo medio cum firmamentum, quod est intrinsecè malum; Ge-

neraliter ex iustitia quilibet tenetur vitare omnem actionem, ex qua malum proximo sequitur, & ad quam ponendam propterea jus non habet. Vide D. Thomam 2. 2. qu. 69. art. 2.

Sed dices, ergo si esset in fortis Curia deberet mortem innocens sustinere.

Resp. Affirmative, si enim, servato juris ordine, mortem effugere nequit, debet potius eam propter alia peccata sustinere, quam perjurare, vel mentiri, aut aliquid aliud malum operari; nam, non sunt facienda mala, ut eveniant bona.

Ideo, quamvis opinio, quam poenitens sequitur, esset probabilis (quod prorsus negamus) adhuc poenitenti non foret licitum praefatos occidere; quia nec licet hominem occidere propter opinionem probabilem.

13. Quæritur, ad quid injustè occidens voluntarie alterum, vel mutilans teneatur?

Resp. Dum injusta sua actione sit causa damni, & injuriam faciat, debet primò restituere, expensas, & sumptus in curatione factos. 2. Compensare damnum emergens, & lucrum cessans, ex occisione, vel mutilatione proveniens: v. g. occisus, vel mutilatus lucrabatur quotidie quinque julios, occisor restituet, quod ex illis proveniebat hæredibus necessariis, qui jus habent petendi alimenta ab occiso, ad eoque ab occisore, qui fuit causa illati damni: in taxatione debet ponderari ætas occisi, an fuerit fortis, & robustus, ac pericula, & dies, in quibus ob infirmitatem; & festa, aut aliud impedimentum probabiliter, & verisimiliter non potuisset laborare; sed, quia difficile est definire, quantum sit resti-

tuendum, tutius est cum parte læsa se componere.

14. Sed quid, si occisus, priusquam decederet, remitteret occisori debitum homicidii?

Resp. Adhuc debet praefatis restituere id, quod ob injustam occisionem amittunt; nam censetur occisus remittere solummodo injuriam, non verò debitum restitutionis ad alterum: cum remittere non possit jus, quod illi habent ad congruam sustentationem, & alimenta recipienda; immò, si occisus ex præcepto Judicis debebat alere Fratres, & Sorores, istis etiam debet occisor compensare damnum illatum.

15. Sed quæritur, quinam reputentur hæredes necessarii occisi?

Resp. Qui in totum non possunt hereditate privari, & jus habent petendi ab eo alimenta, ut sunt uxor, filii, & parentes qui una caro cum occiso reputantur, & propterea censentur læsi per læsionem illius, qui una persona cum eis reputatur; hæredes autem non necessarii, seu voluntarii dicuntur illi, qui, licet succedant in hereditate ab intestato, nihilominus privari possunt, ut Fratres, Nepotes, aliique consanguinei. Verum, si Soror propter occisionem Fratris, à quo sustentationem recipiebat, in tali constitueretur statu, ut aliunde eam non posset habere, ad restituendum damnum debet homicida obligari.

16. Sed quæritur, an homicida teneatur restituere expensas factas in funere?

Resp. Negative, quia quovis tempore mors evenisset, Parentes, & Hæredes tenebantur ad funus: & proinde reputari debent, veluti expensæ ortæ ex nostra

(Ddd) 2

con-

conditione, non verò ex injusta occasione: nisi occasione illata mortis in loco alieno, vel extra Patriam, majores sumptus facere fuisset necessarium; nam tunc est restituendum damnum emergens.

17. Sed quaeritur, an homicida teneatur solvere debita creditoribus occisi?

Resp. Negativè; quia, nec in foro externo, quod est cultus justitiæ, datur actio creditoribus contra occisorem, nec in interno conscientiae, interrogatur occisor, si occisus haberet creditores. Limitatur, nisi occiderit animo nocendi creditoribus; nam tunc erit causa moralis damni creditorum, juxta cap. Si culpa tua, de injuriis, ubi hæc sunt: *si culpa tua est damnum, vel injuria irrogata, seu alius irrogantibus opem fore tulisti, aut hac imperitia tua, seu negligentia evenerunt, jure super his satisfacere te oportet.*

Unde sequitur; quòd si illicitum sit hominem occidere ad defendendum honorem, & bona fortuna, à fortiori sit etiam ad defendenda jura in ipsa bona, & impediendum, ne quis Præbendam, aut Cathedram consequatur; nam bona in spe, & jus ad rem, minus valent, quàm bona, quæ possidentur, & jus in re. Tunc quia, Respublica habet jus publicum defendendi ferro, & armis privata jura: ergo nulli alteri id licet, sed ad ipsam recurrendum est pro injuriis, quas quis ab alio recipit, ut contra reos juris remedia adhibeat.

CAPUT XX.

Prop. XXXIV. & XXXV. ab Innoc. XI. Sc. Abortu.

1. PROP. 34. *Licet procurare abortum ante animationem factum, ut puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.*

PROP. 35. *Videtur probabile, omnem fatum, quamdum in utero est, curere anima rationali; & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.*

Cum familiare sit pluribus, sive maribus, sive feminis, ut libidinis, sine periculo jacturæ honoris frequentius indulgere possint, herbas, & alia sterilitatis venena, vel pocula præbere, & respectivè sumere, vel suadere, & consulere, ut sumantur, ad effectum non concipiendi, vel extinguendi fatum; ideo Confessario ad assumptum muneris debitum injucundum non erit infra ponenda, occasione præfatarum propositionum, animadvertere.

2. Et I. ponderet, DD. omnes contra Authores propositionis 35. convenire factum in utero matris anima rationali informati, statim ac formati, & organizati sit, sed in assignando puncto temporis non conveniunt ut infra n. 3.

II. Ponderet esse omninò certum, quòd priusquam proles nascatur, informata sit anima rationali; quòd habetur ex 1. Lucæ: ubi de Joanne Baptista in utero matris existente dicitur: *ut audivit salutationem Mariae Elisabeth, exultavit infans in utero ejus.* Nec subsistit responsio ab-

secen-

ferentiam fuisse tunc animatum anima sensitiva, non verò rationali; nam, omisso, quod de anima irrationali (quale est, quod solum anima sensitiva vivit) non verificatur, quod sit infans, nec, quod possit exultare, & gaudere: directè falsitas responsionis concluditur ex alio ejusdem capitis textu: *Et Spiritu Sancto replebitur, adhuc ex utero matris sue*: nisi autem animam rationalem habuisset, non potuisset in matris utero Spiritu Sancto repleti. Dicitur autem per miraculum fuisse Joanni animam rationalem infusam, abique necessitate asseritur, & sine fundamento in generatione hominis ad miracula recurritur. Animatio post Innoc. decretum in dubium amplius revocari non potest; nec affirmari probabile esse, quod pro toto tempore, quo est in matris utero, careat fetus anima rationali.

3. Quæritur, quandonam fetus animari anima rationali dicatur?

Resp. DD. non conveniunt: alii pro masculis assignant 30. diem: alii 32. alii 40. & alii 42. pro foeminis verò, quidam 40. alii 70. & alii 80. Ratio diversitatis, & cur non eodem tempore animentur, solet esse diversa caliditas, vel frigiditas matris, Communiter tamen apud Quarta sum. ver. Abortus num. 5. Layman. lib. 3. tra. 3. par. 3. cap. 5. num. 3. asseritur maribus citius animam infundi, quam foeminis; masculis post quadragesimum, & foeminis post octogesimum diem à conceptione. Vide Gloss. in Clement. un. de sum. Trinit. 14. ver. simul. ac ad cap. cum enixa dist. 5.

4. Sed quid, si dubitetur, an sit masculus, vel foemina?

Resp. Præsumendum est, factum esse animatum post quadraginta dies; nam tutior pars est eligenda.

5. Sed dubitabis, an dubitans factum esse animatum, & ipsum occidens, adans causam abortui sit irregularis?

Resp. Affirmativè; nam in dubio facti, cui est annexa censura, & irregularitas, debet quis se gerere excommunicatum, & irregularem, cap. ad Audientiam de homicidio, quia in dubiis semitam debemus eligere tutiorem, ut ibi text.

6. Sed quid, si alleget se non habuisse intentionem, & propositum occidendi factum?

Resp. Est irregularis, quia jam cooperatur morti factus, cap. sicut il 2. de homicid. & homicida formaliter est, quia concūrit ad necem hominis; nam factus animatus homo est, cum anima rationali, & corpore constet: ad differentiam ejus, qui efficit, vel cooperatur ad ejectionem factus inanimis, qui non formaliter, sed reductivè est homicida, ex quo tollat vitam ei, qui eam habet, non in actu, sed in potentia, cap. si aliquis eodem tit. ubi Gloss. in ver. ut homicida, notat, irregularitatem non incurri, nisi homo iam animatus interficiatur, vel ejus interfectioni cooperetur.

7. Quæritur, contra quam virtutem facit, qui procurat abortum factus?

Resp. Contra justiciam: nam occidit innocentem, quod est intrinsecè malum, & injuriam facit factui, qui jus habet, ut sibi non inferatur tale damnum. Si factus non sit animatus, privatur vita, ad quam est in potentia, seu impeditur, ne vivat; si verò animatus sit, tollitur ab eo vita, quam habet, & cum morte temporali

(Ddd) 3

porali infertur mors aeterna; idèò gravius peccatum est secundum, quam primum; & si procurans, vel consulens sit Pater, vel Mater, peccat etiam contra pietatem.

Advertastribus modis verificari, quod procuretur abortus I. Impediendo, ne factus, sequuta copula, concipiatur. II. Ut, jam conceptus, antè animæ rationalis infusionem, ejiciatur ex utero. III. Ut post ejusdem animæ infusionem, ita immaturè pariat, ut pereat, & vivus non edatur: sive id contingat percussio- nibus, venenis, medicamentis, potio- nibus, oneribus, laboribus, auxilio, consilio, favore, vel aliis etiam inco- gnitis modis. Propterea, cum malitia abortus consistat in hoc, quod tendat ad pueri occisionem formalem, vel virtua- lem, peccatum erit gravius, vel levius, pro ut magis ad perfectum homicidium accedit. Gravis itaque, & lathalis cul- pa est, si conceptio impediatur: gravior, si postquam est conceptus fetus, extin- guatur: & gravior, si post animationem occidatur: in hoc tertio sensu excommu- nicantur, quotquot abortum causant, vel consulunt, vel eidem scienter coo- perantur, sive causa principales sint, si- ve sociæ, aut consociæ, ut loquitur Six- tus V. *const. effrenatam, de qua infra n. 16.*

8. *Quæritur, accedit mulier, qua se accusat: Pater, à paucis diebus, insuf- ficientibus ad animationem fetus, con- cepti ex viro meo, & quia experta sum in aliis partibus difficultatem pariendi, & periculum mortis, ad istud vitandum, peto, an possim sumere mendicamenta apta ad expellendum fetum?*

Resp. Negative; & debet esse commu-

ne id matri non licere, non modo, si fe- tus sit animatus, ne defectu baptismatis perdat vitam æternam; quam mater te- netur ex Charitate præferre bono tempo- rali vitæ propriæ; verum etiam, si non- dum factus animatus sit deducitur ex pro- scripta propositione, quæ alleit: *licet procurare abortum ante animationem fetus, ne puella deprehensa gravida oc- cidatur, vel infametur*; ergo non licet expellere fetum inanimatum pro vitanda occisione, aut infamia matris; sed si ad vitandum periculum mortis matri liceret sumere remedia expulsiiva fetus, jam lice- ret expellere fetum pro vitanda occisi- one matris, ergo non licet: directa enim procuratio abortus est absolute illicita, adeoque in nullo casu prudenter eligibi- lis. Tum quia, est probabile, quod ma- ter in partu, non decedat, sicut aliis contigit; occisio autem fetus est omni- nò certa, ergo ad evitandum probabile periculum mortis in matre, non est assu- mendum pro medio certa occisio fetus innocens. Nec in casu verificatur, quod fetus sit injustus aggressor vitæ matris; adeoque, quòd liceat eum necare; nam licita est occisio injusti aggressoris, sed cum moderamine inculpate defensionis, cum scilicet est certa, & inevitabilis mors aggressi, si non occidatur aggressor, sed in casu mors matris non est cer- ta, & est spes vitandi. Tum quia, mater voluntarie tali periculo se exponit. Tum quia, fetus in ordine ad matrem inno- cens est.

9. *Sed quid, dicendum, si pregnans sit graviter infirma, & nisi sumat me- dicamenta tendentia ad expulsionem fe- tus, mortem non effugiet?*

Resp.

Resp. Casus de facili potest in praxi occurrere, ad quem non omnium est una responsio. Duplex ad propositum distinguitur medicamenti genus: alterum, quod directè tendit ad occidendum fetus, & ipsum ejiciendum: alterum, quod solum respicit sanitatem matris, ut venæ scissio, pharmacum humoris purgativum &c. quæ aliquando solent nocere fetus (hoc dicitur medicamentum indirectè tendens in fetus detrimentum) modo. Si fetus animatus sit, non licet dare prægnanti graviter infirmæ pharmacum ul- lum, ex quo cum salute matris, sequatur, etiam indirectè fetus mors; propter rationem allegatam *num. 7.* nam ordo charitatis christiana exigit, ut vita spiritualis animati fetus præferatur vitæ corporali ipsius matris.

Sed id limitant DD. nisi judicetur matrem, simul cum fatu morituram; tunc enim putant licere matri præbere medicinam, ex qua sequatur probabilis spes vitæ ipsius cum periculo abortus, cum in pari casu, & necessitate mater debeat prius respicere, & consulere sibi, quam proli. Verùm, quia damnum fetus foret certum, & spes vitæ matris, ac mors fetus cum illa matris, solum probabilis; idè in casu relinquatur mater in manu Creatoris.

Si verò sit inanimis, dicendum etiam, nec licere foeminae gravida sumere pharmacum, vel venam aperire ad conservandam suam vitam, quando pharmacum, & venæ scissio non esset ad hoc conducens, nisi quatenus interficeret infantem, quia tunc directè, & per se intenderetur occisio fetus, quod, ut diximus, est in- trinsecè malum, & illicitum. Nec fetus

in casu reputatur injustus aggressor vitæ matris, cum potius sit infirmitas. Cum intentione tamen directà ad sanandam matrem illicitum non existimant Autho- res, posse matrem graviter infirmam sumere pharmacum per se, & ex natura suæ ordinatum ad salutem ipsius, & non ad damnum fetus inanimis, quamvis per accidens in isto nocentem sequatur: tunc enim interfectio fetus non intenditur, tamquam finis, aut medium ad conser- vandam vitam propriam.

10. Sed difficultas est, quando censeatur per accidens, & indirectè sequi damnum fetus?

Resp. Judicium relinquatur prudentiæ, & doctrinæ periti medici. Credidit tunc non censeari per accidens, sed per se, & directè sequi, cum frequenter, & ut in pluribus extali, vel tali medica- mento damnum inferatur.

11. Queritur, an puella, que omnino invicta, & inculpabiliter passa est violen- tiam a viro, & gravida effecta est, possit licite ad evitandam infamiam in populo, & occisionem a parentibus, fetum, sal- tem inanimem, expellere?

Resp. Aliquibus placet affirmativa sententia, quia factum non est, ut quis sine propria culpa tantum damnum susti- neat. Tum quia, fetus in utero est in- justus aggressor vitæ puellæ, quilibet autem potest se defendere contra inju- stum aggressorem, etiam occidendo il- lum.

Contra quos est Innoc. nam Pontifex absolutè, & universaliter damnat opi- nionem, quæ doceat licere expulsionem fetus inanimis propter vitandam infamiam, aut occisionem foeminae corruptæ, sed

479
 sed hoc ipsum præfati affirmant, ergo contra decretum discurrunt, ergo non licet puellæ abortum procurare. Cum moderamine inculpata tutelæ est quidem licita defensio occisiva injusti aggressoris ex dictis lib. 1. cap. 13. nu. 10. sed in casu, nec fetus est injustus aggressor, sed innocenter se habet, nec ejus expulsio est unicuique medium ad mortem vitandam; nam posset evadi beneficio alicujus consanguinei, vel Ordinarii per reclusionem in monasterium; idem resolas id puellæ non licere.

12. Deinde procuratio abortus est ab intrinseco mala, nociva speciei humanæ, & ipsius multiplicationi, ergo omnino illicita, & datur stricta obligatio ipsam non procurandi; nec potest id ex quovis sine honestari; cum, nec propter quodcumque bonum, etiam vitæ, liceat minimum peccatum committere.

13. Sed quid, si puella Confessario significet, ex viro, quem turpiter cognovisti, concepisti, & ne talis cognoscat, aut tali vivam dedecore, parata sum me occidere: habeo ad hoc paratum venenum: statim ac discessero, illud bibam, vel gladio me confodiam: volo mori potius, quam infamis vivere; quaeritur, an Confessarius possit ei suadere: propositum te occidendi dimittas, non enim desunt media ad extinguendum abortum: hoc, vel illud sumas?

Resp. Multorum sententia est, licere Confessario abortum consulere, nam id est minus malum, quam mors Puellæ, quæ secum trahit abortum, & necem prolis; nec tunc per eos, censetur cooperari, vel influere in abortum, sed solum consulere minus malum; ut, quod

non committat duplex homicidium; exemplum ponunt in Petro parato furari, & occidere Paulum: dum quis eum videt nolle ab utroque cessare, ajunt, posse consulere minus, furtum nimirum: nec in tali casu influit in furtum, quia ad id Petrus jam est paratus, sed influit solum, ut non occidat; fundantur in eo universalissimo principio: de duobus malis minus est eligendum.

14. Quorum sententiæ resistit decretum Innoc. nam per decretum statuitur, non licere procurare abortum fetus inanimis, ne puella deprehensa gravida infametur, sed ipsa sententia id licere concludit, ergo repugnat decreto. Neque verum est, Confessarium non cooperari abortui; nam revera consilium præbet, directè tendens in damnum fetus; & de præbente consilium verificatur, etiam abortum procurare, juxta disposita à Sixto V. in alleg. const. Effrenatam. Propterea Confessarius abortum suadere non debet; nam semper ipse habetur directè innocentis occisio, quæ allumeretur, ut medium ad impediendam illam culpabilis Puellæ; sed totus esse debet, & conari, ut puellam removeat à concepto proposito; quod si non proficiat, eam Deo commendat. Sed videat, ne novita Confessionis extra ipsam utatur, vel apud Parentes, aut alios, ad effectum, ut impediant; nam sigillum Confessionis frangeret, quod in nullo casu licet.

15. Adductum axioma de duobus malis minus, &c. valet solum in malis physicis, & quando est necessitas eligendi alterutrum, non in peccatis, quia peccatum non est eligibile, nec ipsum eligere necessitatur: nam non peccamus eligendo,

do, quod eligimus necessariò, quia ex August. *nihilus peccat in eo, quod vitare non potest*, v. S. Th. cit. q. 43. art. 7. ad 5. In malis itaque physicis illud verificatur: & exemplum sit: est intans in periculo, ut decedat sine baptismo: hæreticus mihi, districto gladio, mortem minatur, si baptizem: sum in necessitate eligendi mortem temporalem mei, vel damnationem æternam infantis permittere: deo eligere illam, ut minus malum. In peccatis autem non concludit: & ideo parato occidere, vel furari, neutrum possum consulere, quia præfatus non est in necessitate eligendi unum, vel alterum, ergo imprudenter unum, vel alterum consulo. nam semper consulo peccatum, quasi foret eligibile.

16. Quæritur, quomodo se gerere debeat Confessarius cum penitente, exponente, se procurasse abortum?

Resp. Interroget, an factus fuerit animatus, vel inanimatus; si inanimis sit, modò aliàs sit capax, potest absolvere; si verò sit animatus, non potest, cum sit excommunicatus excommunicatione reservata Ordinario juxta const. Greg. XIV. incip. *Sedes Apostolica pia mater* 8. Bull. tom. 1. per quam moderatur illam Sixti V. *Effrenatam* 37. ibid. Unde sciendum Sixtum V. cum aliis pœnis statutis contra procurantes aliquo modo abortum factus, sive animati, sive inanimis, decrevit excommunicationem ipso facto inentendam, Sedi Apostolicæ reservatam; Greg. autem, quantum ad pœnas, latas in procurantes abortum factus non animati, aut exhibentes mulieribus, vel sumentes venena sterilitatis, Const. revocavit, & reduxit ad terminos juris com-
Matthæi de Cautela Confessi.

munis, Sacrorum Canonum, ac Conc. Trid. dispositionem; quantum verò ad pœnas iisdem impostas post animatum factum, eam moderatur solum, quòd absolutionem ab excommunicatione, & peccato, quam Ordinariis locorum reservavit; à quibus potest quilibet Confessarius approbatus absolvere, modò ad id specialem deputationem obtineat.

Propièrèa ponderent Confessarii. I. Non sufficere se habere facultatem, utrumque absolvendi à reservatis Episcopis, sed necessarium esse, esse specialiter deputatos ad hos casus, ut scilicet in facultate individuò exprimat, quòd possit absolvere delinquentes circa abortum factus animati, ut expressè const. Greg.

II. Quòd censura non incurritur, nisi effectu mortis sequuto, seu, ut re ipsa abortus animati factus sequutus fuerit, & nisi scienter abortus procuretur, ut ibid. Sixtus.

III. Hic Romæ potest quivis Sacerdos approbatus absolvere ab excommunicatione incurfa propter abortum factus animati, quia hic solum prohibentur Confessores absolvere à casibus reservatis Pontifici, & Sedi Apostolicæ.

17. Sed quid, si pœnitens dixerit, probabile erat, quòd non fuerit animatus.

Resp. Eum absolvere nequit; nam reus est homicidii; adeoque excommunicatus, quia potuit in re hominem occidisse, arg. ex cap. *ad audientiam*, & cap. *petitio de homicid.* Etenim, dum probabile est non esse animatum, probabile est etiam animatum esse (nam probabilitas, non facit evidentiam de una parte,
(Eee) te,

te, quinimodò formidinem relinquit de opposito) ergo, qui circa eum delinquit usque ad ejectionem ex utero, & cum damno, ut ad vitam non veniat, exponitur periculo proximo occidendi hominem, qui autem simili periculo se exponit, jam reus est homicidii: cum in moralibus ejusdem malitiæ sit constituere se voluntariè in morali, & proximo periculo committendi aliquod crimen, & illud committere, ergo. Propterea, dum mihi est probabile id, quod à longè video esse hominem, & probabile esse feram, homicidii reus ero, si telum in eum dirigam, & sclopum explodam, quia me constituo in probabili periculo proximo occidendi hominem; & excommunicationem incurro, si hominem occidam, quamvis fuerit mihi etiam probabile, quod esset fera; dum pro hominis occisione sit censura imposita.

CAPUT XXI.

Prop. XXXVI. & XXXVII.

ab Innoc. XI. &c.

Furtum.

1. PROP. 36. Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

PROP. 37. Famuli, & famule domesticae possunt occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

Præsentēs propositiones spectant ad instructionem de furto dandam Confessione, idè de ipsius natura, & furtis, quæ

famuli in rebus dominorum committunt, aliqua dicenda sunt.

Ex cap. 9. num. 5. notetur discrimen inter necessitatem extremam, gravem, & communem; & quæ dicantur bona superflua naturæ, & superflua statui, ac, ex quibus superfluis teneantur divites elemosynas elargiri.

2. Notetur pariter, extra controversiam esse, licere extreme indigenti ad subveniendum sibi, ne fame pereat, ex rebus alterius necessaria sumere; nec tunc furtum committitur, ut probat D. Thomas 2. 2. qu. 66. art. 7. in corpore, nam pro eo statu omnia ad communitatem redeunt: divisio enim, & appropriatio rerum est introducta jure Gentium (lege minime per homines statuta, quam servare debent omnes Gentes) ob bonum, & pacem Orbis, sed jus Gentium non derogat legi naturæ, qua omnia in extrema necessitate sunt communia, ne Orbis pereat, ergo &c. Consequenter injuriam non facit domino rei, qui invitus esse non potest, sed potius credi debet, quod permittat, juxta Gloss. in cap. si quid de furt. in verb. possidet.

2. Sed quaeritur, quare in extrema necessitate sit licitum aliena surripere: & propter necessitatem famis; v. g. excuser à furto, & ab homicidio, si propter necessitatem me defendendi, meam invasorem occidam, & in necessitate ad vitam salvandam, non excuser à voluntaria seminis effusione?

Resp. De hac re vide infra cap. 28. Sed discrimen est, quia primo casu jus naturale subvenit, & excusat, cum propter necessitatem res sit facta communis; in secundo verò, ut cit. Gloss. loquitur, ego non interficio, quia aliud non intendo, quam

quàm me defendere; immò potius ipse se iustificat, qui me aggreditur ex dictis lib. 1. cap. 13. at in tertio accusat turpitudinem, & essentialis inhonestas, ac deordinatio ipsius, & horror proveniens ex peccato; unde debet potius omnia mala sustinere, quàm peccato consentire, cap. itano 32. qu. 5. Vid. Fagnan. in 4. ad cap. ex literis de divor. ius num. 8. & Illung tr. 4. disp. 1. §. 2. n. 27.

3. Quæritur, in quo differant furtum, & rapina.

Resp. In hoc, quod furtum sit acceptio rei alienæ, invito Domino rationaliter. D. Thom. cit. art. 3. & quia in conscientia injusta detentio rei alienæ reputatur furtum, idè ly acceptio late sumitur: immò, cum Dominus possit à commodatario, pignoratario, & depositario rem suam furto auferre, propterea debent verba: *res aliena, & invito Domino*, accipi late: ut eatenus res dicatur, etiam aliena, & aliquis Dominus rei, quatenus habet jus detinendi illam rem, & prohibendi alteri ejusdem acceptionem; propterea posset furtum sic describi: *est acceptio boni externi sine vi, & absque consensu ab eo, qui, vel est ejus Dominus, vel legitime retinet illud.*

Rapina vero est, *injusta ablatio boni externi palam, cum vi, & violentia facta.*

5. Quæritur, an in Confessione sit explicandum, an res ablata fuerit furto, vel rapina?

Resp. Affirmativè; ratio est, quia furtum, & rapina specie differunt, ex D. Th. cit. art. 4. nam per furtum unica tantum injuria fit Domino, surripiendo bona; per rapinam verò, præter istam, alia injuria fit personæ, dum ab ea per

violentiam bona auferuntur; & idè per hanc duplex jus læditur: jus, quod quis habet in bona, & jus, quod habet, ne sibi violentia inferatur damnum in bonis.

6. Quæritur, an furtum, & rapina sint ex suo genere mortale?

Resp. Affirmativè, ex D. Thom. art. 6. ratio est, quia, in quantum sunt acceptio rei alienæ, opponuntur justitia, quæ reddit unicuique, quod suum est: justitia autem sub mortali obligat; & destruit charitatem, & pacem cum proximo; nam ex charitate tenemur proximo bonum velle, per furtum autem nocuum in suis rebus inferimus: omne autem id est mortale, quod charitati contrariatur, ex D. Thom. ibid. ex parvitate tamen materiæ, & dum hæc sit levis, excusari possunt, & esse veniale.

7. Sed quæritur, quando furtum censetur mortale ratione materiæ gravis, seu, qua quantitas per se loquendo requiratur, ut quis furando peccet mortaliter?

Resp. DD. non conveniunt in determinanda gravitate, vel levitate materiæ. Navarrus in manuali statuit dimidium Julium pro materia furti mortali: Corduba unum: Toletus, & Lessius duos: alii pro materia per se mortalis furti designant id, quod æquivaleret mercedi diurnæ unius operarii, tempore, quo dies non sunt nimis longi, vel nimis breves: & alii pretium sufficiens ad sustentationem hominis plebei pro unico die. Sententia mihi probabilis, determinat tres Julios, à quovis auferantur, sive Rege, divite, vel alio; ratio est, quia debuit sub mortali ea quantitas, à quovis Domino accepta, prohiberi, quæ in majori hominum

num parte, vim habet alliciendi ad furtum, & à qua magna estimatur in ordine ad finem, maximè desiderabilem (ad quem finem ipsa bona temporalia à natura ordinata sunt) ad sustentationem nimirum, qua integro die possit convenienter vivi, & cogi, quis non debeat ad miserè vivendum; sed quantitas unius testonis est materia apta alliciendi ad furta, & sufficiens ad competentem sustentationem unius diei pro majori hominum parte, ac satis pro statu cuiusvis personæ ad plura comparanda, ergo petendo debuit sub mortali prohiberi: aliàs in majori hominum parte non impedirentur furta, & iniustitiæ multiplicarentur, laderetur pax, & charitas inter homines destrueretur.

Dixi per se loquendo, quia per accidens ratione nimirum damni, personæ illati, potest esse mortale furtum unius oboli, vel acus à factore.

8. Sed queritur, an furari unius testonem à divite sit mortale?

Resp. Affirmative: ponderet Confessarius in furto duplicem materiam: unam gravem ex se, & ex objecto: huiusmodi ex dictis num. Superiori reppatur unius testonis summa; alteram ex parte personæ, à qua res furto auferitur, considerato damno, quod ei obvenit ex ablatione propriæ rei; ex isto capite ablatio unius testonis à divite non apparet esse mortale: quia notabile damnum non infert; ex primo verò, utpote per se, & ex se materia gravis, mortale est: & ad hoc impertinens est damnum illatum. Hæc debet Confessarius inspicere, dum se pœnitentes de furtis accusant.

9. Queritur, an sit in Confessione ex-

plicanda quantitas furto ablata, v. g. furatur Petrus mille, an debeat exprimere furatus sum mille, an verò sufficiat abstuli furto quantitatem sufficientem ad mortale?

Resp. Ex lib. I. cap. 18. n. 3. debet quantitatem explicare, quæ est circumstantia notabiliter aggravans, & matans iudiciam Confessoris, vel circa dandam absolutionem, aut imponendam pœnitentiam, vel adhibenda morbo remedia: furanti mille major pœnitentia imponitur, quam furanti testonem: furans testonem, pro prima vice, si serio promiserit restituere, potest statim absolvi, etiam si non restituerit, & commode potuerit; furans autem mille, & potens de præsentibus restituere, non est absolvendus, nisi prius restituat.

10. Sed queritur, pœnitens se accusat: Pater, furto accepi mille. super quo primo interrogabitur à Confessario?

Resp. An unica, vel iteratis vicibus acceperit; quia, si simul omnia, unica vice abstulerit, commisit unum mortale, licet gravius; si verò pluribus acceperit vicibus, debet explicare, quot sint vices, quia si viginti vicibus v. g. abstulit, viginti peccata mortalia furti patravit.

11. Sed quid, si affirmet, abstuli viginti vicibus; an sex primis abstuli valorem unius julii, & in cæteris summam totalem?

Resp. Interrogandus est; an cum prima, vel secunda vice, quid minimum abstulerit, habuerit animum, & intentionem deveniendi ad materiam gravem, & plura furandi, vel non; si eo animo processit, etiam in prima vice, ob illum

anti-

animum, mortaliter peccavit; nam animus, & desiderium committendi gravem offensam in quacumque materia, est semper culpa mortalis; sed animus non habuit furandi plura, sed solum occasionaliter furatus sit, tunc non peccat mortaliter, in prima, secunda, vel tertia vice, sed quando pervenit ad retinendam rem alienam in quantitate notabili. Vid. cap. sequen.

Hinc à Confessatio sunt de ea intentione interrogandi, qui furtis, etiam minimis, sunt involuti, quia sæpe eis animus non deest majora surripiedi, licet pauca surripuisse fateantur: nam plura abstulissent, si occasio ad plura se obtulisset.

12. Sed quid, si se accuset: furatus sum unicum quadrantem, sine intentione majora furandi?

Resp. Interroget, an in præcedentibus furatus sit summam gravem, accedentem ad mortale: & si id invenerit, inquirat, an cum postea abstulit quadrantem, adverterit se ante materiam gravem accepisse; quod, si fateatur, furando quadrantem, mortaliter peccavit; ratio est, quia esto postea accipiat materiam levem, & summam venialem secundum se, tamen, quia eam accipit eum advertentia, quod præcedenter accepit materiam gravem, mortaliter peccat: si non ratione ejus, quod accipit, ratione tamen ejus, quod retinet, quia rem gravem retinet; vel propter animus, quem habet detinendi summam notabilem, eamque augendi parvis furtis subsequentibus: sed, an in casu teneatur ad restitutionem, dicam cap. sequen.

13. Sed quid, si dixerit, se non advertisse ad furti præcedentia?

Resp. Videat, an advertere debuerit; & censetur debuisse advertere, si habeat consuetudinem furandi, propter quam veluti ex habitu inadvertenter minima furatur; quo casu mortaliter peccat, & tenetur adhibere diligentiam ad illam consuetudinem extenuandam: experiendusque est antequam absolvatur. Utens pariter statera, in qua ex unaquaque libra tollitur semiuncia, debuit advertere, quod vendendo semper lucrum ex illa semiuncia proveniens surripit; & ideo toties mortaliter peccat, quoties cum illa statera merces vendit; & prorsus quam absolutionem recipiat, debet à se stateram remove, vel illam ad justum pondus reducere: nullus enim est absolvendus, nisi cum morali certitudine, quod habeat propositum efficax amplius non peccandi.

14. Sed quid, si habens illam consuetudinem, vel stateram, accesserit ad Confessionem ultimo die in quo urget obligatio implendi præceptum Paschale de annua Confessione?

Resp. Absolvi non debet, sed potest ei tempus prorogari, juxta cap. omnis utriusque sexus de penit. & remission. vel ad proprium Parochum dirigatur.

15. Sed quid, si affirmet se alias fuisse confessum de furto; & nunc dicat grave scandalum sequuturum, nisi communicet, & non absolvatur?

Resp. Ex hoc à fortiori Confessarius concludat esse indispositum, & non accessisse ad Confessionem nisi ad effectum solum vitandi pœnas ab Ecclesia inflatas; nam alias Confessionem non distulisset ad

ultimum diem; vel saltem priori Confessario, cui promiserat se corrigere, paruisset; à Confessario itaque absolvendus non est, ne sacrilegium committat; quod toties contingit, quoties absolvit, dubitans prudenter de proposito efficaci penitenti: si scandalum sequitur, sibi imputet, debet hoc prævidere; sed de hoc etiam *cap. 35.*

16. Quæritur, accedit venditor piscium, & se accusat; Pater, in vendendo utor statera dolosa, in qua ex quavis libra semiunciam emptoribus fraudo; & venditor vini, appetens, quoties vinum vendo, mensuram rado, vel non impleo, sic, ut pro unaquaque quadrantem lucrificiam; peto instrui, an mortaliter peccaverim? nam sum in sententia negativa, cum plures Authores doceant, non esse mortale auferre magnam quantitatem à diversis, modò auferatur à singulis parva: singulis enim parvum nocumentum infertur, & quilibet seorsum leviter læditur.

Resp. Debet Confessarius eos instruere, vel quod stateram, & mensuram projiciant, vel eas aptent, ut justum reddant: deinde significet falsitatem sententiæ, asserentis eum non peccare mortaliter, qui per pauca furta à diversis quantitatem notabilem auferit; nam repugnat Scripturæ. Proverb. 11. ubi dicitur: *stater a dolosa abominatio est apud Deum;* & Deuteronomii 25: *non habebis in sacculo diversa pondera, majus, & minus &c. Ponderis habebis justum, & verum &c. abominatur enim Dominus Deus tuus eum, qui facit hæc.* Et est Reipublicæ injuriola, cujus Cives, licet non sint formaliter graviter læsi, sunt tamen sic radi-

caliter, hoc est, in eare, quæ nisi graviter prohibeatur, maximum sequitur inconveniens contra bonum publicum, & indemnitate singulorum Civium; quoniam sic liceret unicuique ex industria ditescere ex alieno, fraudando mæsuras, falsificando merces, minuendo pondera, restringendo ulnas, &c. hinc, quæ fidelitas in commerciis? quæ justitia in contractibus? qui mores in Republica? Tum quia, etsi singuli formaliter sint parum læsi, tamen sic iste habet in suis bonis plus notabiliter, quam debeat habere, quod etiam, justitia interdicit.

17. Sed quid, si plures furaverint parvam quantitatem ab uno, & eodem, ita tamen, ut totum ab omnibus acceptum summam notabilem constitueret?

Resp. Vel omnes, & singuli conveniunt ad furandum, vel non: si primum, omnes peccarent mortaliter, quia sic singula sunt causa totalis gravis damni secundum se, & nemo scivit alios furaturos tantum, quantum cum quantitate ab ipso accepta faceret magnam quantitatem, nullus ex illis peccaret mortaliter, quia nullius furtum secundum se esset grave, & quilibet ignorabat reddi grave per furtum aliorum; quorum unio fuit casualis, & à nullo fuit damnium grave intentum, sed singuli solum ad suam portionem respexerunt.

Verùm, si bona alicujus essent ita exposita, ut verisimiliter præsumeretur, quòd, si uni liceret absque peccato latrocinari, etiam parvam quantitatem accipere, multi similem tollerent, & sic fieret illi notabile damnium; crederem, nullum posse

posse auferre parvam quantitatem absque peccato mortali, quia ex tali expositione bonorum posset facile cognosci, quòd furtum ex se paruum, redderetur magnum ex conjunctione cum aliis furtis: & ita videtur peccare mortaliter, qui ex vinea exposita sic, ut alii possint ex ea aliquid surripere, racemum uvæ accipit. Poncius.

18. Propterea à mortali non excuso eos, qui hic Romæ, per abusum graviter peccaminosum, fenum per minuta furta surripiunt, dum ad locum conservationi destinatum, trahitur: non modò propter intentionem, quam habent perveniendi ad gravem quantitatem; verùm etiam, quia, cum videant alios paratos ad surripiendum, jam censentur causa moralis gravis damni; quod, si non singulis Dominis, omnibus tamen simul sumptis provenit. Item dicitur de illis, qui tempore messis spicas colligant ultra eas, quæ manent post terga metentium, invententes in fine messis, se quantitatem notabilem de alieno habere, vel saltem intentionem ad id habendum habuerunt; propterea, si velint tunc retinere & non restituere, pauperibus saltem peccant mortaliter. Pondera, spicas à messoribus, & racemos post terga vindemiantium relictos, censeri pauperibus relinqui.

19. *Quaritur, an peccet mortaliter peccato furci venditor non aperiens defectum occultum suæ mercis?*

Resp. Affirmative, emptor enim præsumitur velle rem non vitiosam, & quæ sit sibi utilis; & venditor ex officio tenetur explicare conditionem, & vitium occultum suæ rei: maximè, si interrogetur

de bonitate, vel vitio ipsius; quod si affirmet vitio carere, & eam multum laudet, sciens occultum vitium, facit injuriam emptori, & dum hac ratione emptorem alliciat, contractus est invalidus, quia ei dolus causam dedit; nam, si emptori notum fuisset vitium, non emisset: & si emisset, non tanti; ideò tenetur venditor ad restitutionem quantitatis, ad quam fuisset emptor invitus.

20. *Sed quid de illis, qui fraude utuntur. Et bonis mercibus alias defectuosas, vel minoris valoris commiscet, v.g. frumento, secale, vel aliud corruptum: vino aquam miscet: vinum tenue cum generoso confundunt: lanas in locis aquosis constituunt, ut tanto magis ponderent: Et sic de cæteris in quibus fraus in qualitate & quantitate intervenit?*

Resp. Peccant mortaliter, si res propter admixtionem sit facta deterior, ut propterea emptor præsumi debeat verisimiliter invitus, quamvis ea ipsi vendatur justo pretio, quo valet cum illo occulto vitio; ideò, si vendo tibi vinum, ad statim bibendum optimum, in brevi tamen corrupendum, teneor tibi dicere hoc vitium, ut illud non serves.

21. *Sed unde cognoscendum, quòd emptor sit invitus?*

Resp. I. Cognosci potest, si rem non vitiosam petat. II. Si damnum postea debeat pati. III. Si res postea ei debeat esse inutilis, & dispendiosa. IV. Si rem ad conservandum emat; ut si emat vinum ad conservandum, & ob mixtionem aquæ, sicidò non absumatur, totum cum ejus damno corrumperetur, & aciescet: vel, si emat in quantitate fructus, & quia per industriam venditoris commixti sunt, cum aliis

aliis de facili ad putredinem tendentibus, statim deficient: in his, & similibus, emptor est verisimiliter inuitus, & contractus nullus; & cum venditor sit causa damni, ad restitutionem tenetur.

22. Sed quid, de illis venditoribus, qui, quia emptoribus non placent merces, nisi infimo pretio justo, & ipsi vellent eas vendere pretio justo medio, vel supremo, compensant id occulte diminutione mercis, in mensura nimirum, vel pondere: v.g. conantur mensurando pannum unam, vel mediam ulnam lucrari, ut simili modo perveniant ad pretium intentum?

Resp. Peccant mortaliter contra iustitiam, & obligantur ad restitutionem, ratio est, quia licet possent vendere merces pretio medio, vel rigorofo justo, id tamen post conventionem eis non licet; sed tenentur stare conventioni, quæ est iusta, licet sit de pretio infimo.

23. Sed quid, de illis, qui, dum faciunt computa cum mercatoribus, aliqua tacent, quæ certo sciunt se ab illis recepisse, & cognoscunt non esse à mercatore notata?

Resp. Peccant pariter mortaliter contra iustitiam, & ad restitutionem tenentur, quia rem alienam retinent.

24. Sed quid, si allegant se illa retinere, quia mercator, alias merces nimis care vendidit?

Resp. Similis excusatio eos à peccato, nec ab onere restitutionis liberat; nam, si convenerunt de pretio, etiam supra rigorosum justum, tenentur in conscientia stare pacto. Verùm mercator tenetur excessum restituere.

25. Quæritur, an famulus, cui Dominus committit aliquid vendendum hæc forma: *vendus hoc decem; possit sibi retinere aliquid, si viderit duodecim?*

Resp. Negative. sed totum illud est Domini, cui tradendum est; nam, idem Dominus pretium determinavit, ne res venderetur infra, non verò quod, oblata occasione, non venderetur supra infimum pretium iustum.

26. Sed quid, si famulus rem illam ipse sibi compararet pretio à Domino statuto, & plurius postea suo nomine venderet iusto pretio?

Resp. Facit contra iustitiam, quia verisimilis Domini voluntas est, ut intra latitudinem iusti pretii rem vendat, quantum potest: & propterea nullum legitimum titulum habet ad illud pretium sibi retinendum; nec ratione rei venditæ contra præsumptam voluntatem Domini; nec ratione ministerii, & industria, quia habet suam stipendium.

27. Sed quid de illo, qui non est servus, & ei restituitur, ut vendat pro se, & vendat pro isto?

Resp. Non potest sibi retinere illa duo, nam hoc obsequium regulariter amicaliter, & gratis præstatur.

Sed quid, si id non soleat exercere, nisi pro pretio, & stipendio?

Resp. Debet id notificare Domino, qui, vel seipso rem venderet, vel forte alium venditorem inquireret, qui sibi servitium gratis præstaret; vel saltem conveniret de pretio dando pro labore; & ideo totum pretium rei venditæ debet ipsi reddere, ut postea solvat juxta conventionem. De la Cruz 7. præcept. q. 2. nu. 7. in fine.

28. Quæritur, *accedit famulus instrui petens*; vellem scire, an possim sine peccato mortali occultè surripere à meo Domino aliquid in compensationem majoris laboris, quæ pro ipsius servitio præsto, cum pro eo salarium sit stipendium minus iusto.

Casus est satis frequens inter famulos, & operarios, qui sæpe conqueruntur, stipendia esse iusto minora, ideoque hoc titulo id alia via sibi compensant?

Resp. Negativè, ut in terminis ex Innoc. damnante 37. *prop.* Judicium, quod stipendium sit iusto minus, non debes tu efformare, nam ex amore ad propria commoda decipi potes, & cense te tibi evidentem injustitiam irrogari in quantitate salarii. Ideo advertas, quòd, sicut in mercibus datur triplex pretium, *summum, medium, & infimum*, ita, & in ministeriis famulorum; mensura autem stipendii, tum ex lege, tam ex consuetudine, tum ex pacto sumitur: nec mensuratur ab integra tui sustentatione, & familia.

Inquirat Confessarius, 1. An sint alii, qui pro eodem salario servient? an ipse Dominum rogaverit, ut ad suum servitium reciperet? & dum affirmet ei ostendat salarium, quod ipsi tenue videtur, iustum esse; nam merces ultroneæ vilescunt.

29. II. An de pretio conveniunt, sciens Dominum ad plura servitia famulos applicare, vel saltem dubitans, quod alii reciperentur, qui talem operam præstarent pro tali pretio; & tunc, debet stare pacto, nam, si tunc aliquid majus exegisset, fuisset ab herò licentiatius.

Matthæi xxi. Cantela Confess.

30. III. Quare cum experiatur, se ab herò nimis gravari propter varios labores, ad ipsum non recurrat, exaggerando tenuitatem stipendii, & quantitatem laborum, exponendo se pro eo tot labores, & operas præstare non posse? quia, vel tunc herus augebit pretium, vel alium famulum pro tali stipendio ad tales operas præstandas inquiet: ex quibus patet, Dominos semper invitos censei super excessu, quem sibi famuli occultè ad compensandum suum laborem surripiunt.

31. Quæritur, *an habens creditum, seu jus ad rem sui debitoris, possit per occultam compensationem surripere de bonis, ad qua debitor habet jus in re, usque dum sibi ad aequalitatem satisfaciatur?* exemplum est in famulo, cui herus ob servitium præstitum, debet ex prævia conventionem stipendium, loco cuius, dum ab eo illud petit, verbera recipit, & majora mala verisimiliter timet, si recurrat ad Judicem, apud quem non potest creditum justificare, nec consocii testari volunt, ob metum mortis, eisdem etiam à communi Domino comminata?

Resp. Rostarius apparat, *Theol. moral. p. 2. cap. 1 n. 9.* absolute affirmat; maxime, si cum circumstantia exposita concurrat, etiam esse creditum liquidum, & certum, & quod plus non accipiat. Cujus sententia non debet ita de facili ad praxim deduci; sed cautè est à Confessario cum similibus procedendum, ne mille injustitiis via aperiatur, & aditus occultis furtis præbeatur; ponderet itaque, vix posse in praxi contingere, quin occultum furtum, in compensationem factum, alteri innocenti impu-

(Fff)

impu-

imputerur, & in aliam culpa refundatur cum gravius praedictio; ideo hujusmodi modum compensationis nunquam consulat, sed potius, ut de alio Domino sibi provideat, & euret justitiam Judicis officio recipere; vel expectet satisfactionem sibi ex justitia debitam, officio Confessorum, qui Dominos ita duos non debent absolvere, nisi prius satisfaciant.

32. Sed quid si Confessarij invenerint aliquem sibi sic occulte satis fecisse?

Resp. Interrogent, an id praeterit cum dubio, quod alteri innocenti potuisset furtum attribui, & tunc est obligandus ad restitutionem: ut hac via impediatur in Domino teneraria judicia, & in tertio mala, quae probabiliter possent eidem obvenire; nam licet jus habeat ad rem illam Domini pro suo credito, non habet tamen jus ad eam surripiendam cum damno tertii: hinc sequitur, quod sententia Rotarii in praxi probabilis non videtur. Vide *Campionum part. 2. instruat. cap. 22. num. 3.*

33. Sed quaeritur, an peccet mortaliter, qui occulte accipit rem suam ab alio injuste detentam?

Resp. Affirmative, non contra justitiam commutativam, sed legalem, usurpando officium Judicis; sed nihil restituet, cum non acceperit alienum; sed tenetur aliquo modo monere eum, apud quem res erat, ne sollicitus sit pro restitutione: & in casu, quo id non possit, & alter restituat, debet sua ipsi secreto modo reddere. Pariter ex D. Thoma *cit. art. 3. ad 3.* peccat mortaliter, qui accipit suum librum depositum apud Franciscum sine hujus licentia, nam facit

injuriam Francisco, quia res deposita, quantum ad custodiam, est ejus, apud quem deponitur.

34. Quaeritur, an mortaliter peccet famulus scilicet à Domino surripiant quaedam ad edendum, & bibendum, & esculenta, & poculentia?

Resp. Affirmative: modo surripiant ad vendendum, vel donandum, ac ad abutendum, ad computationes, & commestiones: nam certè id graviter displicet heris, qui rationabiliter sunt invitati, etiam circa substantiam rei. Verùm, si surripiant ea ad bibendum, & edendum, non in notabili quantitate, & in rebus ordinariis, quas ipsi consumunt, & quae non solent ab heris sub clavi asservari, videntur graviter non peccare; ratio est, quia non censentur Domini, quoad haec esse invitati quoad substantiam, sed praesumuntur probabiliter consentire, dum scientes eum esse morem famulorum, ea sub custodia non concludunt.

Advertas cum DD. majorem quantitatem requiri, ut filii, & domestici peccent mortaliter furando, quam exteri: ratio est, quia minus verisimiliter invitatus reputatur Dominus respectu suorum, quam exterorum: non convenient tamen in assignanda quantitate, quae ad mortale sufficiat, ideo opus est prudentia Confessorii: nam certè minus invitatus erit Dominus liberalis, amicus, dives, quam avarus, & pauper, ac remissè amans: minus, si domestici furentur ad proprios usus, quam ad dandum aliis; minus, si panem, vinum, esculenta, & reliquias, quam pecuniam, vestes, & pretiosa electuaria: minus, si raro, & per modicam: magis, si per notabilem quantitatem,

ten, simul, & sepe res auferatur; & ex similibus dicatur.

Ceterum totus Confessarius esse debet, & curare omnes praefatos à similibus revocare, ne per pauca furta domestica ad graviora descendant, Deum graviter offendendo, & ne sibi, nec in gravibus conscientiam faciant.

35. Quiritur, *Super quibus Confessarius, quoad furtum, interrogabit Sartores?*

Resp. Interroget: I. An pannum, quem ex commissione accedentium ad proprias officinas à mercatoribus emunt, & pretio medio obtinent, commissarius vendiderint pretio majori, asserentes tantum valere volentes tali modo compensare etiam laborem, & operam, quam praestare non tenebantur; nam tunc certe peccant mortaliter, si notabiliter laedat emptorem, qui praesumitur verisimiliter invitus de excessu, putans tantum pretium fuisse pro eo à Sartore solum: Propterea & peccant peccato furti contra iustitiam, & peccato mendacii contra veritatem.

II. An aliquid detinuerint ex materia, in qua operantur (multi enim putant iustificare furta, allegantes ob multitudinem sartorum, non solvi sibi iustum pretium, & sic opus esse aliqua industria ad aliquod exiguum decinendum, quo compensent inaequalitatem; & tamen nosse deberent, hoc ipsum, quod multi eodem pretio parati sint opus facere, operari quodammodo, pretium esse iustum: nam multitudo locantium operas non parum conducit ad diminuendum pretium pro tali opere dandum) & quatenus affirmant: interroget: quoties id

Furtum.

411

egeat, & an semper in gravi quantitate? & si in parva, an habuerit intentionem perveniendi ad quantitatem gravem, & quot personas laeserit, & an ex consuetudine sit ad ea parva furta assuetus, & in casu procedat juxta dicta num. 6.

III. An plus iusto exigant pro labore vestis, Togae &c.

IV. An suis operariis stipendia retineant &c.

36. Quiritur, *an mortaliter peccaverit argentarius in emptione gemmae, cujus valor erat venditori incognitus, pro qua dedit pretium non adequatum ipsius valori. V. G. rusticus invenit gemmam, putat esse lapidem non tantae aestimationis: eam argentarius non ignorans esse gemmam, emit, sed pretio non iusto?*

Resp. Affirmative, nam venditorem graviter laedit, qui censetur rationabiliter invitus; ideo conveniunt DD. tenere emptorem, qui noscit rem vendendam plus à peritis aestimari, monere venditorem de singularitate, & aestimabilite rei, vel augere pretium juxta aestimationem valoris, quem habet.

37. Sed quid, *si emptor rustico dixerit; ego volo esse in conscientia tutus, ideo, si forte res plus valet, dones mihi excessum?*

Resp. A mortali non excusatur; nam cum dolo, & fraude procedit: nec donatio sic qualificata tenet, quia propter ignorantiam censetur involuntarie donare: nec contractus subsistit, ut ex dicendis cap. 23. patebit; timeant isti dictum Augustini

(Fff) 2

gustini *lucrum in Arca, damnatum in conscientia.*

38. *Quæritur, de quibus interrogandi sunt poenitentes circa præceptum, non furtum facies?*

Resp. I. An scienter acceperint, vel detineant rem alienam. II. An rem furto sublata emerint. III. An vendiderint, vel emerint cum fraude, in pretio, & mensura, & fallacibus mensuris fuerint usi. IV. An aliorum agris, hortis, Domibus, vel bonis aliis damnatum intulerint. V. An debita creditoribus, mercedem operariis, salarium famulis, potentes solvere, cum eorum damno, solvere distulerint. VI. An ministerium, pro quo eis merces datur, fideliter exercuerint. VII. An rem alienam inventam retinuerint: vel, an reddiderint domino: aut, hoc ignorato, an pauperibus distribuerint. VIII. An rem sui domini custodierint, pro ut debebant. IX. An se finxerint pauperes ad eleemosynas accipiendas, conjungentes furtum mendacis. X. An solverint Gabellas; & tandem super id totum, quod ad justitiam erga proximum in bonis reduci potest. Omnes enim isti veniunt nomine furis.

39. *Quæritur, an surripiens rem alienam coram aliis debeat in Confessione non solum furtam, verum etiam Scandalum aperire?*

Resp. Affirmativè, quia sunt peccata diversa: furtum contra justitiam, & scandalum contra charitatem; & debet exprimere, quot scandalizaverit; nam tunc tot scandalizaverit peccata numero distincta commisit, quot erant personæ, in quarum præsentia alienum surripuit: ab objectis enim numero distinctis sumitur na-

merica distinctio peccatorum, sicut specifica a formalibus ex dictis lib. I. cap. 17. num. 10.

40. *Sed quid, si non intendat ruinam spiritualem proximo?*

Resp. Non obstat, ut peccet peccato scandalii (quod est proximi ruina spiritualis) sed sat est, ut faciat actionem de se inductivam ad peccatum, & tunc quoad eos solum peccat contra charitatem.

41. *Sed quid, si etiam consulat furtum?*

Resp. Tunc censetur causa moraliis furti; & non solum peccat contra charitatem inducendo alium suo malo exemplo ad furandum, sed etiam contra justitiam; & tenetur restituere, quod alius suo consilio surripuit, si alter non restituat, juxta dicenda cap. sequen.

42. *Quæritur, an Gabella sint sub mortali à subditis solvenda?*

Resp. Vid. lib. I. cap. 21. num. 10.

43. *Quæritur, an mortaliter peccent Agasenes, & Muliones, quibus commissa est ab heris cura animalium, ovium, equorum, jumentorum, &c. certa portione illis distributa in alimentum illorum, si, in scio heros, surripiant ultra eam portionem, fenum, avenam, & his similis, in pinguius alimentum illorum animalium?*

Resp. Affirmativè; nam tunc disponat de rebus contra voluntatem domini: propterea debent esse contenti illa portione sibi assignata pro pecoribus, quam judicat dominus esse sufficientem; quod si sufficiens non sit, jam non sumitur ad pinguius alendum animalia; & opti-

mitti erit id domino significare, ut vitentur scrupuli.

44. Sed difficultas est, *anteneantur ad restitutionem?*

Resp. Affirmative, si contra rationabilem voluntatem domini, non solum conducentia alimenta, sed & superflua animalibus dederint sic, ut ob eorum prodigam dissipationem alimentorum in pecora factam, grave damnum dominus recipiat; alias negatur, quia lucrum domino cessit in animalibus suis.

45. Sed quid, *dicendum de pastore, qui cum grege domini alit quendam numerum ovium suarum (decem nimirum, vel viginti) si ultra portionem rationabilem ab hero assignatam majorem surripit?*

Resp. Teneri ad restitutionem, saltem quoad partem redundantem in oves proprias, quia inde lucram, & fructus ei, & non domino, provenit; quod, si suis solum ovibus suscipiendo provideat de ampliori portione, neglectis ovibus heri, absque dubio tenetur in integram restituere. Videas pro uberiori instructione dicenda cap. sequen.

De furto sacrilego vide *lib. I. cap. 18. num. 35. 36. 37. & 38.*

CAPUT XXII.

Prop. XXXVIII. & XXXIX.
ab Innoc. XI. &c.

Restitutio quoad bona fortuna.

1. PROP. 38. Non tenetur quis sub pena peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta,

quantumcumque sit magna summa totalis.

Prop. 39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

Pro intelligentia restitutionis debet Confessarius, priusquam ad particulares casus descendat, terminorum notitiam acquirere, ut ea instructus possit tuto procedere cum poenitentibus, qui ad restitutionem faciendam, vel ad resarcienda damna, injuste alteri illata in bonis fortunæ, sunt obligandi.

2. Queritur, *quid sit restitutio?*

Resp. Quia restituere ex D. Thoma 2. 2. qu. 62. art. 1. incorp. nil aliud est, quam iterato aliquem statuere in possessionem, vel dominium rei suæ (in qua attenditur æqualitas justitiæ secundum recompensationem rei ad rem) idem sic describi potest; est actus justitiæ commutative, quo deditur alteri ad æqualitatem, quod fuit ab eo injuste acceptum, vel injuste detinetur: vel, quo compensatur damnum proximo, injuste illatum. Quicumque enim damnificat aliquem, videtur ei auferre id, in quo ipsum damnificat: damnum enim ex eo dicitur, quod aliquis minus habet, quam debet habere D. Thomascii. art. 4.

3. Sed queritur, *an restitutio sit ad salutem necessitate præcepti necessaria?*

Resp. Affirmative, ex D. Paulo ad Rom. 13. reddite omnibus debita, nemini quidquam debeatis: & Tobia 2. videte, ne forte furivus sit (hædus) reddite enim dominis suis, quia non licet nobis, aut edere ex furto aliquid, aut contingere. Id ipsum August. relatus in cap. si res alie-

na, per hæc verba testatur: *non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, si restitui possit*; ratio est, quia nemo salvatur, qui voluntarie alteri grave damnum, seu injuriam infert, & justitiam lædit (nam hoc non compatitur cum hoc, quod ipsum diligit, nec servat cum ipso charitatem: dilectio enim vult bonum proximo, & non malum) sed qui non restituit rem alienam, vel damnum illatum, non recompensat injuriam, & grave damnum alteri infert, justitiam lædit, & malum, & non bonum proximo vult.

4. Sed quaeritur, *an restitutio statim sit facienda?*

Resp. Affirmative, statim ac quis potest hora, & tempore debito ex cit. S. Thom. art. 2. ratio est, quia, sicut accipere rem alienam est peccatum contra justitiam, ita eam detinere; quia per hoc, quod quis detinet rem alienam, invito domino, impedit eum ab usu rei suae, & sic ei injuriam facit; & sequitur ex natura ipsius præcepti, quod per se, & formaliter est affirmativum, continens hunc actum: *reddere domino, quod ipsius est*: & virtualiter negativum, id est ludens hanc negationem: *non retineas alienum*; & sub ista ratione obligat semper, & pro semper.

5. Sed quid, *si impotens quis sit ad statim restituendam.*

Resp. Debet esse paratus restituere pro tempore, quo possit; & dum habet contrarium animum, voluntarie in peccato perseverat; quod est in Confessione explicandum cum tempore, quo talem habuit animum, & quo potens restituere,

non restituit; super quo à Confessario est interrogandus.

6. Sed quaeritur, *an teneamur restituere cum gravi damno nostri status?*

Resp. Vel status fuit iuste acquisitus, vel iniuste, furtis nimirum, fraudibus, & rapinis: si iniuste tenemur statim restituere cum amissione talis status: cum non sit minor iniquitas tueri statum iniquè acquisitum, quam illum comparare tollendo alienum: nec tunc dicemur cadere à nostro statu, sed recedere ad priorem: si verò iuste, non statim tenemur, si aliàs creditor non patiat extremam necessitatem, qua mendicare cogatur: verùm obligamur parcè vivere illo in statu, tollere omnia superflua, & totis viribus conari, ut paulatim restituamus. De la Cruz direct. conf. 7. præcept. art. 8. de rest. num. 2. & Rotarius apparatus. Theolog. moral. par. 2. sessio. 2. num. 18. ¹

7. Quaeritur, *quot sint ratiões, ex quibus nascitur obligatio restitutionis?*

Resp. Dux ex D. Thoma cit. art. 6. in corp. *Res accepta, & Acceptus*; hæc potest esse iniusta, ut in furto; potest addi tertia, *damnum nimirum illatum*: obligatio itaque restitutionis oritur ex triplici capite. I. Ex *re accepta*; ex isto tenetur quis restituere rem alienam, quam esse alienam cognoscit; nam semper res ubicumque sit, clamat pro Domino: recipit quis vestem ab alio, quem putat esse Dominum vestis, postea cognoscit non esse, sed vestem esse Pauli, tenetur tunc ex *re accepta* vestem Paulo restituere.

8. II. Ex *iniusta acceptione*: ex isto tenetur quis restituere rem, quam pec-

furtum, rapinam, vel usuram injustè accepit; etiam si res non extet, ut infra patebit; quia, si extet, etiam ex re accepta restituere tenetur: ex iusta verò acceptione est quivis oditictus; finito contractu, ad restituendam rem, quam ex contractu habuit, vel in mutuum, vel in depositum, adeo ut, si tunc non restituat, censeatur etiam injustus detentor.

III. Ex damno illato; ex quo tenetur quis restituere, etiam si res, in qua proximus damnificatur, non maneat apud damnificantem: ut si occidatur equus, agri incendantur, segetes devastentur, domus destruantur; ratio est, quia, cum sua malitia sequatur damnum alterius, & minus ille habeat, quam debet, compensatio est facienda.

9. Quæritur, quot sunt genera fructuum, quorum notitia est Confessorio necessaria ad imponendam obligationem restitutionis?

Resp. Duo; alii sunt fructus rei, alii mera industria: fructus meræ industriæ illi reputantur, quos ipsa res ex se nullo modo producit, sed hominis cura, & diligentia: huiusmodi est lucrum; quod ex rebus usu consumpibilibus, ut pecunia, vino, oleo, frumento, panno &c. negotiatione, & mercatura, ac ludo acquiritur; quemadmodum opus, quod alieno instrumento artifex conficit, non instrumento, sed artificis industriæ tribuitur.

Fructus verò rei alii sunt naturales, alii mixti: naturales dicuntur, quos natura spontè sua, id est, sine vi, & scissura aratri, & absque arte, & agricultura; vel sine ulla, vel modica hominis cura produ-

cit: huius generis sunt poma, ficus, herbae, gramina, animalium partus &c. in quibus apparatus, & virtus naturæ præcedit apparatus, & hominis laborem. Istorum aliqui sunt pendentes, & percipiendi: alii percepti, & à solo separati, juxta Glor. ad l. ex diverso ff. de rei vindicat. ver. non habendo.

Mixti verò reputantur, quorum productionem æque, vel magis hominis industria, & labor, quam natura operatur: huius generis est oleum, vinum, & cervisia, quia per industriam hominis accommodantur usibus hominum, l. si eis, & ff. fundi ff. de rei vindi.

Item, omnes fructus, qui seminantur; quia cultura hominis maximè præcedit opus naturæ. Item, fœnum, & palea, propter laborem, qui requiritur ad ea percipienda; licet enim pascua ponantur inter fructus naturales, id tamen intelligitur, nisi falce secantur, & in horrea æponantur. In l. si usufructuarius Messen ff. quibus modis usufr. amittit. parificantur fœnum cœsum, spica incisa, uva adempta, & oliva excussa. Item, lana, propter tondentis operam: & lac ob emungentis laborem; præfata enim omnia in suo esse rudi à natura producta, ad usum hominum accommodantur per hominum curam, laborem, & industriam.

Denique, alii dicuntur fructus civiles, seu legales, quod nec natura illos producit, nec sola hominis industria, sed magis legalis auctoritas; ut pensiones domorum, præcia locatorum, vecturæ mercium, mercedes jumentorum, operæ servorum, &c. quæ sunt à jure introductæ, & procedunt ex præcedenti contractu

tractu locationis, emptionis &c. & propterea non dicuntur fructus simpliciter, sed, ut dicitur in *l. usurae ff. de usura. vicem fructuum obtinent*: & apud Layman. *lib. 3. tract. 2. cap. 3. ar. 2.* non sunt proprie fructus, sed ad similitudinem fructuum jure civili constituti. Seù, ut notavit Fagnan. in *2. ad cap. Gravi de restit. spoliat. num. 33.* fictione juris fructus reputantur, quia legis ministerio adinventi; lex enim est, quæ fingit, non natura; & ad fructus mixtos videntur reduci.

10. Quæritur, quinam bonæ fidei, & quis malæ fidei possessor reputetur?

Resp. Possessor bonæ fidei, is reputatur, qui ignorat, se alienum possidere, sed cogitatione dominii possidet. Cap. *si virgo 34. qu. 2.* & idem non peccat, dum accipit rem alienam, vel quia credit esse suam, vel quia dantem, à quo, vel emptione, vel donatione accipit, esse verum dominum putat.

Possessor verò malæ fidei is dicitur, qui rem, quam habet, pro certo scit esse alienam, & ad alium pertinere, cit. cap. *Si virgo.*

11. Sed quid, si dubitaret, an res sit aliena, vel an venditor sit Dominus, & possit illam vendere?

Resp. Est possessor malæ fidei: quia possessor malæ fidei reputatur, qui emendo rem alienam peccat, sed emens ab aliquo, de quo dubitat, an rei Dominus sit, & possit vendere, emendo peccat; quia exponit se periculo non bene emendi.

12. Quæritur, an, qui bona fide rem alienam v. g. vestem possedit, teneatur

eam statim restituere, ac cognoverit alienam esse?

Resp. Affirmative, sic DD. communiter apud cit. Layman. *num. 1.* & Baccina *de restit. in genere disp. 1. qu. 2. punct. 1. num. 3.* ratio est, quia tunc peccat contra justitiam, cum retineat rem alienam invito, seù Domino non consentiente.

13. Sed quid, si eam consumpserit?

Resp. Est regula generalis apud Aucthores, quod bonæ fidei possessor debet restituere rem, si extet: si verò non extet, sed bona fide consumpta sit, tenetur solum restituere id, in quo factus est ditior; (nam in hoc casu res existit in eo æquivalente, & istud succedit in locum rei consumptæ:) ratio est, quia bonæ fidei possessor nullam injuriam intulit Domino rei, ergo non obligatur ex capite injustæ acceptionis, sed solum ex parte rei acceptæ, & possessæ, & ideo plus non cogitur restituere, quam actu possideat; quod si nil aliud possideat, quam id, in quo ratione rei bona fide consumptæ ditior factus est, id debet ex justitia restituere; habetur ex *L. Item veniunt, §. Preter hac, ff. de penit. heredit.* & ibi *Glof. in ver. facti essent, & l. sed quod inde, ff. de legat. si 2. ubi: sed, quod inde comparatum est, vice permutati dominii restituetur; & l. idem servandum ibid. non enim absumitur, quod in corpore patrimonii, retinetur: eodem tit.*

14. Sed quæritur, quando consensum sit, ex re aliena quis fieri ditior?

Resp. Quando occasione rei bona fide consumptæ, patrimonium suum est aliquo modo auctum; v. g. quia aliquos sumptus

sumptus non fecit, quos aliis ex suo patrimonio fecisset, aut, si aliquid habeat, quod alioquin non habuisset, vel aliquid occasione illius ei lucratus sit.

Ex quibus sequentes solvuntur casus.

I. Emisti bona fide à latrone vestem, valentem decem aureis, qua per annum usus es: deinde cognoscis esse alienam: debes restituere vestem attritam, quae fortasidè plus non valet, quam quinque: & ulterius compensare attritionem vestis, non ex integro, sed quatenus ex eo factus es ditior; v. g. eodem anno in te vestiendo ex tuo patrimonio insumpsisses alia tria, nisi vestem à fure, bona fide, emisisses: hæc tria cum veste restituere debes; quia modo hæc habes, quæ aliis non haberes.

II. Ad cœnam furtivam invitatus, in qua bona fide cibis pretiosis uteris: dum postea intelligis res fuisse furto sublatas, teneris vero Domino restituere, non quantum contempsisti, sed quantum de tuo domi in cœnam erogasses, nisi ad cœnam furtivam fuisses invitatus; in qua si julium insumpsisses, julium teneris restituere: in eo enim factus es ditior; nam occasione illius cœnae habes julium, quem aliis non haberes.

15. Sed quid, si invitatus domi sua comedisset rem valentem triginta, & in cœna furtiva comederit cibos, valentes viginti?

Resp. Debet restituere viginti, & quantum consumpsit, quia solum his viginti ipse damnum Domino intulit; nam non debet esse deterioris conditionis eo, qui mala fide comedit, qui tenetur restituere tantum, quantum comedit: nisi cooperetur ad totum dam-

Matthæi de Cantela Confess.

num, hoc est, suadeat comedere, dum alii volebant restituere.

III. Bona fide accepi à Petro dono librum, quem redonavi Francisco: postea reperio Petrum eum furto habuisse: teneor omnem diligentiam adhibere, ut Franciscus ipsum vero Domino restituat; quod si Franciscus ad partes remotas transiverit, ut mihi non sit possibile ipsum de libro furtivo monere; ponderandum mihi est, an ego alium librum Francisco donassem loco jam dati: si donassem, illum, vel ipsius pretium, debeo Domino libri dare, quia in eo factus sum ditior, & in eo alio libro, vel ejus pretio existit æquivalenter liber furatus: quemadmodum, si à donatario accepissem aliquid, id teneor restituere Domino libri, quia in eo factus sum ditior.

IV. Bona fide possedi equum alienum, quo equitando iter feci, non teneor ad restituendum pretium locationis equi, si aliis non equo, sed pedibus iter fecissem, quia tunc non sum ditior factus; bene vero, si aliis alium equum ad iter, soluto locationis pretio, accepissem, quia in eo essem ditior; & ideo deberem restituere omnes expensas, quæ alia fecissem.

V. Pistor bona fide dimittit triticum à fure existimans esse Dominum, conficit panem, & coquit: cum Dominum reperit, tenetur restituere panem, qui de facto extat, detractis expensis, & laboribus in eo conficiendo: & si nihil extat, debet restituere id, in quo factus est ditior.

16. Sed quaeritur, an restituendi sint fructus?

Resp. Si loquamur de possessore bonæ fidei,

(Ggg)

fidei,

fidei, sunt ab eo restituendi. I. Fructus naturales, si extent; nam res Domino fructificat; si autem non extent, quia consumpti sunt, non dolo malo, sed bona fide, restituendi non sunt, quia per consumptionem suos fecit, ut optime Fagnan. cit. num. 47. & num. 52. tenetur tamen ad restituendum id, in quo ex illis factus sit ditior. II. Fructus mixti si extent, nam sunt fructus Domini rei; sed debent deduci expensæ factæ circa eos; vel, si non extent, id, in quo propter eos factus est locupletior. Industriales vero nullo modo, nec bonæ, nec malæ fidei possessor tenetur restituere, quia non sunt fructus rei, sed industriæ, & diligentia.

17. Sed quaeritur, *pœnitens se accusat per decennium bona fide possedi villam, ad quid teneor?*

Resp. Debes villam restituere, & fructus ex ea perceptos, si extent; & quatenus non, quantum ex illis factus sis ditior.

18. Sed quid *scaperiat*: occasione fœni nascentis in villa alui equum, quem aliàs non aluisses; & familia mea vinum ex ea bibit, quod aliàs non bibisset?

Resp. Quoad fœnum nil debes restituere, quia si illud ex villa non collegisses, non fecisses de tuo alias expensas ad equum alendum; debes tamen restituere illud, in quo factus es ditior, si in casu, quo non habuisses villam, aluisses equum, nam tunc occasione fœni ex villa collecti tuo pepercisti, & aliquid habes, quod aliàs non haberes. Quoad vinum verò, quia est fructus mixtus, debes I. Deducere expensas, factas in cultura vineæ. II. Debes comparare vinum, ad

pretium quanti valeret illud, quod aliàs familia bibisset; & si consideratis omnibus his, in aliquo factus sis ditior, id una cum villa debes restituere.

19. Quaeritur, *quid teneatur restituere mala fidei possessor?*

Resp. Debet restituere rem: vel, si perierit, pretium rei, una cum fructibus naturalibus, & mixtis (deductis tamen expensis, & existimatione laboris) si sit factus ditior, siue non: & non modo, quos percepit, sed etiam, quos Dominus rei verisimiliter percepisset, si sua re non fuisset iniquè spoliatus, cap. *Gravis de restit. spoliatorum*, & ibi Gloss. & insuper tenetur eidem Domino omne damnum emergens, & lucrum cessans compensare, sic DD. communiter apud Layman. cit. cap. 4. ratio est, quia res iniuste ablata semper clamat ad Dominum. Ideò, si quis mala fide emat equam, teneatur ipsam restituere, si extet, & si non extet pretium ipsius, & insuper omnes fructus perceptos ex ipsius partu, & pretium locationis pro vecturis, siue extent, siue non extent, siue factus sit ditior, siue non, detractis tamen expensis factis in manutentione equæ, quas quoque debuisset facere verus Dominus; & pariter tenetur Domino compensare damna, quæ passus est, propter equæ amissionem, ut si propterea debuisset ipse expensas facere in conducendo aliam, vel non potuerit merces ducere ad Civitatem, ubi utilius venduntur.

20. Sed quid, *si equa in manu Domini non tantum fructificasset, quantum apud possessorem mala fidei?*

Resp. Debet restituere totum fructum. Est axioma commune, quod res quilibet

bet Domino fructificat: cujus fortunæ tribuendum est, quod res ipsius plus apud furem fructificet, quam si ipse eam possideret, ibid. cit.

21. Sed quid, si res furata sit meliorata apud furem, v. g. emit quis pro centum agrum alienum silvestrem, infructuosum, quem fecundat, & arboribus fructiferis replet, adeo ut postea aestimetur mille?

Resp. Debet agrum cum melioramentis restituere, deductis tamen expensis. Ubi advertendum expensas esse triplicis generis; alia dicuntur necessaria, alia utiles, alia ad solam voluptatem, & ornamentum, ut sunt factæ pro statuis, picturis, &c. quibus positis, quamvis res pluris valeat, & magis aestimetur, ex illis tamen res non reddit majores fructus. Primas, & secundas expensas factas ad melioramenta utilia, & necessaria possunt ab utroque possessore peti à Domino rei, & hic solvere tenetur, quia revera propter illas, res magis fructificat, non verò tertias: & debent sive bonæ, sive malæ fidei possessores sibi imputare, quod eas perdant, quia eas fecerunt in re aliena sine Domini consensu, & utilitate; injustum enim est cogere Dominum rei ad emendum illos ornatus, quibus ille fortè libentius caruisset, quam pecunia, quæ esset pro eis solvenda. Verùm, si hæc melioramenta voluntaria, seu voluptuaria possent à re separari, ut sunt portæ, statua, &c. possent sibi ornantes sumere. Layman. cit. à num. 4. Tambur. in decal. lib. 3. tract. 3. cap. 3. §. 5. num. 14.

22. Sed quaeritur, an Dominus res teneatur pro melioramentis necessariis,

& utilibus solvere, quantum crevis valor rei suæ, an verò quantum valuerunt expensa, quibus ea melioramenta sunt facta: ut, si possessor plantans arborem fructiferam expendat unum aureum, nunc autem arbor plantata valeat decem; debeat vel aureum solum, vel illa decem tradere?

Respond. Debet solvere unum aureum, non decem; ratio est, quia illud augmentum est partus sui agri.

23. Sed quid, si expenderit decem aureos, & arbor de presenti valeat tantum unum?

Resp. Debet unum, & non decem; ratio est, quia pro uno tantum aureo arbor est Domino utilis; nec videtur æquum, quòd cogatur rem pluris emere, quam de presenti valeat. Lege De la Cruz direct. conf. 7. precept. art. 4. nu. 3.

24. Sed quaeritur, an penitens accusans se abstulisse rem valentem solum tria, quæ postea cum est restituenda valet quatuor, debeat restituere quatuor, an verò sufficiat restituere tria: v. gr. furatur quis agnum, & in manu furis fit ovis (quod est rem mutari mutatione intrinseca) petitur, an sit ovis restituenda? furatur quis mensuram frumenti valentem quatuor, quæ postea, vel frumenti caritate, vel Principis decreto, valet sex (quod est rem mutari mutatione extrinseca) dubitatur, an debeat restitui illa mensura secundum illum valorem auctum, vel sufficiat restituere quatuor?

Resp. Dicimus cum Poncio disp. 52. q. 9. num. 52. debere restituere ovem, si non sit restitutus agnus, antequam fieret o-

(Ggg) 2

vis:

vis: unde, si in Januario furetur, quis agnum, & in mense Febtuarii illum occidat, & non confiteatur de furto, nisi in futuro Octobri, est obligandus à Confessario ad restituendum valorem ovis, nec sufficit restituere valorem agni; ratio est, quia De mino in iuria irrogatur, quod per furtum non possit vendere rem suam illo tempore, quo res ipsius plus valeret, & quod non sit tam dives, nec habeat tantum, quantum habuisset, si fur agnum non abstulisset; sed certè in Octobri non potest ovem suam vendere, nec in eo habere, quantum aliàs habuisset, nisi per furtum agnus ablatus fuisset, ergo, cum Dominum fur damnificaverit, debet totum damnum restituere: sed debent deduci expensæ factæ in ovis conservatione. Sic dicitur de furto mensuræ frumenti.

25. Sed quid, si Dominus non esset servaturus agnum, usque dum in ovem cresceret, nec mensuram frumenti in tempus, quo plus valeret?

Resp. Propter hoc quidam existimant non esse restituendum, nisi valorem rei, quo valebat, quando res fuit ablata, quia in casu Dominus, ex quo careat re sua, non patitur aliquod damnum. Verum hæc sententia in praxi tuta non videtur; nam, ut damnum inferatur, sufficit, quod poterat pro eo tempore conservare, & vendere, & quod per furtum sit impotens factus, ut vendere non possit.

26. Quæritur, quomodo Confessarius se debeat gerere cum penitente accusante se combussisse segetes Pauli?

Resp. Interroget, quantum segetes, deductis expensis, ac æstimatione peri-

culorum, grandinum, siccitatis, &c. quibus deteriorari possent, essent valuturæ tempore messis: & si census respondeat, ad centum obliget; nam revera comburens est causa, cur Dominus non sit habiturus illa centum, & quod esset in eo tale lustrum, minusque habeat, quam habuisset; sic probabiliter Tambur. cit. cap. 4. §. 1. num. 10. Quæ in praxi est melior responsio, quam dicentium esse obligandum ad restituendum solummodò tantum, quantum æstimeretur seges, si Dominus tunc vellet illam vendere. Qui certè non negabant teneri reddere damnum illatum, si propter incendium orta sit sterilitas frumenti, & propterea dominus, aliique cogantur carius frumentum emere:

27. Sed quæritur, accedit miles Galus Confessario exponens: Pater, cum mei loci transirent per terras Principis amici & spoliarunt domum rusticæ: ego ipsorum voluntatem ignorans, casu veni (navi aliàs iniuste prædari, non soleo) & pallium abstuli, æstimatum tribus aureis, eo solum motivo, quod si non accepissem ego, absque dubio ceteri surripuissent; peto, an peccaverim? & quatenus affirmative: quid restituere debeam, & cui?

Resp. Interrogetur, an pallium accepit animo restituendi, & tunc non peccavit, si verò intentione retinendi, & non reddendi vero Domino, mortaliter deliquit; ratio est, quia sicut alii injuriam intulissent, & damnum injustum irrogassent surripiendo pallium, Domino invito, & eo non consentiente, ita & is, qui eos prævenit; nam id agit, quod

quod alii malè erant acturi. Layman. *cit. nu. 2.*

28. Sed quid, si aperiat; Pater, cum essem in eadem Navicum Petro, ab eo furto surripui cadum vini Cretensis, quod duorum dierum spatio consumpsi; post quos, orta tempestate, Navis submersa est cum mercibus, salvis hominibus, peto, an in foro conscientia obliger ad restitutionem?

Resp. Affirmativè contra Vasquez, & Lessium apud *cit. Layman*; ratio est, quia per injustam surreptionem vini statim contraxisti obligationem restituendi, quæ casu fortuito non extinguitur.

28. Sed quid, si res furto ablata, casu, sine culpa furis, apud istum pereat, quæ etiam periisset apud verum Dominum: v. gr. heri Petrus surripuit à Paulo vas argenteum. Et statim amisit, quod hodie etiam periisset apud Paulum propter incendium quod ejus domum, & res omnes combussit?

Resp. Layman. *cit. nu. 2. de Lugo* apud Poncium *cit. num. 52.* deobligant à restitutione furem, vel alium malæ fidei possessorem, dum res, quæ apud ipsos sine ipsorum culpa perit, periisset quoque apud Dominum; & probant ex quo non obligentur, nec ratione rei acceptæ, quia nil ex ea possident, nec ratione injustæ damnificationis, quia causa dampni non sunt; nam aliudè damnum Dominus pateretur.

30. Quorum sententiam reprobatur Poncius ibid. & Sylvester Sum. *ver. restit. 7. qu. 5.* ratio est, quia quamvis cras etiam, res periisset apud dominum, tu tamen hodie de interitu castino nil sciebas, & tantum damnum Domino fecisti,

ergo tantum debes illi restituere; immò, etiam si scires, jam teneris, & ratione injustæ acceptionis, & quia, quantum in te est, tale damnum Domino intulisti, ut non potuerit rem suam vendere, quamvis eam vendere voluisset: *l. cum res, §. final. ff. de legat. il. 1.* Unde pro foro interno, & conscientia est semper pronuntiandum pro obligatione restitutionis; nam obligatio restitutionis fuit ex delicto heri contracta ratione injustæ acceptionis, quæ proinde ex hodierno fortuito casu non extinguitur. Lex, quæ sunt per accidens, non considerat.

31. Sed quid, si videns actuali incendio domum Petri absumi, cum qua absumenda erat quoque mensura tritici, quam ego accepi?

Resp. Teneris restituere; nam res, quæ ab interitu eripitur, Domini est, & pro Domino clamat, eamque quilibet, ipso invito, retinet; & fortuna suæ, Dominus attribuit, quod res sua in tuto à fure posita sit. Tambur. *lib. 8. tract. 3. in decalog. cap. 2. §. 8. num. 12.*

32. Queritur, quid agendum Confessario cum poenitente, dum in Confessione aperit se in via annulum aureum, marsupium nummis plenum, invenisse?

Resp. Interroget, an determinatè sciet, cujus Domini sint, & quatenus affirmet, eidem sunt restituenda; si verò Dominum ignorat, injungat, ut diligentiam adhibear ad inveniendum, & dum repererit, restituat. DD. communiter.

33. Sed quid, si diligentia adhibita, non inveniat?

Resp. Debet ipsa, ex præsumpta verisimi-

(Ggg) 3

risimi-

risimiliter voluntate Domini, in pauperes distribuere, vel locis piis applicare, vel in celebrationem Missarum infumere, in ipsius Domini beneficium. Et de consilio Confessarii potest sibi, ut pauperi, partem retinere

34. Sed quid, dicendum, de lapillis & gemmis inventis in litore maris?

Resp. Oportet inspicere, an hæc possint esse bona naufragantium: & tunc sunt accipienda ad finem restituendi ea veris Dominis, aut ipsorum hæredibus, & si non compareant, distribuuntur in pauperes, vel in cultum divinum applicentur, & pia loca. Vid. lib. I. cap. 8. nn.

30. Si verò sint talis naturæ, ut nunquam Dominum habuerint (& sic præsumuntur, si sint rudes, non arte factæ) tunc sunt inventoris, & restituere non tenentur; sicut nec res, quas Dominus à se projicit, tamquam omninò derelictas. Bonacc. de restit. in gen. disp. I. p. n. c. 6. num. 11.

35. Quæritur, an res aliena sit restituenda Domino in loco, quo accipitur, vel alio?

Resp. Sed notandum juxta dicta, ex triplici capite consurgere obligationem restitutionis. I. Ex re bona fide, & sine iniuria accepta. II. Ex iniusta acceptance, vel delicto. III. Ex contractu; modò, si restitutio faciendâ sit ex re bona fide accepta: v.g. quia habuisti equum, gemmam, vel vestes, quæ postea cognoscis esse alterius, est restitutio faciendâ in loco, ubi res habetur, tunc temporis, quo cognoscitur esse aliena: nec est imponendum onus bonæ fidei possessori, ut illam mittat Domino alibi,

propriis expensis; aliàs deberet damnum si e sua culpa pati, quod justum non est: tum quia, Dominus jus habet in rem suam, & in possessionem: hinc sequitur quod si ego hic Romæ emi bona fide equum, & postea reperim esse alicujus, existentis Lucæ, satisfaciam restituendo equum hic, ubi equum habeo.

36. Sed quid, si Dominus Roma non sit, sed Luca?

Resp. Debet equus in loco tuto custodiri; & interim est admonendus Dominus, ut significet, quid velit de suo: quo fieri; quod, si velit eum restituere in alio loco, ipsius expensis est faciendum, Et sunt possessori bonæ fidei compensandæ illæ, factæ in conservatione equi, quæ pro ea item fuissent à Domino factæ.

37. Sed quid, si nec res ad Dominum transmitti nec Dominus adveniri possit: nec sit spes, ut tandem veniat?

Resp. Si non sint consanguinei, tradatur pauperibus. Bonacc. cit. disput. I. qu. 5. nu. 2. & Tambur. cit. 1. 8. nu. 6.

38. Sed quid etiam, si possessor bona fidei fuit in mora in restituendo, hoc est, non restituerit, cum potuit, & cogit equum esse alterius, adeò ut propter negligentiam restituendi, sit equus ad alium locum mittendus?

Resp. Debet fieri impensis ipsius possessoris, quia sua culpa factum est, ut aliò, cum impensis debeat equus transferri: aliàs Dominus absque sua culpa damnum in expensis pateretur, quod æquum non est.

Si verò restitutio faciendâ sit ex delicto, vel iniusta acceptance, faciendâ est in

in loco ubi est Dominus rei; sic, si hic Romæ surripuisti equum Petri, & illum transtulisti Florentiam, debes hic tuis expensis restituere; ratio est, quia Dominus nullum ex delicto alterius debet damnum pati.

39. Sed quid, si expensæ faciendæ essent æquales, vel majores, re restituenda?

Resp. Debes eas omnes tu facere, quia fuit causa, cur tantum debeat expendi; nec Dominus ex tua injustitia, & delicto debet re sua carere, vel aliquod damnum recipere; in casu tamen, quo rem restituendo deberes æquale, vel majus damnum pati, posses restitutionem differre ad aliquod tempus, quo posses sine tanto detrimento restituere. Quid si crederes te nunquam posse absque tanto damno, deberes eam pauperibus dare; sed melius esset, Dominum mone- re, & cum ipso convenire. *Hambur cit. nu. 4 & Donat. nu. 5.*

Si tandem restitutio faciendæ sit ex contractu, exequenda est in eodem loco, in quo res accipitur, vel emittitur, nisi aliud in contractu fuerit expressum; ratio est, quia ille censetur locus destinatus ad restitutionem; nam restitutio est restitutio rei in pristino statu. Notabis tamen, quod si in contractu, v. gr. locationis equi, appositum sit, quod hic Romæ equum restituas, hic debes; si ut restituas Florentiæ, quò vadis, illic teneris.

40. Sed quæritur, cuius expensæ faciendæ est restitutio in alio loco, vel creditoris vel debitoris?

Resp. Si res accepta sit in utilitatem dantis, est restituenda ipsius expensis;

hinc liber in depositum acceptus, si aliò restituendus sit, ut, quia depositor mutat domicilium, debet impensis dantis: quia depositum in utilitatem dantis custoditur; aliàs depositarius ex illius commodo injustè damnum pateretur.

Si verò sit in utilitatem recipientis, debet hujus expensis regulariter restitui in eo loco, in quo dominus habuisset, si et non commodasset; modò per eum steterit, quin Dominus secum rem suam transferret; ratio est, quia dominus non debet damnum reportare ex gratuito commodato. Et hinc sequitur, equum commodatum esse restituendum expensis commodatarii. Idem resolvitur de mutuo, quia hæc dantur in utilitatem commodatarii, & mutuatarii; aliàs dicendum de equo locato, quia datur in utilitatem locantis, & locatarii. Inspiciendus tamen semper est contractus.

41. Quæritur, penitens hæc aperit: Pater, Romæ mihi per certum virum centum Francisco Florentiam, à quo mutuo acceperam; & nunc per literas me Francisco monet se ea non recepisse, sed sibi delator retinuit, & ultra montes discessit; idem Franciscus pro restitutione debiti instat, peto, an in conscientia tenear iterum solvere?

Resp. Vel persona electa, fuit designata à Francisco, vel tu absque ipsius commissione, & mandato eam elegisti: si secundum, teneris iterum solvere, nam cum sis Dominus pecuniæ, si ista perit, vel surripitur, priusquam perveniat ad manus creditoris, tibi perit: res enim domino perit, etiam si calu id contingat. *Layman. lib. 3. art. 3. cap. 12. nu. 9.*

Si verò fuit à creditore designata, vel de ejus mandato electa, liber existit à nova solutione; ratio est, quia tunc pecunia perit creditori, qui in suo homine designato, suam fecit. Tambur. cit. §. 5. nu. 6. & Bonac. cit. disp. 1. q. 3. punct. 9. nu. 5. plures allegans.

42. Sed quaeritur, an id dicendum, si vis fuerit commodata. V. G. Petrus commodavit mihi equum, quem postea ipse red- do per servum, à quo prius, quam ad dominum perveniat, venditur, & per fugam surripitur, vel alio modo perit?

Resp. Si alio modo non poteris redde- re, & diligentiam, aliàs adhibuisti ad explorandam fidelitatem servi, de cujus integritate nec dubitasti, ad novam restitutionem non teneris; nec ratione rei acceptae, quia eam non habes, nec ratione injustae acceptionis, vel læsionis, cum ab omni culpa, & injuria immunis sis; nam equus sine tua culpa perit; i- deò non tibi, sed Petro perit, cujus ipse, & non tu, dominus est, Layman. *ibid.* Si ta- men in aliquo factus sis ditior, id restituere debes; quemadmodum, si fuisti in no- ra, hoc est si non restituisti tempore statu- to, vel post monitionem, & petitionem equi, & poteris. Quòd, si tua culpa pe- rit, quatenus negligens fuisti in exploran- da servi fidelitate, vel, quia poteris per te ipsum reddere, si pereat, tibi perit: non enim tua culpa debet domino nocere, ha- betur cap. *univ. de commodato*, ubi dicitur: *cum gratia sui tantum quis commo- datum accepit, de levissima etiam culpa tenetur: licet casus fortuitus (nisi acci- derit culpa sua, vel inter venerit pactum, seu in mora fuisset) sibi non debeat impu- tari.*

43. Sed quid, si res sit furto ablata, & iniuste accepta V. G. furaris equum, vel pecuniam, quam, ne bonam opinionem a- pud dominum perdas, et per idoneam perso- nam, ut, per Confessarium, mittis restitu- endam, Confessarius autem domino non reddit, sed prater expectationem tuam sibi usurpat?

Resp. A nova restitutione liberant Navarro apud Layman cit. & apud Tam- bur. alii, ex quo tua culpa res non pe- ierit, sed fortuito casu, qui providenti non potuit, & per solam malitiam, & negligentiam Confessarii, quæ tibi no- cere non debet, etenim, quòd poteris, fecisti; & propterea debet dominus præ- sumi consentire restitutioni per Confes- sarium fidelem; perinde ac si ipse met designasset. Sed te non excusant, ipse Layman, Lessius, Rebellus, & Tolletus apud Tambur. *num. 7.* Et juxta horum sententiam debet Confessarius in iudicio procedere; ratio est, quia temper re- manet radix obligans ad restitutionem, injusta nam rum acceptio; nec dominus, nisi cum effectu equum, vel pecuniam recipiat, præsumitur consentire ad il- lam transmissionem, nisi sub conditio- ne, quòd res sua ad se perveniret. Tum quia, fur, cui absque sua culpa ab alio furriperetur equus, deberet compensa- re dampnum domino, cujus causa ipse fuit; ergo ad idem tenetur, si ad ipsum non perveniat, etiam si non contingat per negligentiam Confessoris. Tum quia, non censetur res casu perire, quan- do injusta ablatio fuit intentus causa, & occasio.

Vtùm fur contra Confessarium actio- nem habeat, à quo ipse debet recipere.

44 Queritur, an sit à Confessario iterum restitutioni obligandus fur, qui surripuit à Petro decem aureos, quos, quia ipse alteri Confessario exposuit se non posse sine sui infamatione Petro restituere, de ipsius consilio, vel pauperibus distribuit, vel in legendis sacris erogavit?

Resp. Affirmativè; ratio est, quia semper manet radix restitutionis, quæ oritur ex injusta acceptione, & latione, donec creditor accipiat suos decem aureos; nec excusatur debitor per Confessarii consilium, bona fide receptum, quia id non operatur, quod injustè eos non acceperit, Tambur. cit. §. 5. num. 8. Layman. ibid. num. 9. in fine, & probabiliter Gobat. experient. Theol. tract. 7. casu 18. num. 5. 64. Appendix ver. dico persona.

Dices, nullus tenetur idem debitum bis solvere, vel restituere; ergo nec fur in nostro casu, qui semel modo, quo potuit, & debuit restituit.

Resp. Concedendo antecedens, sed negatur suppositum; nam ille aureos injustè surreptos domino realiter, & cum effectu, ei nunquam restituit; & ideo de eodem ipsi restituente, non verificatur, quod realiter, & cum effectu bis idem restituerit; aliàs, si fur pecuniam per servum suum misisset creditori restituendam, & servus eam in via perdidisset, domino non teneretur iterùm eam restituere; nam restituisset modo, quo potuisset; quod tamen est falsum; nam illa restitutio fuit solum putativa, & intentionalis, non verò realis, & verè domino facta.

Dices. 2. Si res alterius apud me sine culpa mea perit domino perit, sed de *Matthæi Cantela Confess.*

cem illi aurei pauperibus distributi, sine culpa furis perierunt, ergo non furi, sed domino.

Resp. Major est vera, si obligatio restituendi sit ex re bona fide accepta, sive sine mea culpa præcedente; falsa autem, si obligatio oriatur ex injusta acceptione; aliàs, si casu fur eos decem aureos perderet, ad nihil ampliùs teneretur, quod nullus concedit; nam per suam primam injustam ablationem semper fur reputatur causa, & occasio, cur aurei illi sint perdit; ergo non casu, sed ex malitia auferentis absolute perduntur.

45. Sed major difficultas est, an Confessarius consulens, & imperans prædictam restitutionem, teneatur de proprio ex justitia ad præfatam restitutionem ipsi furi, in casu, quo iterum restituat. vel ipsi domino, si fur restitutionem non faciat?

Resp. Negat Gobat. ibid. ver. Confessarius. Sed affirmatur ex Quilici Confess. manud. qu. 8. art. 1. num. 7. ratio est, quia suo consilio est causa efficax damni: inducit enim, ac movet ad grave nocuum proximo inferendum. Cardenas dissert. 23. cap. 4. art. 3. ad prop. 39. ab Innoc. Ec. extendit etiam ad Confessarium, vel alium Theologum, aliquid injustum, sive ex malitia, sive ex ignorantia vincibili, & inculpabili consulentem. Excusatur solummodò in casu, quo consilium revocet, ac seriò persuadeat falsam esse doctrinam, quam illi priùs tradiderat, cum tunc nil sit, quod ex parte consulentis influat in damnificationem, & nocuum. Quòd si Confessarius ex inadvertentia omittat monere de obligatione restitutionis faciendæ.

(H h)

ciendæ.

cienda, ad id obligatur in sequenti confessione, petita licentia à penitente loquendi de pertinentibus ad præteritam confessionem; & si nolit concedere, satisfecit suæ obligationi: sed penitens remanet cum onere restitutionis.

46. Quæritur, penitens aperit Confessori se surripuisse Paulo decem aureos, quos, quia cum propriis ita admiscuit, ut eos discernere nequeat, credit se non debere eos restituere; Et probat, ex quo propter illam mixtionem sit dominus omnium, quos confusè retinet in crumena: quid agendum est Confessorio?

Resp. Debet ad restitutionem obligare, saltem in æquivalenti; nam est regula generalis apud Tambur. lib. 8. tract. 3. cap. 3. §. 4. nu. 23. quod si res surrepta, cognoscibilis in se ipsa perseverat, cum sit domini, domino sit in individuo reddenda; si verò discerni non possit, æquivalens, vel illius pretium, aut res similis restituenda sit, ut vinum, oleum, frumentum, pecunia, si huiusmodi generis res sit furto sublata.

47. Sed quid, si quis à fure bona fide pecuniam alienam dono recipiat?

Resp. Statim ac cognoscit esse alienam & discerni possit, debet in individuo restituere, sive fur sit potens, sive impotens ad restituendum, quia res ipsa accepta, ubicumque invenitur, domino est reddenda. Si verò discerni nequeat, ex quo cum propria eam immiscuerit, debet eam restituere in æquivalente, cum factus sit ditior in ea quantitate, quam cum suis miscuit; ex qua marsupium crevit, & cumulus pecuniæ factus est major: æ-

quum enim non est, ut quis cum alterius detrimento, & jactura dicitur, l. iure naturæ, ff. de reg. jur.

48. Sed quid, si totam pecuniam consumpsit?

Resp. Tunc ad nil tenetur, modo in aliquo non sit factus ditior, pro ut communiter DD. & Tambur. cit. nu. 25.

49. Sed quid, si ego v. g. bona fide emam mensuram frumenti, per furem à Paulo surreptam?

Resp. Tambur. ibid. num. 27. aliter resolvit, esse discurrendum de rebus mixtibilibus, à fure dono bona fide receptis. & aliter de rebus mixtibilibus ab eo bona fide emptis; quoad istas concludit me, priusquam immisceam cum meo frumento, debere ex re accepta integram mensuram in individuo restituere, statim ac cognosco esse alienam; nam domini est, & cum extet, ipsi reddenda est; sine autem nil ei debere affirmat, si cum meo immiscui, ita ut discerni nequeat; & probat 1. Quia per eam mixtionem ego factus sum dominus totius cumuli. 2. Quia non sum factus ditior, nam iusto pretio frumentum illud emi.

Prior pars à Tambur. affecta inter DD. recipitur, asserentes bona fidei possessorem tunc incipere mala fide possidere, cum est in mora culpabili restituendi, in qua esse præsumitur per Cabasut. Theoria jur. can. lib. 6. cap. 18. num. 7. dum rem noscit esse alienam, & potens, non restituit; ad eum tunc, qui solo rei acceptæ titulo tenebatur, tenentur deinceps, etiam titulo injustæ detentionis, & damnificationis. Secunda verò non sic est inter eos communis, nam Lessius contra-

rium docuit apud Layman. lib. 3. tract. 4. cap. 17 §. 3. num. 23. Et ex l. Marcellus §. Pomponius, ff. de rei vindicat. Et §. si duorum Instituit. de sen. divis. deducit; si duorum dominorum materia confusa fuerint, ita ut discerni, vel separari nequeant, utriusque vindicationem pro parte sua competere. Sed in cumulo mei frumenti est confusa allegata mensura tritici; ergo Paulus jus habet in eam, ergo ego post scientiam, quod ipse sit, teneor restituere, si non in individuo, quia discerni nequit, ad minus, vel in pretio, vel in alia simili; & juxta Lessii sententiam debent in praxi Confessarii procedere.

Nec obstant rationes Tambur. Non prima; nam negatur per mixtionem in me dominium transferri: nec bona fides id operatur, sed facit solum, quod non peccaverim emendo, & confundendo cum proprio, non verò, quòd non peccem retinendo, postquam cognovi esse alienam. Nec secunda; nam in cumulo sanè plus habeo, quàm debeam habere; & maximè quia mihi pretium solum debet latro reddere: idè factus sum ditior.

50. Quæritur, cuinam sit restituenda res bona fide à fure empta; casus sit: bona fide emi equum, quem postea intelligo esse Pauli: sed ita res se habet, quod, vel ego pretium, vel Paulus equum, debeat perdere: si Paulo equum restituo, pretii jacturam facio, vel quia fur decessit, vel quia impotens effectus est; si verò contractum cum fure rescindo, repetendo ab eo pretium, ipsi reddito equo, hunc Paulus amittit, quia scio furem non redditorum?

Resp. Equus reddendus est Paulo, domino; ratio est, quia res ubicumque est, domini est, & pro domino clamat; idè contractus cum fure sine injuria domini rescindi non potest, reddendo equum, pretio recepto; ponamus Paulum esse cum fure præsentem, & à me equum petere; licet potest ex l. Mater, l. adversus §. de rei vindicat. certè, si furi, & non Paulo repetenti, equum reddam, Paulo injuriam infero, ergo pariter eidem injuriam affero, si, eo absente, equum furi restituam, quem scio non esse redditurum; nam absentia, vel, quod ipse non repetat, quia nescit me ipsius equum habere, in equum jus non tollit. Et sequitur à simili; ponatur me annulum alienum invenire, quem postea intelligam esse Petri, compareat postea Paulus mihi debens centum, & protestetur se ea mihi non redditurum, nisi annulum reponam in loco, in quo inveneram, ut ex eo ipse possit accipere; in isto casu nullus dixerit me posse ad servandum me indemnem reponere annulum in eo loco, quin cooperer furto, & Petro rei domino damnum activè inferam, ita in proposito casu. Layman. cit. num. 4. alios referens.

Ceterum actionem contra furem haberem; quod, si ob ejus malitiam pretium recuperare non possem, adscribendum esset meo infortunio, quòd res aliena, ad quam semper jus habet proprius dominus, apud me extate invenitur, & non in alterius damnum retorquendum. ibid. Layman. Semper tamen à Confessario obligandus est fur, ut mihi emptori pretium restituat.

51. Sed quid, si equum à fure bona fide

(Hhh) 2

fide emptum, vendam Francisco, & postea compareat, dominus equi, an ego pretium receptum, an Franciscus equum restituere debeat?

Resp. Equus reddendus est Domino à Francisco, cui ego pretium ab eo receptum, & mihi fur alterum ipsi datum debet restituere; sic enim omnes servamur indemnes, & nullus plus habet, quam debeat habere. Layman *cit. num. 25.* & Tambur. §. 1. n. 14. Radix, cur ego obliger Francisco pretium restituere, & fur mihi aliud, oritur ex contractu, in quo implicite includitur, ut venditor indemnem reddere debeat emptorem, quoad rem venditam; sicutiam si bona fide vendidisti vitrum pro gemma, cognito errore, debes restituere pretium, seu rescindere contractum, ut indemnem serves e mentem.

Nota, quod si rem, bona fide emptam, majori pretio vendam, quam emerim, teneor Domino reddere excessum pretii, quia, in eo factus sum ditior, etiam si res apud emptorem amplius non extet; si verò res extet, & ab emptore Dominus repetat, teneor emptori totum pretium reddere, ne ipsi damnum afferam.

§ 2. *Sed quid, si scienter quis rem furtivam à fure emat?*

Resp. Tenetur reddere, si extet: sin autem pretium, quamvis suum, à fure recuperare nequeat; qui enim dolo è agit, dignus est, ut perdat rem, & pretium. Tambur. *lib. cit. tract. 2. cap. 7. num. 3.*

§ 3. *Quæritur, cuinam teneatur restituere venditor piscium, qui defraudavit plures, quibus vendidit, sed de præ-*

senti ignorat, quos determinatè, & in quantum damnificaverit?

Resp. Si qui de præfenti accedunt, iidem sint, ex quibus aliquos defraudaverit, debet ipsis restituere, dando plus, quam debeat, usque dum verisimiliter præsumat, se integrè restituisse; vel pauperibus restituat in beneficium animæ damnificatorum, si non hos, sed alios, credat suam officinam frequentare.

§ 4. *Quæritur, quid agendum Confessario cum penitente se accusante: possideo agrum sed cum dubio, an ad me legitime spectet?*

Resp. Interroget, à quo tempore incæperit dubitare; si dixerit à duobus mensibus post possessionem, injungat, ut debitas diligencias adhibeat pro indaganda veritate; quòd si adhuc post sufficientem inquisitionem dubium non possit evincere, poterit agrum retinere, juxta Commune axiomam: *in dubio melior est conditio possidentis*; si verò affermet dubium fuisse ab initio ortum, & cum dubio accepisse, obliget, ut restituat; nam tunc accipiendi peccavit, quia exposuit se periculo retinendi rem alienam; & idèd similis est malæ fidei possessori, cui tale axioma non favet, sed solum ei, qui bona fide possidere incæpit. De la Cruz *direct. Conf. 7. præcept. quest. 7. art. 6. num. 2.* & Tambur. *lib. 1. cap. 3. ver. restitutio num. 2.* Fagnan. *in 1. decretal ad c. ne emittaris de cons. 6. num. 20.* Layman. *lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 3. num. 21.*

§ 5. *Sed quid, si adhibitis diligentis, & omnino non comparente, rem consumat, & postea verus Dominus compareat?*

Resp. Tunc tenetur ad restituendum

Da.

Domino id, in quo factus est ditior: quia post adhibitam diligentiam est bonæ fidei possessor; DD. communiter.

56. Sed quid, si post moralem diligentiam adhibitam certus sit, quod ager ad eum certo spectet?

Resp. Ad restitutionem non tenetur, sed peccavit, quando illum dubitans emit. Est regula generalis, quod faciens actum ex suo genere licitum, peccet, si conscientiam habeat, quod sit illicitus: sic, qui rem suam accipit, quàm ex conscientia dubia, vel etiam erronea, non existimat suam, peccat peccato contra iustitiam; cum peccatum procedens ex his conscientiis opponatur eidem virtuti, cui opponitur peccatum existens contra conscientiam rectam.

57. Quæritur, an Canonicus, qui reprobat, & illegitimo titulo beneficium accepit, teneatur restituere distributiones quotidianas, quas residendo, & divinis interessendo percepit?

Resp. Quidam apud Fagnan. in 2. cap. Gravis de restit. spoliat. num. 78. dixerunt, non debere distributiones restituere, quia dantur ratione servitii, & tamquam merces laboris diurni, impensi in vinea Domini. Quos ipse reprobat; & cum ipso dicimus, eum obligari ad eas distributiones restituendas; ratio est, quia huiusmodi non dantur, nisi legitimis Canonicis, habentibus legitimum ingressum, & residentibus in casibus, locis, & temporibus permixtis, non prohibitis; ideo ex ipse male percepit, & ipsarum dominium non acquisivit.

58. Quæritur, quid agendum Confessario cum penitente, qui eidem apo-

rit: Pater, sum hæres omnium bonorum? Francisci defuncti, nunquam novi ipsius bona esse aliena, sed credidi ipsam fuisse verum Dominum, à sex mensibus possessæ hereditatis, reperi Dominum non esse, ejusque bona ad alios pertinere: quæro ad quid tenear?

Resp. Teneris restituere omnia bona, quæ à Francisco in te devenerunt, ac fructus etiam, quos bona fide percepisti; nam tua bona fides tibi non prodest ad fructuum acquisitionem; etenim, cum succedas Francisco in omne jus, & hæres ipsius universalis existas, ac in omnibus ejus personam representes, debes pariter succedere in vitium, & malam fidem ipsius, quæ proinde tibi etiam nocet; & ideo teneris ad omnia ejus debita juxta vires hereditatis; sed defunctus tuos fructus non faceret, ergo nec tuos tu ipse fecisti, ut optime Fagnan. cit. nu. 98. & 128. ex l. cum hæres ff. de div. & temp. præscr. ubi: cum hæres in jus omne defuncti succedit, ignoratione sua, defuncti vitia non excludit. Ibi Fagnan. & Tambur. cap. 3. §. 6. num. 3. distinguunt de eo, qui à principio fuit bonæ fidei possessor, & ex post facto effectus est malæ fidei; nam, vel bona fides supervenit cum mutatione personarum, vel sine: si cum personarum mutatione; aut persona succedit in universum jus, & personam, cui succedit, in omnibus representat: & tunc bona fides hæredis non prodest ad acquisitionem fructuum, quia exordium in illa fuit malæ fidei.

Aut persona succedens non representat in omnibus personam, nec est successor universalis; & tunc bona fides in

(Hh h) 3

suc-

successore superveniens prodest ad fructuum acquisitionem: cum non sit incipiendum exordium personæ, in cuius vitium alter non succedit.

Si verò bona fides superveniat sine mutatione personarum; tunc à tempore superveniens bonæ fidei, incipit possessor acquirere fructus postea perceptos, non autem perceptos tempore possessionis malæ fidei; adeò ut illos, si consumpserit, non teneatur restituere, sed solum id; in quo factus sit ditior; secus verò de acquisitis tempore malæ fidei.

59. *Quæritur, an accipiens ignoranter falsam monetam possit illam, tuta conscientia, scienter expendere?*

Resp. Negative; ne damnum proximo inferat, eumve decipiat; nullus enim concessurus erit, quòd, si tu à me quid fureris, possim ego, ad resarciendum damnum, tantum ab altero suscipere. Scienter itaque expendens monetam falsam, vel ex mixtione metalli vilioris, vel ex defectu iusti ponderis, aut sigilli, peccat contra iustitiam cum obligatione restitutionis. *Quilici cit. num. 11.*

60. *Sed quid, si bona fide expendat, falsitatem non cognoscens?*

Resp. expendendo non peccat, sed statim accognoscit, obligatur ad refaciendum pretium ei, qui damnum sensit: quæ obligatio oritur non ex injusta actione, sed ex obligatione, quam habet solvendi iustum pretium pro re erapta. *Vide cap. proximo §. 14.*

61. *Quæritur, an à Confessario restitutioni obligandus sit fur, qui per plura furtula ad notabilem quantitatem pervenit: v. g. furatur modò duos obolos, modò quadrantem, nunc Julium, & san-*

dem per ult. num. furtulum ad gravem summam accedit?

Resp. Affirmative, ex Innoc. damnan-
te 38. *proposit.* Quætaque sub mortali tenetur restituere, quando pervenit ad notabilem quantitatem, etiam in singulis furtis non habuerit animum furandi amplius; & ideò mortali ter peccat retinendo totam illam quantitatem, vel habendo animum non restituendi, cum opportunitas fuerit. Thomas Sanchez apud Cardenas *dissert. 23. capit. 3. art. 2. num. 83.* Ex pluribus enim obligationibus levibus ejusdem ordinis resultat obligatio gravis. Sic, qui hodie, non numerata pecunia, sed credito accipit unum panem valoris unius oboli, & sequenti die alterum, & quotidie usque ad trigessimum diem, incurrit triginta obligationes leves, & ex istis triginta levibus gravem obligationem contrahit; ergo, licet in singulis illis furtulis incurrat levem obligationem, tamen ex illis omnibus, posita ultima acceptiuncula, in qua cum antecedentibus pervenitur ad materiam gravem, gravis obligatio restitutionis incurritur.

Dices, ergo ex multis venialibus potest constitui unum mortale contra omnes.

Resp. Negando consequentiam, quia illa ultima acceptio cum relatione ad præcedentes est semper mortalis, quemadmodum ultima retentio rei propter connexionem cum prioribus retentionibus mortalis est, ut Tambur. proxime citandus.

62. *Sed quid, si penitens ea furtula præcedentia ritè cum cæteris peccatis fuerit confessus?*

Resp.

Resp. Adhuc, posita ultima acceptio-
ne, tenetur sub mortali restituere, quia
adhuc quantitatem notabilem rei alienæ
apud se retinet, & causa fuit injusti
damni. Vide Tambur. ubi supra *tratt. 2.*
cap. 3. §. 1. num. 7. & tratt. 3. capit. 2. §. 5.
num. 6. & 7. Cum quo notabis, quod
ex acceptioe solum venialiter pecca-
minosa oritur obligatio restitutionis sub
veniali.

63. Sed quaeritur, an obligatio resti-
tuendi sub mortali procedat etiam in eo,
qui hodie v. g. surripuit Julium, heri duos
obolos, deinde quatuor quadrantes; qui-
bus consumptis, non advertens ad ea fur-
tula, furatur aliud modicum, quod et-
iam consumit, & postea advertit, illa
priora furtula cum hoc ultimo constituere
quantitatem notabilem, ac se proximo no-
tabiliter nocuisse?

Resp. Aliqui in casu dixerunt cessare
obligationem restitutionis sub mortali,
quia, si dum committit ultimum furtu-
lum, non advertit ad priora, deficit illi
advertentia de gravitate sui furti, adeo-
que plena libertas: & ex defectu plenæ
libertatis abest peccatum injustitiæ. Quo-
rum sententia certè comprehenditur sub
proposito, damnat. ab Innoc. Nam & ipsa
asserit, ad restitutionem sub mortali eum
non teneri, quamvis per parvula furta
surripiat summam aliquam totalem. Ideo
resolvimus debere sub mortali restituere;
de eo enim ultimo furtulo commisso, ve-
rificatur, quod sit retentor quantitatis
gravis, & quod graviter proximum
damnificaverit, & id ipse cognoscit, si
post ultimum commissum advertat ad
quantitatem per priora surreptam. De-
inde, ut gravis obligatio restitutionis o-

riatur, sufficit, quod singula furta sint
commissa cum plena advertentia de levi
damnificatione proximi; nam tunc ex
illis collectivè fur advertet esse graviter
læsum.

64. Sed quaeritur, an sub mortali de-
beat restituere tam, qui per minima furta
summam aliquam totalem surripit, non
modo ab uno, & eodem; quam, qui à plu-
ribus: ut ex acervo tritici pertinente ad
Rempublicam, & Cives?

Resp. De surripiente à pluribus nega-
vit Hieronymus ab Angesto apud Carde-
nas *art. 3. num. 102.* qui asseruit morta-
le non esse auferre notabilem quantita-
tem à diversis, auferendo parvam à sin-
gulis, ex quo nullus ex eis graviter
damnificetur; Verùm neque hunc excu-
sari est certum ex decreto Innoc. ut ad-
vertenti patet; & idè opinio Angesti
sub damnatione continetur; & commu-
niter rejicitur. Licet singuli non repu-
tentur graviter læsi formaliter, sunt ta-
men graviter damnificati radicaliter,
hoc est, in ea re, quæ nisi graviter pro-
hibeatur, sequerentur incommoda con-
tra bonum publicum, & contra indem-
nitatem singulorum Civium, & tunc li-
ceret unicuique ex industria ditescere ex
alieno, fraudando mensuras, falsifi-
cando pondera, & ex his, quæ incom-
moda in Republica non orientur: Vide
cap. prior num. 16.

65. Sed dubitatur, quaenam conse-
quatur quantitas gravis, qua per minima
furta surripiuntur?

Resp. Crederem illam, quæ simul ab-
lata sufficit ad mortale: sive una, & aliq-
uando ablatio sit cum brevi temporis interpo-
latione, sive cum magna: sive ab uno,
sive

sive à pluribus, per minima furtiva accipiatur; nam semper verificatur, quod accipiens sit retentor quantitatis secundum se gravis, quidquid dixerit Thomas Sanchez, apud Cardenas ubi supra art. 4. num. 114.

66. Quæritur, an cooperantes furto teneantur ad restitutionem.

Resp. Affirmativè; nam omnes damnatum injustè inferunt: modò damnatum sequatur, sic DD. communiter. Consideret Confessarius posse aliquem furto, v. g. homicidio, &c. cooperari uno ex novem modis, istis carminibus expressis.

Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus.

Participans, Mutus, Non obstantans, Non manifestans.

Jussio significat eum cooperari furto, qui imperat; vel mandat, ut quis furetur, & rapiat. *Consilium*, qui consulit, suadet, & invitat ad furtum. *Consensus*, qui consentit furto, seù debens impedire, consentit, ut fiat. *Palpo*, qui adulatione, & laudibus, vel irridendo, vel exprobrando pusillanimitatem, inducit ad furandum. *Recursus*, qui pro securitate personæ, aut furti, receptat apud se fures, quæ tales, & ipsorum furta. *Participans*, qui non modò partem furti accipit, & consumit, verùm etiam præbendo modos, positivè ad furtum concurrat; ut, si aperiat januam, scalam erigat, vel teneat, & ostendat modum, quo fur tutius alienum surripiat. *Mutus*, qui non clamat videndo fures. *Non obstantans*, qui, cum possit, non defendit, nec custodit, aut impedit. *Non manifestans*, qui fures non manifestat.

DD. concedunt, omnes, qui uno mo-

do ex se præfatis furto cooperantur, damno, & furto sequuto, ad restitutionem teneri qui verò concurrunt ultimis tribus modis, ad restitutionem non obligari, nisi ex officio teneantur clamare, defendere, & manifestare: ut sunt: *Prætor, Custos vineæ, montis, Minister, Principis, &c.* ut optimè Poncius disputat 42. quæst. . . a num. 61. & Joan. De la Cruz cit. art. 7. ann. 1. Hi, quibus ex officio id non incumbit, peccant solum contra charitatem, tacendo, & non impediendo, modò possint sine proprio gravi incommodo. Exemplum posuimus in furto, cum tamen possit proximis illis modis lædi, etiam in bonis, famæ, & vitæ.

67. Sed quæritur, an cooperatores furto teneantur omnes in solidum, vel pro parte restituere?

Resp. In solidum debent restituere, si communi consensu, & pacto furtum fuerit commissum, vel si unus excitavit, alterum consuluit, & iste accepit: si verò separati singuli sine tali conspiratione, & pacto, partem furati sunt, pro parte solum restituere tenentur, quia separatim sunt causæ non totius, sed partis damni: exemplum ponitur in itinerantibus, colligentibus ex vinea racemos uvæ; si isti vineam ingrediuntur separatim, & quin unus alterum hortetur, consulat, vel inducat, tunc quilibet tenetur restituere pro parte, quam habuit, & ad ratam damni à se illati: si autem unus alterum inducat, vel ad invicem conveniant, aut unus alterum consulat, ad colligendos racemos, tunc quilibet tenetur in solidum, hoc est, ad totum, quod fuit furto ablatum; verùm, qui totum

totum reddidit, habet actionem contra socios: v. g. decem abstulimus uvam ad valorem decem scutorum, quæ æqualiter fuit inter nos divisa; ego accepi pro valore unius scuti, teneor restituere omnia decem, si alii suam partem non restituant, sed acquirō jus in novem contra confures; nam in casu sum causa totius furti; sed in ipsam totalem actionem furti concurro.

68. Sed queritur, an, qui ex errore inculpabili consuleret alicui furari ab aliquo, teneretur ad restitutionem, dum cognosceret furtum fuisse commissum, & quod male consulerit?

Resp. Affirmativè: licet non peccaverit, dum consuluerit, quia revera consilium fuit causa furti; sequitur à simili de eo, qui putat equum alterius esse suum, quem postea, deposito errore, tenetur restituere. Poncius cit. num. 55, modo ipse fur non restituat.

69. Queritur, an fraudantes justas Gabellas, & vigalia peccent, & restituere debeant?

Resp. De hac re Vid. lib. 1. cap. 21. n. 109. & Cabalut. cit. cap. 19. num. 8.

70. Queritur, an ad restitutionem teneatur, qui per ludum prohibitum Aleorum, & Taxillorum aliquid lucratur?

Resp. Affirmativè, in sequentibus casibus: I. Si ludat, cum iis, qui alienare non possunt, ut sunt Pupilli, Filii-familias, non habentes propria, & Religiosi: nam tunc acciperet rem alienam, invito Domino. II. Si usetur dolo, & fraudibus contra leges ludi, quia tunc injustè auferret bonum collatoris; nam quilibet habet jus, ne fraude, & dolo damnifi-

Matthæus. Cautela Confessi.

cetur. III. Si gravi, injusto metu, vel conviciis, improbis precibus, minis, & imperio, alium ad ludendum indicat; tunc enim injustè cogeret collusorem ad illam jacturam, ergo importunus vexans debet eam illi rescicere. IV. Qui se ignarum simulavit, ut alterum imperitiosem provocaret; ratio est, quia in hoc casu contractus est injustus; nam, qui seit in æqualitatem peritiæ, non se exponit periculo perdendi rem suam. In aliis casibus non obligant Auctores lusores ad restitutionem lucri acquisiti, licet ludis prohibitis ludant; nam nulla lex irritat acquisitionem lucri: perdenti tamen ludo vitio conceditur apud De la Cruz cit. qu. 1. 7. præcept. art. 5. 5. Circa ludos, conc. 3. repetitio apud Judicem intra octo dies; vide alleg. Poncium disp. 58. quæst. 3. Rotarium apparat. Theol. part. 2. sect. 4. num. 15. Layman. lib. 3. tract. 4. cap. 21.

71. Sed queritur, quando censetur lusor uti fraudibus illicitis contra leges ludi?

Resp. Si cartas suffuretur: si eas signis notet: si ludat, tertio quodam admonente de punctis advertarii: si decipiat in numerandis calculis, vel pecunia, unde, si ludas cum Titio, quem, facta fraude, vincis, lucrarisque ab eo decem, teneris hæc decem restituere.

Nota II. Clericis aleorum, & taxillorum ludos prohiberi ex capiti. Clerici de vit. & honest. Cleric. quod innovatur in Trid. sess. 22. cap. 1. de ref. super quo Quilici ponderat: quòd Clericos, & Religiosos semel in hebdomada pecuniam ludo vitio ludere, sit frequenter ludere, ac ab eis peccatum committi; non

(11)

verò,

verò, si ludant ludo non prohibito, sed ad finem honestum recreandi animum, quamvis modicam aliquam quantitatem luserint: modò Religionis sub mortali à suis Regulis non interdicitur, prout solet in strictionibus Religionibus evenire.

7. Queritur, *Franciscus Confessorio aperit: occidi bovem Antonii, peto, an restituere teneat? pro negativa sum; nam ego diligentiam adhibui, ne eidem damnum inferrem, quamvis data opera, ut aliquod damnum reciperet, majorem, quam poteram adhibere, omiserim, ad hanc enim non tenebar; cum nullus teneatur adhibere totam diligentiam possibilem?*

Resp. Sed prius noto; quod duplex est culpa, alia Theologica, & moralis; & alia legalis, Civilis, seu juridica; quam Juristæ considerant, & juxta quam sententias ferunt; Prima item duplex, *mortalis, & venialis*, de quibus diximus lib. 1. cap. 17. Secunda, triplex, *lata, levis, & levissima*. Culpa *lata*, sive *crassa*, est omisso illius diligentia, quam regulariter omnes homines ejusdem conditionis, professionis, & ætatis adhibere solent. *Levis*, est omisso illius diligentia, quam adhibere solent homines diligentiores. *Levissima* verò, est omisso exacta diligentia, quam homines diligentissimi ejusdem ætatis, artis, & professionis solent adhibere. Exemplum habes. Si Libram tibi commodatum, in publica platea relinquis, & inde surripitur, reputaris amississe per culpam *lata*, quia diligentiam non adhibuisti, quam solent regulariter homines in custodiendis rebus. Si in cubiculo aperto

relinquis, per culpam *levem*, ex quo eam diligentiam omittas, qua solent homines diligentiores uti in rebus custodiendis. Si *taedem* in cubiculo clauso relinquis, sed manu non tentas, an sera bene firmata sit, per culpam *levissimam*, propter omissionem diligentia, quam homines diligentissimi in rerum custodia solent adhibere: modò

Ad dubium respondetur affirmativè; ratio est, quia omisso illius diligentia fuit causa moralis illati damni. Tum quia, quilibet ex justitia obligatur, ut non eo sine faciat aliquid, ut sequatur damnum proximi, ergo, nec ad omittendam majorem diligentiam eo animo; & si ex tali animo omittat, & damnum sequatur, restituere teneatur; nam tunc reus est, etiam de culpa gravi Theologica. Quilibet teneatur adhibere omnem diligentiam possibilem, si prævideat ex omissione sequuturum damnum.

73. Sed quid dicendum, si ex naturali oblivione, vel inadvertentia furnum v. g. non accludas, canem non alliges, si inde damnum acciderit?

Resp. A restitutione te liberant Laym. lib. 3. tract. 3. part. 3. cap. 7. Caballus, cap. 17. num. 2. quia quamvis commiseris culpam civilem, tamen propter inadvertentiam coram Deo non peccasti. Verum post Judicis sententiam te obligant. Quemadmodum apud Poncium disp. 52. qu. 1. conc. 2. num. 3. teneris ad recompensandum damnum, juxta modum, quo determinatur à legibus civilibus, si bos tuus sine tua culpa segetes alterius comedit; & apud Caballus, teneris etiam ante Judicis sententiam, si pactum intercessit de damno reparando.

Ceterum, si furnum, data opera, non acclusisti, nec canem alligasti prævidens periculum damni; vel, si acclusisti, aut alligasti, sed non modo, quo ejusdem professionis viri solent exequi, ne damnum sequatur: aut dubitans, quod, nisi major cautela adhiberetur, proximus damnum posset recipere, ad restitutionem teneris, si illud sequatur; quia censuris aliquo modo damnum velle, videas cit. Layman. & Cabasut; De la Cruz cit. qu. art. 6. num. 3. conc. 1. & Engel. lib. 1. tit. 35. §. 7.

74. Quæritur, quomodo se gerere debeat Confessarius cum gravato onere restitutionis?

Resp. Debet videre, an sit potens restituere, & dum potentem invenerit, non absolvat, nisi prius restituat; maxime si non sit summa tenuis, nam in hoc casu posset sufficere propositum restituendi: modò aliàs à Confessario ei non fuerit injectum, ut restitueret, & non fecerit, quamvis potens: & absolvendus non est, nisi exequatur; nam tunc censetur esse in periculo, & occasione proxima peccandi; nec est ei credendum, quamvis propositum ostendat; immò præsumendum, quod quemadmodum apud alium Confessarium promissis non litet, ita neque in futurum parebit. Quod si revera non sit potens, absolvi potest: modò propositum restituendi habeat; & debet se accusare, si ante restituere culpabiliter omiserit, & à quanto tempore potens fuerit, & non reddiderit; quòd si de præfenti solum sit potens restituere partem, eam Domino reddat, & parcius vivat, ut alteram restituere valeat. Si verò summa restituenda fuerit iudicio Confessarii

notabilis, & non levis: nec pro prima vice, dum potest restituere, est absolvendus, nisi restituat.

Non sint itaque Confessarii faciles ad dissimulandum restitutionis onus in furtulis, etiam minimis, & quæ ad mortale non peccant; sed pro conditione, & capacitate peccatorum temper aliquam restitutionem imponant, quæ fiat, vel reddendo rem eandem, si exat, vel ejusdem speciei, vel ipsius pretium, vel compensando majori obsequio, quam ex contractu teneantur; vel, si Creditoribus, quos ignorant, reddere non possunt, tantum in pauperes, vel pios usus conferant. Doceant etiam ordinem non esse servandum, quando omnibus potest satisfieri; Quod si omnibus satisfieri non possit, prius sunt solvenda debita certa, quæ nimirum certis personis debentur, quàm incerta, hoc est, illa, quorum in Domino ignorantur; & ex certis, præ illis, quæ existunt in propria specie, ut depositum, commodatum, locatum, res furtiva: quia horum debitor dominium non acquisivit: ex bonis verò debitoris, si defunctus sit, sunt prius solvenda expensæ funeris, ex l. penult. ff. de Religiosis, & sumptibus funerum: honoraria medicorum, & Pharmacopolæ, prout DD. communiter apud Layman. lib. 3. tract. 2. cap. 11. num. 3. & Cabasut cap. 23. num. 5. Baldus addit, impensas factas in infirmum post illam funeris præferti unicuique creditorum; ratio est, quia hujusmodi debita necessaria reputantur, & non contracta in fraudem antecessentium Creditorum: alioquin nullus reperiretur, qui indigentibus talia subministraret, si de solutione certus non esset.

(111) 2

Dein-

Deinde, Creditoribus personalibus (illis nimirum, qui solam personam personali actione sibi obligatam tenent, licet obligatio Chirographo proprio, aut publico instrumento, vel testibus, aut debitoris Confessione probari possit) præferuntur Creditores Hypothecarii, ii scilicet, quibus non solum persona ipsa debitoris, sed aliqua ipsius bona sunt obligata; ratio est, quia res illa hypothecata, quantum ad illud debitum, spectat ad Creditorem hypothecarium; cui non præferuntur Uxor, & ejus filii in restitutione dotis (licet pro hujus restitutione censeantur tacite hypothecata omnia bona mariti) modo hypotheca dotalis sit posterior, & illa anterior, & expressa, & specialis; ut, si pecuniam conferas ad edificandam domum, pacto inito, cum debitore, quod domus sit veluti tuæ pecuniæ pignus.

75. Sed quid agendum Confessario, qui ex Confessione penitentis, existens in periculo mortis, cognovit teneri ad aliquid restituendum?

Resp. Debet sine fractione sigilli Confessionis providere salutem illius animæ, securitati restitutionis, & penitentis famæ; propter eam priusquam absolvat, tenetur agro significare se debere restituere, & quando alius non possit, debere, vel testamento, vel codicillo pecuniam, aliamve rem debitam per legatum destinare personæ, cui debetur: aut si incerta sit, pauperibus distribuendam per hæredes, aut executores testamenti: vel personam spectatissimæ probitatis vocare, eique secretò injungere, ut talem pecuniam summam, se in suas manus depositam, vel ab hæredibus ex præscripto te-

stamenti deponendam, Petro debitam, secretò reddat. Quæ videntur media apta, non modò ad finem à Confessario intentum, verum etiam ad excludendam suspicionem sive restitutionis, sive inductionis, & fraudis ex parte Confessarii, dum iste in præfatis casibus assumit onus restitutionis faciendæ.

CAPUT XXIII.

Prop. XL. ab Innoc. XI. &c.

Contractus.

1. PROP. 40. Contractus Mobiliaris licitus est, etiam respectu ejusdem persone; & cum contractu retrovenditionis præviò inito, cum intentione laici.

Examen materiæ, quod occasione præfate propositionis assumimus, utile, & necessarium est Confessario, ut proprium munus, ut oportet, impleat; propter eadem, si non omnia dubia, quæ in materia de contractibus excitari à DD. solent, resoluta dabimus, ad minus frequentiora, aliæque pro præiuviliis enodabimus; & præcipuè, quæ spectant ad contractus, Censuum, Cambii, Societatis, Assuratiõis, Commodati, Locati, &c.

2. Quod contractus est conventio inter duos, vel plures, utroque obli-gans: ut in mutuo, commodato, emptione, venditione &c. vel saltem unam partem obstringens, ut in promissione, & donatione absoluta, in quibus una pars tantum obligatur, altera parte acceptante.

3. Quod

3. Quod contractus alius est nominatus, innominatus alter; ille est, qui proprium nomen in jure habet, ut *venditio*, *emptio*, *locatio*, *mutuum*, *depositum* &c. hic verò, qui nomine proprio caret; & ad quatuor genera reducitur: *Do, ut Das*, ut, do tibi aurum, ut des mihi argentum. *Do, ut facias*, ut, do tibi argentum, ut colas mihi agrum. *Facio, ut des*, ut, colo tibi vineam, ut des mihi panem. *Facio, ut facias*, ut, colo tibi vineam, ut meas segetes metas; discrimen videas apud Engel. *col. jur. can. l. 1. tract. 34. s. 3.* & apud Ponc. *disp. 3. q. 1.* alias divisiones, Confessario non tam necessarias.

4. Quæritur, quid sit contractus, Mohatra, dicitur apud Hispanos, & apud aliquos Italos, Stocco?

Resp. Est contractus venditionis ad pretium summum justum, pecunia credata, cum pacto retrovenditionis, ad pretium infimum justum, pecunia numerata; v.g. egres centum, quæ mutuo petis à Joanne mercatore, respondente ea non habere, sed tibi offert in eam, vendendam tibi ad creditum pro centum, & decem (quod supponamus esse justum pretium summum, vel medium) cum pacto, ut tu eandem rem ipsi revendas, numerata pecunia, pretio infimo, intra limites justii pretii v.g. centum, quæ promittit tibi statim solvere. Hujusmodi contractus illicitus est, & usurarius; nam tibi indigenti pecunia solvit mercator centum, & necessitatem imponit, ut tu aliquando debeas solvere alia decem; adeoque æquivalenter idem facit, quod facit, qui mutuat centum, & supra sortem exigij, etiam decem. Tum quia,

contra hunc contractum est eadem ratio, quæ adducitur ad reprobendam usuram; nam, ideo usura est illicita, quia per hanc aliquid exigitur ultra sortem, pro quo nullam subit onus pretio æstimabile, damni emergentis, vel lucri cessantis, sed in contractu Mohatra, etiam nullum tale onus reperitur, & tamen e-menti rem ad creditum justo pretio imponitur onus, & necessitas revendiendi minori pretio, & accipiendi in parata pecunia tantum centum, ergo contractus Mohatra, cum prævio pacto revendiendi rem ipsi venditori, est injustus, & saltem æquivalenter usurarius. Unde malitia hujus contractus consistit in lucro ex mutuo, palliato sub prætextu venditionis, & retrovenditionis, ideo ab Innoc. reprobatus, Cardenas ad alleg. prop. ab Innoc. XI. damnat. dissert. 24.

5. Sed quid, si nullum adsit pactum, sed solum spes sit in mercatore, vendente mercedem credito carius, eam ab ipso indigente revendiendi vilium, numerata pecunia. Vel si credito indigenti à mercatore vendita merce summo pretio, statim ipse mittat amicum, vel tertiam personam, quæ eandem mercem, nomine suo, emat pretio infimo numerata pecunia. Vel si mercator vendidit credito mercem suam pretio summo, sed justo, non intendens obligare indigentem ad revendiendum sibi, viliori pretio, sed ipsum relinquat in sua libertate; qui, cum non reperiat emptores, vel tempus non habeat eos adveniendi, aut querendi, eandem mercem, infimo pretio, vendit eidem mercatori, numerata pecunia?

Resp. Quidam dixerunt contractum Mohatra, vel Stocco, altero ex istis tribus modis

modis celebratum, non esse illicitum; quia onus non imponitur emptori, sed relinquitur in sua libertate, ut, ad quemvis possit, accedat. Sed neque id post decret. Innoc. potest sustineri; ratio est, quia in propositione sunt damnati omnes quatuor modi contrahendi Mohatram, vel faciendi stoccos. Primus, de quo n. 5. expressè continetur in illis verbis: *respetu ejusdem persona, & cum contractu retrovenditionis præviò inito*. Secundus, exprimitur illis verbis: *cum intentione lucri*. Tertius, & quartus comprehenduntur in illa dictione *etiam: licitus est etiam* Sc. nam hæc dicitio *etiam*, est ampliativa, & implicativa; quæ prohibitionem ampliat, & comprehendit quemvis modum, quo posset contraheri. Barbof. de dictionib. dict. 111. ideò quocumque modo fiat Mohatra, seu stocco, censeri debet prohibitus. Propterea cautè legendus est Cardenas, concedens licitum esse Mohatram, si fiat sine pacto explicito, vel implicito de retrovendendo, nam semper erit contractus scandalosus in detrimentum ipsius indigentis pecunia, & saltem contra charitatem; immò, cum Papa damnet propositionem, ut jacet, nullilicet defendere Mohatræ contractum in aliquo sensu.

§. I.

Contractus census.

6. **Q**uæritur, *Quid sit census.*
Resp. Est jus legitimum percipiendi pensionem aliquam super re alterius immobili, utili, & fructifera.

Census de censib. par. 1. cap. 1. qu. 3. art. 2. Dicitur jus quia, qui censum acquirat, vel emit, nullum dominium habet rei, super qua census est impositus, sed jus ad exigendam pensionem à venditore illius juri; dicitur *legitimum*: ad significandum conditione justas, & formalitates legales servandas in constitutione census, maxime post Const. B. P. V. de qua n. 9. additur *pensionem aliquam*: sive in pecunia: & tunc census est pecuniarius: sive in fructibus, ut tritico, oleo, vino &c. & census erit *fructuarius*; adjicitur *super re alterius*: quia censuarius allumens onus solvendi pensionem remanet dominus fundi, super quo census constituitur, cum solum vendat illud jus, DD. communiter; tandem ponitur *super re immobili, & fructifera*: quia neque super persona, aut remobili, neque super fundo sterili, census potest creari, sed opus est, ut res sit immobilis, & tot fructus regulariter annuatim, saltem colligantur ex fundo, quot sufficiunt ad solutionem census.

7. Advertendum 1. quod sicut dominus agri habet jus percipiendi fructus ex eo, sic potest tale jus vendere. 2. Quod non ipsa pensio est census; sed jus ad eam exigendam. 3. Quod is, qui censum emit, Censuista, seu Censualista appellatur, & qui vendit, & solviturus est pensionem, Censuarius. Poncius disp. 55. quest. 5. num. 19. Fagnan. in 5. decretal. ad cap. in Civitate de usur. num. 30. Giballinus 2. p. de usur. lib. 4. cap. 6. art. 6. num. 3.

8. Duplex est census *reservativus, & consignativus*: primus est, cum quis dat alteri sua bona reservando sibi pen-
sionem

nem annuam; & de isto, per Ponticum, non loquuntur Pontifices in suis Bullis. Secundus est, quando quis super re sua, recepto pretio, consignat alteri jus percipiendi certam pensionem; vel, cum quis pretio emit jus percipiendi certam pensionem ex re alterius: ut, si quis centum aureis emit à Petro jus percipiendi in singulos annos ex ejus agro, vel mensuram frumenti, vel pretium æquivalens, quinque nimirum scuta.

Unde consignativus dividitur in realem, & personalem; ille fundatur super certa re temporali, domo, agro, vinea &c. & comitatur rem ad quemcumque possessorem rem perveniat: quæ pereunte, perit; alter fundatur super persona, quæ se obligat ad pensionem solvendam, & transfert in alterum jus eam annuatim exigendi ex acquisitis à se per laborem proprium, & industriam: & quamvis interdum apponatur bonorum hypotheca ad majorem pensionis personalis securitatem, hoc non fit per Cabasut. *jur. Canon. Theoria lib. 6. cap. 12. num. 7.* virtute contractus censuales, sed per alterius contractus adjectionem, nimirum hypothecæ; neque census constituitur super illa hypotheca, sed super persona; neque ex hypotheca, sed ex persona pensio solvenda est, quæ post Const. Pii non tenet ex dicendis n. sequen.

Subdividitur postea in redimibilem, quem venditor redimere potest, reddito pretio accepto, vel emptor, pretio repetito: & irredimibilem, cum nullum redimendi pactum ab emptore, & venditore adicitur.

Deinde, alius est perpetuus, ut, cum pensio est perpetua solvenda, sic, ut

etiam ad hæredes obligatio transeat: & alius temporalis, ut cum est solvenda. d. tempus, vel determinatum, ut ad 10. vel 15. annos: vel indeterminatum, ut ad vitam ementis, vel vendentis censum, aut alterius: ut, do tibi mille, ut tenearis, quamdiu vivis, vel quamdiu ego vivo, vel pater meus vixerit, numerare mihi centum singulis annis: & dicitur vitalicius: qui an validus sit, mox ex dicendis colligendum, & cap. sequen.

9. Quartus, Confessarius interrogatur à recenti Notario, quor conditiones sint de necessitate servande in licite constituendis censibus, & celebrandis instrumentis super contractibus censuales, quid ei respondebit?

Resp. Dicat esse servanda, quæ post Martinum V. & Calixtum III. in 1. & 2. Extravag. de empt. & vendit. inter com. statuit B. Pius V. const. Cum omnis Apostolica, quæ est in Bullar. 10. 2. la 79. in qua B. Pontifex ad validitatem censuum, & vitandam in contractu injustitiam, & usuram labem, sequentes conditiones observandas disposuit.

I. Ut census fundetur super re immobili, ut domo, vinea, piscina, &c. non vero in animalibus; vel vino, oleo, & similibus. Mastrius Theol. Moral. disp. 5. qu. 3. art. 1. num. 99. Antiqua pro immobili habeatur, ut sunt annui redditus perpetui; ex Clement. Exivi de verb. signific. §. cumque annui. Et De la Cruz 7. præcept. quæst. 6. art. 1. de censib. num. 3. unde sequitur non posse fundari supra personam, aut super personam, & rem: adeoque, & censum personalem non esse licitum.

II. Sit res sit fructifera, reddens fructus

Census sufficientes ad pensionem solvendam.

III. Quæ nominatim certis finibus designata sit; ut constet, an sit immobilis, & fructifera, quando res censita pereat, & cum ea census super ea fundatus sit extinctus: idè non potest fundari super bonis non presentibus, vel futuris.

IV. Ut in stipulatione instrumenti pecunia realiter, & cum effectu exbursetur, & numeretur ab emptore vel ditori census in presentia Notarii, & testium; neque sufficit ante numerasse, vel creditorem de ea extitisse; unde notat De la Cruz cit. non posse institui censum de pecuniis antea debitis, cum non sint presentes, nec coram Tabellione, & testibus numerentur.

V. Ut solutiones pensionum ex pacto non solvantur anticipatè, sed exigantur, terminis maturatis, & ratione temporis elapsi: pensio enim est eruenda ex fructibus rei censitæ; si enim emptor census, dum pretium numerat, detraheret ex eo pensionem primi anni, quæ non debetur, nisi anno completo, usuram committeret cum obligatione restituendi.

VI. Ne venditor census obligetur ad casus fortuitos, ut, si domus absque culpa ipsius incendio pereat, Molendinum ex impetu aquarum ruat, & ager asportetur, census emptori pereat (nam res Domino perit, Dominus autem census est emptor) & venditor amplius ad pensionem non teneatur: minuaturque census, minuta hypotheca, juxta proportionem: in totum, re in totum perempta; vel secundum partem, si pro parte infructuosa efficiatur: unde pacisci non potest

de solvenda pensione, etiam si res subjecta pereat.

VII. Ne fiat pactum, restringens libertatem Censuarii alienandi rem censui subjectam, sed possit eam vendere semper, & quando velit: nec teneatur tunc solvere laudemium, vel aliquid dare Censualistæ pro obtinenda licentia illam alienandi.

VIII. Ut dum res censui subjecta vendenda sit, Dominus census moneatur, & praferatur, si eam velit sibi acquirere.

IX. Ne Censuario moroso in solvenda pensione, imponatur aliqua pœna pecuniaria, vel alia; ut, quod teneatur ad interesse lucris cessantis, vel ad cambium, vel alias expensas, liquidandas juramento creditoris; aut partem rei amittat.

X. Ne pensiones maturatæ, & non solutæ, convertantur in capitale, & augmentum census.

XI. Ut Censuario aliquod onus non imponatur, ad quod, secluso contractu, non tenetur.

XII. Quod venditor census possit censum redimere, & extinguere, quando velit, restituendo pretium Censualistæ, non obstante præscriptione centum, aut plurium annorum; ex quo patet non valere censum cum pacto, ut fiat perpetuus, si intra certum tempus non redimatur. Cum tamen Censuarius vult censum extinguere, decet de eo ante duos menses monere dominum census.

XIII. Ut Censuarius, vel venditor census nullo unquam tempore compellatur, vel obligetur ad se affrancandum, seu ad censum redimendum, nisi, quando ipse prius denuncia verit Censualistæ velle

se affrancate, seu censum extinguere; tunc, transactis duobus mensibus, vult Papa, ut Dominus census possit ab invito repetere pretium intra annum. & ubi pretium non exigatur, sit nihilominus Censuario liberum extinguere censum, cum velit.

XIV. Quod censu constituto, non possit pretium augeri, vel minui ob temporum, aut personarum qualitatem: iustum autem pretium reputatur, vel quod Princeps taxavit, vel, quod universalis consuetudo approbat. Tambur. cit. cap. 3. & Fagnan. n. 17.

XV. Quod contractus censuales sub alia forma celebrati sint feneratorii, & usurarii. Hæc summam ex Constitut. B. Pii.

Peccaret itaque mortaliter Notarius, si in stipulatione instrumenti non servaret formam creandi census à B. Pio V. in alleg. constitutione statutam, quam in conscientia obligare dixit. De la Cruz n. 4. & contractus census celebratos contra formam ab ipso præscriptam, nullos esse legitur, apud Giballinum par. 2. de usur. lib. 4. cap. 6. art. 5. n. 3.

10. Quæritur, Confessarius introgratur, ut discrimen afferat inter mutuum, & censum; & quare contractus sensuales, usurarius non debeat reputari; & cur in eo, mutuum, ut minimum virtuale, & pallium usura non contineatur? videtur enim, quod pecunia recipienda detur supra sortem, siquidem pensiones paucis annis superabunt summam, qua primum data est. Si contractus presens à labe, & pallio usura immunis sit, facile poterit lucrum omne supra sortem in mutuo ab usura excusari; *Matthæi Cautela Confess.*

nam mutuo dans, respondebit se nolle lucrum capere, ex mutuo, sed per illa centum, v. g. que dat, emere jus ad centum, & decem post annum recipienda: quod jus est, tam distinctum ab ipsis centum, & decem postea recipiendis, sicuti in censu jus percipiendi pensiones annuas, vel menstruas est distinctum à pensionibus, & centum datis, ad tale jus emendum; quid in casu erit poenenti dicturus?

Resp. Quod apertum discrimen est inter mutuum, & censum. I. In mutuo obligatur mutuarius reddere sortem, præfinito tempore, sive, quando mutuo dans, eam repetit, quemadmodum petere potest: in censu autem emptor non potest unquam pretium repetere, neque obligare venditorem reddere, dum nolit. II. In mutuo fors nunquam mutuantis perit, etiamsi res mutuarii pereant; in censu verò, pereunte prædio, aut re alia censui subjecta, sine culpa Censuarii, in totum, vel in partem, census perit; nec obligatur postea Censuarius ad pensionem, vel ad pretium, primo datum, solvendum, nisi ad ratam intertus.

III. In mutuo dominium mutui non est apud mutuantem, & ideo non potest aliquid exigere de eo, quod suum non est; in censu autem dominium census, seu juris ad petendam pensionem, est in Censuali, & ideo potest sine iniuria, & pallio usura, pensionem illam exigere; quemadmodum potest illud jus alteri vendere: legendi sunt Gibalin Caballut. cit. & Engel. Colleg. jur. Can. lib. 5. tit. 19. §. 2. n. 2. nec pensiones illæ exiguntur.

(Kkk)

tur,

tur, ut incrementum sortis, sed solum, ut fructus juris empti.

11. Sed quaeritur, an, si ob fortunam sterilitatem, ut in solium calorem, nimiam pluviam, eo anno communem, res non fructificet, ad pensionem solvendam censuarius teneatur?

Resp. Videndum, an sterilitas compensetur ex fertilitate precedentium annorum, vel ipse sit exsequentibus; & in casu, pensio est à Censuario solvenda: ubi notandum ex Giballin & cit. art. 11. num. 5. & Rotario *Ticol. moral. p. 2. cap. 7. sect. 5. num. 13.* opus non esse, quòd res censita singulis annis fructificet; nam sufficit, ut sit natura sua fructifera, ut Pontifex loquitur, & ex ea fructus regulariter Censuarius computando unum annum cum alio percipiat, sufficientes ad solvendam pensionem: nec Censualista emit fructus, quos res censita ferat singulis annis; quæ etiam, si aliquo anno fructus non ferat (ut domus, quæ dicitur fructifera civiliter, licet aliquandiu illocata maneat) censibus poterit subijci; non verò si crebrius, aut ferè semper fructus non ferat.

12. Sed quaeritur, an res censita debeatur ferre fructus qui aequent pensionem ei impositam?

Resp. Affirmative, aliàs ratione illius excessus solvendi supra fructus, frugifera non foret. Giballin, *ibid. n. 7.*

§. II.

Contractus Cambii.

13. Quaeritur, quid sit Cambium, & quotuplex?

Ad I. Respondetur, est permutatio pecunie pro pecunia cum moderato lucro. DD. communiter. Ubi, qui Cambium petit, pecuniam accipit, & dat lucrum, Campsarius appellari solet, qui verò rogatur, ut pecuniam commutet, ipsamque permutat, & lucratur, Campsor, vel Bancarius, nominatur.

Ad II. Cambium dividitur in fictum, quod vocatur sicum, hoc est, carens humore ad lucrum; & in reale. Sicum illud est, in quo est tantum apparentia Cambii, & iusti tituli ad lucrum, cum revera cambium non sit, sed verè contractus mutui, figura fictici cambii efformati, de quo DD. & nos infra. Reale verò illud est, in quo revera repetitur titulus iustus, ratione cuius possit aliquid iuste accipi pro Cambio, quia realiter pecunia cum pecunia commutatur.

Et hoc subdividitur in minutum, seu manuale, & locale. Minutum, est permutatio presentis pecunie cum alia pecunia presenti, sed inequalis materia, sigilli, & figura: argentea cum aurea, aenea cum argentea, vel unius Principis cum ea alterius Provinciae, propter commodum migrantium de una in aliam Provinciam; dicitur minutum, quia regulariter minor moneta commutatur cum majori: & manuale, quia statim in eodem loco, & tempore de manu ad manum pecunia numeratur. Locale est, in quo pro pecunia data in uno loco, datur alia in alio loco; quod, cum ordinariè per literas fieri solet (quibus Campsor mandat suo correspondenti, ut Campsario certam pecuniam quantitatem, quam ipse Campsor, v.g. hic Romæ accepit,

cepit, numeret Lucæ) Cambium perli-
teras appellatur.

14. Quæritur, an in Cambio sicco pos-
sit Campfor aliquid lucri iusti supra sor-
tem accipere?

Resp. Negativè, ratio est, quia in eo
nullus habetur legitimus titulus ad lu-
crum exigendum; nam, non est verè
Cambium, sed mutuum, ementito no-
mine Cambii, & usuræ pallio palliatum.
Ad Cambium verum, & reale exigatur,
ut realiter, & cum effectu pecunia Cam-
pforio detur: seu, ut re ipsa literæ cam-
biales de uno ad alium locum transmit-
tantur, virtute quarum fiat vera solutio
pecuniæ, quæ recepta fuit in alio loco;
quod non reperitur in Cambio sicco.
Exemplum pono: hic Romæ petis à Cam-
pfore decem, & accipis, ut post duos
menses des ea Florentiæ, sed non inten-
dis ibi solvere, nec ibi solvis, sed hic:
& literæ illic transmissæ redeunt inanes,
& vacuæ. Quod ultra sortem reddis, vel
à Campfore exigitur, est lucram usura-
rium, datum solum ob expectatam solu-
tionem, & dilationem temporis, quod
vendi non potest. Ideo patet, acceptum
supra sortem accipi ex vi mutui palliati,
& propterea injustè, & iniquè. *Mastr.
cir. Cabasut. cap. 1. Layman lib. 3. tract.
4. cap. 19. in fine.*

15. Quæritur, an in Cambio minuto,
in quo Campfor Ungaricos cum testo-
nibus, duplones Hispanicos cum ju-
liis, & testones cum obolis, vel bajoc-
chis Campforio commutat, possit ali-
quid lucri iusti accipi sine peccato, &
periculo usuræ?

Resp. Affirmativè, *Mastr. cir. n. 125,
Poncius num. 23. Cabasut. lib. 6. cap. 10.*

*num. 2. Layman. num. 3. Engel. n. 24. De
la Cruz art. 3. de Cambiis num. 1. conc. 1.
& communiter DD. Pro quo adverten-
dum: pecuniam habere duplicem valo-
rem, alterum legalem, & extrinsecum,
qui, taxatur à Principe, per quem est re-
rum pretium; & alterum naturalem, &
intrinsecum ut quædam res est, pretiosius
metallum, antiquius, commodius ad
asportandum, & facilius ad expenden-
dum inter exteros; quamvis autem pro
ea, quæ pretium rerum est, vel ratione
valoris legalis, non possit aliquid iustè
recipi, quia huiusmodi valor, utpotè à
lege taxatus, indivisibilis est; potest tamen
aliquid moderatum lucrum iustè exigi,
ratione valoris naturalis, seu intrinseci;
sub qua ratione certè est altimabilior au-
rea, quàm argentea, propter conditio-
nem materiæ, quæ est nobilior, durabi-
lior, in pluribus locis expendibilior, as-
portatu commodior, & tandem ad plu-
res plus idonea; & præter rei unum pretium,
est etiam ad deaurandum, medicinas, &
similia apta.*

Ex vitæ laboris, & expensarum,
quas Campfor facit, ut habeat, & cu-
stodiat similes pecunias pro Cambio, ju-
stè aliquid accipit; nam labor ille, & ex-
pensæ sunt pretio dignæ: sed vitentur
fraudes.

16. Quæritur, an in Cambio locali ju-
stè aliquid lucri accipiatur?

Resp. Affirmativè: nam in isto quo-
que, sunt tituli legitimi pro iusto lucro
exigendo; sive Campfor hic Romæ v. g.
numeret primò pecunias Campforio, ab
isto solvendas Florentiæ Campforis cor-
respondenti, vel procuratori: sive Cam-
pforius Romæ numeret primo Campfo-
(K k k) 2

ri pecuniam, ut ab istius correspondente eam recipiat Florentia; nam, sive uno, vel altero modo Cambium celebretur, semper debet Campsor expensas facere, conducendo, vel alendo famulos, & scribas, tenendo libros rationum, aliosque sumptus, sine quibus correspondentias in locis remotis non haberet; in secundo reperitur etiam, transportatio virtualis pecunia de uno ad alium locum, quæ fit à Campfore, liberando Campsarium ab onere sumptibus, & periculis, quæ ipse in transferenda pecunia deberet subire: quæ omnia sunt pretio æstimabilia, & digna stipendio.

17. Sed quaritur, quoadnam censeatur iustum pretium, quod supra pecuniam cambitam accipi potest?

Resp. Quod, vel lex Principis taxat, vel loci consuetudo induxit: & potest augeri, vel minui propter locorum distantiam, & difficultatem maiorem, vel minorem, ac pericula transferendi pecuniam, & similes rationes, videndas apud Cabasut. cit. num. 4. & Matr. num. 227. Hoc unum Confessarius ponderet, quod lucrum moderatum esse debet: & si Campsor pretium excedat, tenetur excessum restituere. Giballin. cit. lib. 5. cap. 1. art. 4. n. 8.

18. Quaritur, interrogatur Confessarius de conditionibus necessariis ad legitima Cambia, quid responsurus sit?

Resp. Eas contineri in Constit. B. Pii V. incip. *In eam pro nostro* ed. ta. 1571. ut omnem aditum usuris, & fraudibus accluderet. Quarum 1. est, ut Cambium non sit siccum, seu fictitium, quod fit,

quando contrahentes simulant certas nundinas, & certa loca, ubi verè nundinæ non celebrantur: ad quæ, qui pecuniam recipit, litras Cambii non mittit, vel ita mittit, ut vacua, siccæ, & sine effectu debeant reveri, quia non est, qui solvat.

II. Ut lucrum non recipiatur in casu non solutionis Cambii.

III. Ne Campsor paciscatur de lueratione dilata solutionis ultra terminum.

IV. Ut, nec ante, nec post Cambium fiat pactum de certo, & determinato interesse solvendo, etiam in casu, quod non fiat solutio, tempore præfixo; huiusmodi enim pactum fundatur in periculo usuræ: quod periculum per Giballin. citat. art. 1. cap. 15. constit. 9. in simili pacto reperitur, & non tantum præsumitur; propterea dixit Constit. in conscientia obligare, & esse omnino servandam.

V. Ne cambia realia celebrentur, nisi pro primis nundinis, ubi illæ celebrantur, hoc est, quod Cambium solvatur tempore, quo celebrantur; quod, si ibi nundinæ non sint, ad primum terminum in cambio solitum designari iuxta distantiam locorum; vetatque ab usum, quo cambia pro secundis, & deinceps nundinis sine terminis exercentur.

Itaque Pontifex non vult terminum solutionis Cambiorum differri; ne propter hanc dilationem Campsiores majora lucra recipiant, quemadmodum olim consueverint.

Sciendum est, in certis locis, quolibet anno, quater nundinas celebrari, inter quas spatium trium mensium intercurrit,

currit, ut merces possint ad loca asportari, & litera cambiales dirigi. Unde Cambium fieri ad primas nundinas, est, Campforem, & Campsarium inter se convenire, ut solutio fiat intra trimestre: ad secundas intra sex: & ad tertias intra novem menses. Et quia Campfores consueverunt sic cambire, ut, si Cambium non solveretur in primis nundinis, vel ista non celebrarentur, majus lucrum exigerent: & majus in secundis: & magis etiam in tertijs; ideo Pontifex similem modum solutionis, & celebrandi cambia prohibuit, utpote continentem lucrum usurarium, acceptum ex sola dilatione solutionis. Solvenda itaque sunt cambia in termino praefixo in singrapha, vel literis; vel si postea solvantur, non potest plus a Campfore exigi, nisi propter lucrum cessans, & damnum emergens, non fictum, sed verum, & reale: sed de hoc debent Campfor, & Campsarius convenire. Semper tamen vitentur fraudes.

19. *Quaritur, an Cambium cum re cambio, quod Itali vocant con la ricorsa, sit licitum?*

Resp. Negat Cabasut. contra plures, resolvens rationes aliorum, probare solum esse speculativè licitum, non verò practicè; quòd quidem constat ex ipsa natura praedicti Cambii, quod sic institui solet. Titius, Campsarius accipit Mediolani à Campfore centum aureos, solvendos Placentiae (ubi Titius pecuniam, nec respondentem habet) propterea ipsum Campforem rogat, ut sibi concedat, & scribat suo respondenti Placentiae, ut nomine ipsiusmet Titii satisficiat, & solvat sibi Campfori Me-

diolani; Campfor literas Placentiam dirigit suo respondenti; quibus acceptis, correspondens Campforis, nomine Titii, eandem summam recambit Mediolanum ad Campforem, ut iste centum exigat à Titio. Hic pondera, hujusmodi Cambium reduci ad Cambium siccum, & mutuum usurarium, palliatum titulo ficto Cambii localis, nam proprie est mutuum cum usura, cum Campsarius debeat Mediolani, ubi recipit, solvere, & cogatur uti illo falso circuito solutionis, faciendae Placentiae, solum, ut ab usurario mutuum recipiat, quod aliàs non accepisset; teneas itaque sententiam Cabasutii.

§. III.

Contractus Societatis.

20. *Quaritur. Pesit poenitens à Confessario instrui de conditionibus necessariis, ne erret in celebrando contractu Societatis, quid Confessario agendum?*

Resp. Significet esse hujusmodi contractus celebrandos ad praescriptum Constit. Sixti V. incipien. *Deestabilis 45. ibid. in Bullar. disponentis.*

I. Ne fiat pactum inter socios de restituenda sorte, & capitali alteri socio, qui eam vel in totum, vel secundum partem dedit in Societatem ad negotiationem, etiam si casu, & fortuito pereat, & deterioretur; atque consocius vel minorem partem tribuat, vel solam industriam, & laborem.

III. Ne paciscatur de solvendo lucro in singulos annos, vel menses, ad indemnita-

tatem fortis, ei, qui pecuniam, aliasve res in societatem contulit.

III. Ut socii ad commune lucrum conferant in commune, sive pecuniam, sive animalia, navem, industriam, & laborem.

IV. Ut, finita societate, & capitale extet, restituantur ei, qui in societatem contulerit.

V. Ut inter socios sint communes fructus, expensæ, & damna.

VI. Ut inter eos, tam lucrum, quam damnum dividatur juxta proportionem, & ratam eorum, quæ singuli contulerunt; ita ut, sicut se habet fors ad sortem; sic se habeant fructus, & lucrum, ad fructum, & lucrum: hinc, si uterque contulerit centum cum æquali industria: & lucrum, finita societate, sint ducenti aurei, singuli socii poterunt pro lucro reportare centum, & centum pro capitali. Nota, quod plus debet lucrari, qui dat pecuniam, & operam, quæm, qui dat solam pecuniam, vel operam, quia sic servatur æqualitas. Quilici q. 7. art. 3. num. 21.

21. Sed quid, si unus posuerit centum, & alter solam industriam, & laborem?

Resp. Si apposita industria centum aureis æstimetur, & lucrati sint alia centum, debet primo alter accipere centum, quæ dedit pro sorte, divisit aliis centum, ita ut quilibet eorum sumat quinquaginta, proportionem lucris. *Mastr. cit. art. 4. num. 132. Cabasut. art. 13. num. 6. apud quos alii.*

22. Sed quid, si, finita societate, solvis centum datus a socio pro sorte principali, nil lucris appareat?

Resp. Debent illa ei reddi, qui contulit; æqualitas in casu inter socios in hoc stat, quod si fors data ab uno socio, altero conferente, injustitiam, pereat sine hujus culpa, ei pereat, qui dedit; si verò, salva pecunia, nil lucris habeatur, alter socius, qui suum laborem, vel industriam contulit, solum sentiat jacturam industrie, pecunia verò tota ad suum Dominum redeat: etenim pecunia data in societatem semper est dantis, nec ipsius dominium in alterum transfertur, ut optime D. Thom. 2. 2. *quæst. 78. art. 2. ad 5. & allegata Const. Sixti, propterea, si pereat sine culpa socii, ipsius Domino perit.*

23. *Queritur. Eget Agricola bobus ad arandum, rogat Herum, ut sibi mutuet pecuniam ad ipsos emendos. Herus in mundanis, ipso Agricola paciscenti cum venditore, solvit nonaginta scuta pro duobus bobes, quos Agricola conceat ad triennium, sequentibus pactis. I. Ut singulis annis tibi duo rubia frumenti solvat. II. Ut, si mori boves contigerit, Agricola eorum pretium solvat. III. Ut, finito triennio, boves consignentur Hero sub nova æstimatione, & si scutis nonaginta non fuerint æstimati, sed minoris, Agricola suppleat de proprio usque ad debitam summam: petitur, an contractus æque pacti a sint legitima?*

Resp. Contractus iniquus est, cuiuscumque generis esse asseratur, sive mutui, quo Herus Agricolæ pecuniam mutuet, sive societatis, quo ad societatem ipsi boves tradat, sive locationis, quo eidem locet boves.

Si mutui esse dicatur, iniquitas patet; nam contractus mutui de sui natura petit esse

esse gratuitus, juxta illud, *mutuum dan-
tes, nihil inde sperantes*, ergo, ubi mu-
tuum gratuitum non est, usura est. *Glof.
ad cap. Conquestus de usuz. in ver. de feudo.*
Addo, quod Herus pensionem exigit
de re non sua, cum boves empti sint pec-
cunia mutuata Agricola, adeoque pecu-
nia, cujus Agricola est Dominus (in mu-
tuo enim dominium transfertur) ad
quem itaque boves spectant, & cui pro-
pterea pereunt: nam res domino perit.

Item, si ad societatem spectet, iniqui-
tas est manifesta. Nam in contractu so-
cietatis juxta Sixti constitutionem alle-
gatam supra num. 20. Non licet pactum
facere de restituenda alteri socio sorte,
casu, vel fortuito pereunte, sed jactura,
& periculum fortuitum, ac ipsius deterio-
ratio debet esse apud tradentem; nec de-
bet jactura in recipientem refundi, nisi
ejus culpa, & negligentia contingat;
prout etiam habetur ex *Com. Mediola-
nen. sub S. Carolo p. 2. tit. de usuris*: ibi.
*In societate animalium, qua inestima-
ta alicui dantur ad custodiam, sive, ut
operas prester, omnes casus, etiam for-
tuiti, semper sint periculo ejus, qui de-
derit; nisi id alterius socii dolo, vel ma-
gna negligentia accidisse confiterit. Nec
fiat pactum, ut fors sit semper salva,
etiam ex primis factibus, neve quidpiam
certum prater sortem ex fructibus ani-
malium, quotannis solvatur.* In casu pro-
posito Herus vult sortem salvam, pericu-
lum deteriorationis in se non suscipit (bo-
ves enim arando deteriores fiunt) & quo-
libet anno exigit pro certo lucro pen-
sionem duorum rubiorum frumenti contra
naturam societatis; quae postulat, ut par-
tes sint aequales, & aequaliter participent

de lucro, & damno habito respectu ad
quorundam in societate positam; societas
enim est quaedam fraternitas: at quae a-
qualitas erit, quae paternitas, si Agricola
ex bobus nihil lucretur, & nihilominus de
suo debeat solvere ea rubia? vel, si dedu-
cto valore illorum duorum rubiorum nil
lucris maneat apud ipsum? vel, si debeat
de suo fortuitum periculum, & deterio-
rationem bovom compensare? Unde vi-
detur resultare potius contractus mutui,
quam societatis cum justitiae violatione.

Item non minus est contractus ini-
quus, si dicatur esse locationis, quo He-
rus locat Agricola boves. Nam, ut ini-
quus, & injustus non sit, exigitur, ut pe-
riculum fortuitum, & capitalis deterio-
ratio sit apud Locatorem, qui est bovom
dominus, cum in locationis contractu
dominium non transferatur, consequen-
ter, quod ipsi pereant, dum fortuito ca-
su perire contingit; ergo, cum Herus bo-
ves vult Agricola perire, vult Agricola
esse ipsorum Dominum; nam res Domi-
no perit; adeoque injuste, & per usu-
ram, eam annuam pensionem exigit, cum
pro re non sua illam accipiat. Deinde
pensio duorum rubiorum frumenti est ni-
mis excessiva; ergo pactum est injustum.
Tum quia in contractu locationis debet
servari aequalitas inter locatorem, &
Conductorem, ergo lucrum, quod reci-
pit Herus, debet correspondere utilita-
ti, quae ex bobus redandat in Agricola;
nam, si nullam utilitatem Agricola ex
bobus perciperet, nil dare deberet He-
ro; vel certe minus solvere deberet, si,
deductis frumenti rubiis, quae dat Hero
Locatori, minus lucrum Agricola con-
ductori proveniret, juxta text. *in cap. Pro-
pter*

per de locato, & conducto; & ibi Gloss. in verb. Visio rei.

24. Sed petitur. Cujus generis consensus sit predictus contractus?

Resp. In se est locationis, & conductionis. Nam Herus boves emit, eoque ad triennium cum ea pensione locat Agricola; quia verò pensio nimis est excessiva, in eo justitia violatur. Verum propter alia duo pacta adjecta, degenerat in mutuum. Hinc optimè dixit, de la Cruz, direct. conse. 7. precept. 9. 6. art. 2. dub. 2. quòd, qui alteri locat bovem, aut dat decem aureos pro emendo eum, obligando illum, ut post tempus locationis reddat illos aureos, aut bovem ita sanum ac recepit cum pretio locationis, committit usuram; quia idem est, ac mutare decem, ut reddantur duodecim; cum conductor suscipiat in se fortuitum periculum, & deteriorationem rei locatæ contra naturam locationis. Idem habet Leotar di de usur. quest. 36. num. 25. asserens illum, qui rem suam justo pretio æstimatam, veluti equum, vel bovem, ad certum tempus alteri locat ea lege, ut, re illa quomodocumque pereunte, pretium cum lucro consequatur, usurarium esse.

Nec obstat, Agricolam ab Hero petiisse mutuum pecuniam; nam cum dati sint boves per triennium ad colendos agros cum annua pensione, contractus assumit naturam locationis, & conductionis dictorum bovum. Ad cognoscendum contractum magis est inspicienda ejus forma, & effectus, quam nominis appellatio. At, dato etiam habere naturam mutui, patet esse iniquum.

25. Quæritur. Cajus aperit Confessario: ego dedi in custodiam oves Fran-

cisco sub ista lege, quod, ubi oves quavis casu pereant, pro una medietate mihi, & pro alia pereant Francisco; ubi vero non pereant? prius debeam ego ex fructibus meum trahere capitale, & ex tunc oves communes sint: petit, an contractus sit licitus?

Resp. Negativè. Nam in isto contractu melior est conditio Caji, quam Francisci, adeoque non servatur æqualitas, sed Franciscus recipiens oves nimis gravatur, quoniam ubi malè fortunentur, implemittit duo, medietatem scilicet pretii ovium, quam de proprio tenetur solvere, & laborem suæ custodix. Cajus autem unum amittit, alteram scilicet medietatem pretii pecorum. Hinc, quia Franciscus recipiens, seu conducens pecora majori subsistat periculo, debet etiam plus participare de lucro, ut æqualitas in contractu servetur; & ita Cajus debet à Confessario obligari ad rescindendum contractum, & oves ad se revocare, vel alium contractum juxta juris regulas celebrare.

26. Quæritur. An contractus redditionis bestia sub istis terminis celebratus, V. G. Joannes tradit Petro rustico centum oves, quarum qualibet æstimatur duobus aureis, adjecto pacto, ut, si pereant, tale pretium reddat Joanni: veter ex ovibus, quas Petrus habet, tantidem ejusdem ætatis, bonitatis, & ponderis eidem reddat; & interim singulis annis debeat Petrus ipsi pro qualibet solvevere duas libras lana; sit legitimus?

Resp. Negativa patet, si celebratur contractus venditionis ovium æstimatarum. Nam tunc ultra pretium duorum aureorum pro qualibet ovæ,

precise ob dilatam solutionem, vel temporis longitudinem, est solvendum; res enim vendita, & emptori tradita, sicut ei perit, ita ei parit. Unde Dominus. Pater etiam, si dicatur celebrare locatio, aut societas, quia tunc dominium, & periculum fortuitum ovium debet indispensabiliter esse apud Joannem deponentem; cum id sit de natura similium contractuum. Quia, itaque celebratur solum mutuum cum usura palliatum sub colore societatis, contractus est iniquus.

27. Queritur. Quando animalia tradantur juste in societatem alteri?

Resp. Cum observantur disposita in citata Constitutione Sixti. Habet quis viginti oves, alius totidem, vel etiam decem, & communicant ad invicem eas; de periculo, lucro, ac expensis participant aequaliter; si aequaliter ponant in societate; vel pro rata, secundum quod ponunt; societas justa est. Qui possunt etiam licite convenire, quod de fatibus reciperentur capita mortua; vel de vellibus emantur capita ad augendum gregem. Item unus potest ponere oves, & alter curam, industriam, & laborem, juxta dicta supra n. 20. 21. & 22.

Injusta autem est, cum quis dat certa capita ovium aestimata certo pretio, hoc pacto, ut rusticus recipiens, non accipiat aliquam utilitatem, donec tradens receperit prius totam sortem. Hoc pactum est valde iniquum: nam aequalitas non servatur; rusticus enim suam operam gratis exhibet. Sicut iniquum est, pacisci, quod antequam rusticus recipiat aliquid, restaurabit de fatibus omnia mortua. Hoc enim pacto est, quasi velle *Matthaei Causela Confess.*

ovium immortales, in quo nec aequalitas servatur.

Item, injusta est, dum alteri quis tradit in societatem pecora aestimata tanto pretio, ea conditione, ut capitale sibi reddat, & praeterea aliquod emolumentum, sive in pecunia, sive fructibus, lana, lacte, caseo &c. Immo mutui virtualis potius, quam societatis contractus censetur, quia ultra capitale salvum pensionem annuam exigit.

§. IV.

Contractus mutui, commodati, locati, & depositi.

28. Queritur. Negotiator petis à Confessario differentiam inter contractus mutui, commodati, locati, & depositi, ne in eis celebrandis erret, quid Confessarius est responsurus?

Resp. Quod mutuum acceptum pro contractu celebrato inter mutuante[m], & mutuatarium, est contractus gratuitus, quo quis rem suam usu consumptibilem alteri tradit, cum translatione dominii, ea lege, ut eandem in specie, & bonitate, statuo tempore reddere teneatur.

Differt à venditione, quae transfert rei dominium sine onere reddendi similem; à commodato, in quo res eadem, non specie tantum, sed & numero reddi debet; à locato, quo non gratis, sed certa pensione alteri traditur res ad usum eadem numero reddenda; à deposito, quo alterius fidei res traditur ad custodiam.

29. Petitur, quae sint obligationes mutuatarii.

Resp. Vide lib. I. cap. 31. nn. 27. & 28.

(L11)

Hoc

Hoc est certum, ipsum teneri ad restituendam rem mutuo acceptam, quocumque casu pereat; nam res, sicut domino parit, ita perit: mutuarius autem est dominus rei mutuo recepta.

Paciter commodatum sumptum pro contractu, est contractus, quo res aliqua ad certum usum, & tempus sine mercede conceditur, reddenda eadem numero post usum expletum, ad quem fuit concessa. In commodato dominium rei non transfertur in eum, cui ad usum conceditur, ideo differt à mutuo: gratis, & sine mercede conceditur, aliàs foret locatio. Differt à precario (precarium dicitur, quod precibus ad utendum gratis datur alteri) quia res precario data revocari potest, quodcumque danti placuerit, quia sine praefinitione certi usus ad utendum conceditur cap. *Precarium de precariis*: & *Glos. ad cap. cum gratia sui de commodat. in ver. commodatum.*

30. Petitur, qua sint obligationes rem commodantis?

Resp. Sequentes. Prima, ut rem commodatam ad se revocare non possit ante expletum usum, pro quo fuit data: nam statim ac pro certo usu datur, tali usui subicitur, & affixa reputatur: non decipi beneficio nos oportet, sed juvari, ut ibid. *Glos.* deciperetur autem ille, cui conceditur, si ante completum usum revocaretur, sicut noverunt recipere, si res apta non foret pro usu, ad quem conceditur; & tunc revocans teneretur de damno. Limitatur, ut possit ante usum revocare in casu non praefixo in contractu, si nimirum commodans ex defectu rei majus, aut tantum detrimentum incurreret, quantum pateretur com-

modatarius, si res ab eo auferretur ante usum expletum; nam praesumi debet in tali usu eum non voluisse rem commodare.

31. Petitur, qua sint obligationes commodataris, seu illius, qui rem commodato accipit.

Resp. Sequentes. Prima, ut rem commodata utatur dumtaxat ad usum, ad quem eam à Domino accepit; aliàs futurum committit, utpotè utens re, invito domino; hinc si tibi commodem equum, ut ad villam eas, & tu ducis ad bellum, teneris mihi pro tali usu, ad quem equum tibi non concessi. *Glos. ad c. cum gratia sui de commodato.*

Secunda, cum commodatum concedatur gratia solius accipientis, tenetur de culpa non modo lata, & levi, sed etiam levissima; iamò etiam de casu fortuito, qui scilicet non potuit praevideri, si culpa tua contingat, vel sit in mora restitutionis post expletum usum, aut pacto ad id se obligat, cap. *cum gratia sui cit.* Propterea circa rem commodatam conservandam, debet eam curam, & diligentiam adhibere, quae homines diligentissimi solent in rerum custodia; juxta dicta supra cap. 22. num. 72. unde, si ejus negligentia pereat, debet eam in aequivalenti pretio restituere.

Item locatum pro contractu acceptum, est contractus, quo res, vel persona ad usum, vel fructum, salvo semper ejus substantia pro pensione certa conceditur ad tale tempus. Qui rem locat, locator; & ex parte ejus contractus locatio nominatur; qui verò rem accipit, conductor: ex parte cujus contractus conductio dicitur.

32. Petitur, qua sint obligationes locatoris?

Resp. Sequentes. I. Ut apud ipsum remaneat periculum fortuitum rei locatae, sicut enim est ipsius rei dominus, ita debet ei perire.

II. Tenetur detegere rei locatae vitia, etiam occulta, quae conductori damno esse possunt: hinc teneris damnum reparare, si mihi commodas dolium vitiosum, propter quod necessarium vinum inficitur. Propterea locator debet eam diligentiam adhibere ad vitandum nocentium, conductori ex re locata proventurum, quam vir prudens adhibere solet.

III. Tenetur ad expensas necessario faciendas circa rem locatam, ut ad calcandum equum, dum inservit conductori, iter facienti: ad reparandam domum locatam, tectum, fenestras &c. non vero ad expensas voluptuarias, & superfluas.

IV. Ad onera publica, & tributa imposita pro re locata, nisi aliud ex pacto, vel locorum consuetudine sit determinatum.

V. Non potest expellere conductorem a Domo, nisi in casibus, de quibus in l. ade. Cod. de locato, ut, si conductor pensionem non solvat: si ex casu aliquo, non praevisto tempore locationis, res locata esset valde necessaria ipsi locatori: si res locata indigeat reparatione, quae fieri nequit, si maneat apud conductorem; & tandem, si conductor abutatur re locata, eam damnificando, vel abutendo contra malos mores, retinendo in ea meretrices, & usurarios publicos &c. nam praesumendum est, quod lo-

cator non habuerit voluntatem eam locandi in illis casibus.

33. Petitur; Qua sint conductoris onera erga locatorem?

Resp. Sequentia. I. Ut re conducta utatur solum ad usum concessum; nam tenetur stare conventioni, alias contra voluntatem locatoris rationabiliter praesumptam, tenetur, quasi actione furti, re aliena invito domino utens; Hinc, qui equum conduxit ad eundem Florentiam, & exiit ad pergendum Viennam, tenetur dare pretium pro isto usu; & casu quo in isto itinere periret, alio itinere non periturus, debet pretium equi restituere.

II. Si res conducta ejus negligentia perit, tenetur reddere aequivalens; Est commune, conductorem teneri de lata, & levi culpa dumtaxat, non de levissima, quia res conducta non solum gratia conductoris conceditur, sed etiam in utilitatem locatoris recipientis ex locatione mercedem.

III. Ut solvat locatori mercedem, seu pretium usus rei juxta conventionem.

34. Dubitatus, An pensio V. G. agris locati sit minuenda propter sterilitatem ipsius agris.

Resp. Affirmative, modo sterilitas contingat casu fortuito, ut alluvione fluminis, incendio, hostium incurfu, &c. ita ut nullus, aut modicus fructus colligatur, pro rata enim est remittenda, vel in totum, vel in partem, nisi sterilitas compensari possit ubertate praecedentis, vel sequentis anni, cap. Propter de locat. & conduct. Dicitur casu fortuito, hoc est, qui praevideri non potuit; quia, si impedimentum percipiendi fructus pro-

(LII) 2 veni-

veniret ex ipso conductore, ad integram pensionem teneretur; nam æquitas non patitur, ut locator subeat damnum, quod culpa conductoris sequitur. Item, si casus sterilitatis ab initio sciri, & prævideri facile potuerunt, ut, si regio illa procellis, & grandinibus obnoxia sit; vel pateat hostium incurtibus; aut ager locatus sit vicinus flumini sæpius inundanti, aut fundus natura sua infecundus, non est locus remissioni, quia hos omnes casus conductor prævidisse censetur, adeoque in se suscepisse reputatur omne periculum, omnesque casus fortuitos, ac renunciasse juri, quod in ejusmodi casibus remissionem pensionis concedit, & ideo ad integram pensionem tenetur.

Dices, dum fructus fundi insolito modo crescunt, non augetur locatori pensio à principio; ergo, ut æqua sit locatoris, & conductoris conditio, non est minuenda pensio propter sterilitatem contingentem, sine culpa conductoris.

Confr. Emphyteuta, qui tempestatem passus fuit, integram Canonem persolvit, nec ullam remissionem consequitur, ergo conductor ob sterilitatem, cæli intemperie contingentem, à solutione integre pensionis liberari nequit.

Resp. Negando consequentiam, discrimen est, quia insolita illa sterilitas damnum infallibile affert conductori, si teneatur eo casu pensionem præstare; ingens verò, & insolitum lucrum ex fortuita libertate proveniens nulli omnino nocet; immò locator semper, & facilius pensionem promissam recipit, & ideo jus in tanta calamitate conductori subvenit.

Ad confirmationem, paritas non concludit. Emphyteutis enim à conductio-
ne valde differt: conductori pensio constituitur in compensationem fructuum, quos percipere ipse potest ex fundo; emphyteute autem non in compensationem fructuum dantur, sed in recognitionem directi domini, ut infra patebit, ex Gonzalez in 3. tit. 18. cap. 3. num. 8. de locat. & conduct.

35. Dubitatur. Nobilis quidam certa pensione condaxit pro anno Petrum ad suum servitium, post sextum mensum absque ulla culpa ipsius Petri eum dimisit; petitur, an Confessarius debeat nobilem obligare ad integram mercedem totius temporis Petro solvendam?

Resp. Affirmativè; neque conductor, neque locator, altero invito, potest absque justa causa antè tempus à contractu recedere; nam ex eo, sicut ex quovis alio legitimo contractu nascitur obligatio ex justitia in utroque foro, conscientie scilicet, & civili: hinc si nobilis à contractu pro suo arbitrio recedit, solvat pensionem conventam à principio, vel curet servitium alteri elocare: dum sibi difficile est alium herum invenire.

Depositum tandem pro contractu, sed pro formali ita sumptum (quia pro materiali venit res, quæ deponitur) est contractus, per quem res aliqua alterius fidei custodienda committitur, & alter eam ad custodiam recipit. Aliud est depositum purum, aliud non purum. Purum est, cum res traditur in meam custodiam in deponentis gratiam, & favorem: Non purum verò, cum datur aliquid depositio pro custodia,

36. Petitur, *qua sit obligatio deponentis?*

Resp. Hæc est, ut si res deposita casu fortuito pereat, ipsi debeat, tamquam ipsius domino.

37. Petitur, *qua sint depositarii onera.*

Resp. Sequentia. Primum, ut teneatur ad restitutionem, si ex gravi ejus culpa res deposita pereat; immodò, si ex levi, dum, aut indemnem promissit, aut de pretio pro illius custodia convenit; aut, cum à deponente repetita, sed non reddita, fortuito pereat, vel deterioris conditionis facta sit.

Secundum, ut, si res deposita sit petentia in sacculo obsignato, ea non utatur, aliàs peccaret in usu rei, invito domino; secus, si apertè numerata fuerit ipsi commissa, modò inde nullum periculum deponenti imminet; nam tunc presumitur tacitè eam facultatem concedere; modò ea utens ad solvendum non fiat impotens.

Tertium, ut, si depositum consistat in aliis rebus utensilibus, ut vestibus, equo &c. eis uti nequit, Domino invito; & dum utitur ad propriam utilitatem (cum talis usus sit pretio aestimabilis) tenetur pro eo solvere domino. Dicitur *ad propriam utilitatem*, quia possit sine peccato, si usus cederet in utilitatem deponentis; ut, quia aliàs equus V.G. in stabulo perpetuò acclusus manens piger efficitur, & ineptus ad cursum, in hoc enim domini negotium utiliter ageret.

§. V.

Contractus pignoris.

38. **Q**uæritur, *Quid sit contractus pignoris.*

Resp. Quamvis pignus sumptum materialiter sit res illa, quæ alteri conceditur in securitatem debiti, tamen acceptum formaliter, est contractus, quo res aliqua traditur alteri in debiti securitatem.

39. Petitur, *Qua sint obligationes debitoris oppignorantis rem?*

Resp. Sequentes. Prima, tenetur tradere creditori pignus promissum, loco, & tempore, statutis; nec potest illud repetere, nisi debitum solverit, aut alio modo satisfecerit creditori. Secunda, tenetur ad omnes expensas, quas creditor in servando pignus fecit.

40. Petitur, *qua sint onera creditoris accipientis pignus?*

Resp. sequentia. Primum, ut in faciendis expensis in servando pignore ita moderatas sit, ut non cogat debitorem, qui eas omnes solvere nequit, aut pignus dimittere, aut aliis vendere. Secundum, obligatur ad fidelem pignoris custodiam; & tenetur de dolo, ac lata, & levi culpa, ita ut servet rem illam, in eamque sumptus necessarios faciat. Tertium, tenetur rem ita servare, ut ea non utatur; aliàs furtum committit; debetque refarcire damna pignoris, quo usus est; nisi talis usus cedat in commodum debitoris ne scilicet pignus deterius fiat.

Quartum, tenetur solutionem debiti, quodcumque sibi oblatam, recipere.

(LII) 3

& pi-

& pignus illico reddere; quia, sublata principali obligatione, & accessoria cessare debet; & obligatur pignus reddere cum suis fructibus; nam fructus non sunt creditoris, sed debitoris: sequuntur enim dominum, debitor autem est dominus pignoris; quod traditur creditori, non ut lucrum ex eo faciat, sed, ut in tuto creditum habeat. Hinc sequitur, quod si ereditor ex re pignoratam fructus retineat, usuram committit, cum retineat aliquid supra sortem; ideo debent fructus computari in sortem principalem, sive extent, sive sint consumpti; immo, etsi ob culpam latam, vel leuem creditoris non sint percepti, cum aliis percipi poterint.

Excipitur casus, in quo pro dote promissa dantur marito à Patre uxoris possessiones in pignus, usque dum dos fuerit ei persoluta; tunc vir non tenetur fructus pignoris in sortem computare, cum eedant lucro ipsius propter onera matrimonii ab ipso sustinenda, cap. *salubriter de usur.* Vide dicta lib. I. cap. 31. num. 11. ubi improbat contractus Antychristeos dictus, lege Gonzalez in 3. tit. 21. cap. 6. & 7.

Quia itaque debitor est dominus pignoris, ipsi perit, si casu fortuito perire contingat; si verò ex culpa lata, vel levi creditoris deficiat, ipse tenetur restituere.

41. At debitor, in quo contractus pignoris distinguatur ab illo Hypotheca.

Resp. In hoc, quod res, quae oppignoratur in securitatem debiti, traditur creditori, illa verò quae hypothecatur pro debiti securitate, est utique pro debito obligata, sed nulli traditur, manetque

apud ipsum, apud quem fuit, antequam hypothecaretur. Hinc DD. notant apud Gonzalez cit. §. 6. nu. 8. contractum pignoris per se traditione rei datae in cautionem debiti; illum verò hypothecae consensu, quo res, quae creditori non traditur, ei obligatur, tamquam rei debite vinculum.

42. Quæritur, an res Deo dicata possit pignori dari?

Resp. Negativè, nisi ex gravi necessitate, juxta text. in cap. *Ut nullus de pignorib.* ubi: *Ut nullus Clericus presumat calicem, vel patenam, aut pallam Altaris, vel vestimentum Sacerdotale, aut librum tabernario, vel negotiatori, aut cuilibet Laico, vel famina in vadimonium dare, nisi iustissima necessitate urgente;* Nam res Deo dicata censentur portio, & patrimonium Dei per consecrationem oblata, & inde sequitur, ut tales res in nullius dominio sint, nec in commercio hominum remaneant. Propterea est certum inter alias alienationis species erga res Ecclesie prohibitas, contineri & pignoris dationem; quoniam, licet in traditione pignoris non mutetur dominium, tamen jus in re tribuitur, propter quod distractioni locus paratur; & ideo est necessarium beneplacitum Apostolicum: Casus, in quibus possunt vasa sacra pignori dari, refert Gonzalez cit. cap. 1. num. 10. & Glof. ad alleg. cap. in verb. necessitate.

§. VI.

Contractus Emphyteusis.

43. **Q**uæritur, quid sit contractus Emphyteusis nominatus?

Resp. Est contractus, quo res immobilis in perpetuum, sive in longum tempus conceditur alteri quoad dominium utile, sub certa pensione prestanda Domino directo. Contractus Emphyteuticus neque est venditio, nec locatio, sed participat de utroque. Accedit ad venditionem, quia in principio, quando celebratur, Emphyteuta dat domino directo certam pecuniæ quantitatem, (quæ ab aliquibus laudemium dicitur) sicut in venditione datur pretium; sed ab ea differt, quia per hunc contractum non transfertur dominium directum, sicut fit per venditionem. Accedit ad naturam locationis, quia in Emphyteuti retinetur dominium rei à concedente, & quolibet anno aliquid percipit, sicut in locatione. Sed à locatione differt, quia Emphyteusis locum habet solum in rebus immobilibus, & solum taxat, locatio autem in omnibus. Præcipua autem differentia est, quod in contractu Emphyteutico solvitur parva pensio domino directo pro ejus recognitione; in eo vero locationis solvitur magna pensio, hoc est; quæ fructibus correspondeat, vel quasi; ideoque ex modica pensione Emphyteusis, ex magna vero locatio iudicatur per DD. apud Fagnan in 3. ad cap. potius de locat. & conduct. sub num. 13. & sequen.

44. **P**ecitur; an res Ecclesia possint in Emphyteusim dari sine solemnitate juris, vel beneplacito Apostolico?

Resp. Affirmative, ex cap. Ambitiosè, sed quatuor debent concurrere. Primum, ut non fiat ultra triennium: & triennium computatur ex tribus fructuum collectionibus. Secundum, ut sit in casibus à jure permissis. Tertium, ut sit de bonis ab antiquo in Emphyteusim dari solitis. Quartum, ut subit evidens Ecclesiæ utilitas de tempore contractus, ex cap. Ex parte tua de feudis, & cap. Nulli de reb. Eccles. non alienan. tradit Fagnan. in 3. ad cap. nulli cit. n. 16. Gonzalez ubi supra tit. 13. cap. 7. sub n. 4. Vide, quæ dixi offic. cur. Eccles. sub. c. 45.

Notandum, quod si res sine culpa Emphyteuta pereat, aut transeat ad hostes, liberatur à pensione. modo nulla pars rei maneat apud ipsum, quoniam, si maneret aliqua, tota pensio ex vigore legum solvenda foret.

Item, quod dum pensio, sine impedimento excusante, non solvitur ab emphyteuta, res Emphyteutica transeat ad dominum cum omni melioratione.

Item, quod emphyteuta jus suum non vendat, nec melioramenta, nisi admonito domino, cui dantur duo menses ad deliberandum, an ipse velit jus, & melioramenta emere tanto pretio.

De contractu livellario nil est addendum, quia videtur coincidere cum emphyteuti.

§. VII.

§. VII.

Contractus feudalis.

45. **Q**uæritur, quid sit contractus feudalis?

Resp. Est contractus, quo dominium utile rei immobilis datur alicui pro fidelitate, & servitio personali, retento Dominio proprietatis ab eo, qui rem dat. Differt Feudum ab Emphyteusi. c.

Primo, quia in Emphyteusi in introitu Emphyteuta domino principali solvit quandam pecuniæ summam, non sic Vassallus, dum feudum recipit; nam dominus directus exigit solum obsequium, & fidelitatem personalem, quod si pensio referretur, contractus erit mixtus ex Emphyteusi, & feudo.

Secundo, quia Emphyteuta debet solvere pensionem tempore præfixo, etiam non requisitus. Feudatarius autem non debet solvere obsequium personale, nisi id petatur à principali; & tunc, si illud non exhibeat, amittit feudum: sicut cum graviter offendit dominum, aut ipsi est ingratus notabiliter.

Tertio, si successor Feudatarii non petit investituram, feudum etiam amittit.

§. VIII.

Contractus fidejussionis.

46. **Q**uæritur, Quid sit fidejussio?

Resp. Est contractus, quo quis sine pigno. c. & hypotheca se obligat accessorie, & casu, quo debitor principalis non

solvat, ad solvendam summam ab ipso debitam.

47. **P**etitur, Quæ sint onera fidejussoris?

Resp. Sequentia; I. tenetur ad solvendam summam creditori, dum debitor principalis non solvit, & ad compensandum ipsius damnum ex dilata ultra præfixum tempus solutione, ad quam debitor erat obstrictus.

Secundo, post datam fidejussionem, non potest disponere de bonis propriis æquivalentibus debito, à debitore principali non dum soluto, nisi aliis æquivalentes facultates habeat.

48. **D**ubitatur. Petrus fidejuber pro debito, quod Franciscus debet Paulo, sed propter fidejussionem exigit à Francisco, vel, quod ad suam officinam emat sericum, vel, quolibet anno, quo fidejussio durat, solvat duos aureos; petitur, an licitè id possit exigere?

Resp. Negativè, est utique contractus fidejussionis licitus; at ubi apponitur conditio, ut debitor solvat aliquid pretio æstimabile fidejussori, illicitus evadit: Nam fidejussio est quædam mutui species: cum enim ipse fidejussor mutuum amico dare non possit, alium per suam fidejussionem rogare videtur ut det loco sui; in mutuo autem aliquid supra sortem recipiendum non est.

49. **P**etitur, Quæ sint onera debitoris, pro quo fidejubetur?

Resp. Sequentia. Primo, tenetur indemnem reddere fidejussorem de sua fidejussione; qui solvens pro reo principali actionem habet contra ipsum ad repetendum omne id, quod pro ipso solvit, cap. Pervenit de fidejussoribus.

Secun-

Secundò, debet fidejussorem ab obligatione liberare, cum ab ipso fidejussore cogitur, ut eum liberet; nam in fidejussoria obligatione non videtur actum, ut fidejussor perpetuo obligatus sit, sed post justum tempus eximitur, ne praestitum beneficium illi damnosum sit; æquum enim non est, eum, qui amico pietatis officium exhibuit, retineri in perpetua obligatione, dum debitor potest amicum liberare solvendo pecuniam debitam.

Casus, in quibus potest fidejussor, antequam solvat, agere contra debitorem pro sua libertate traduntur, *cap. Eum, pro quo*, hoc tit. & sunt: I. Si debitor sit arbitrio Judicis in mora solvendi. II. Si debitor principalis dilapidet bona sua, vel incipiat vergere ad inopiam. III. Si fidejussor condemnatus sit, nam non convenit, ut pro beneficio debeat pati detractionem in carcerem, vel cedere bonis. Addi potest. Si fidem suam ad tempus interposuit; nam, eo elapso, obstringi nequit; cum fidejussor non extendatur ultra verba, & conventionem.

§. IX.

Contractus donationis.

50. **Q**uæritur, *Quid sit donatio.*

Resp. *Est rei alicui non debita spontanea, & liberalis concessio translatione domini.* Quæ, dum à donatario acceptatur, pagit obligationem, etiam sub mortali, si res donata sit alicujus momenti

Donatio alia dicitur *inter vivos*, ut, *Matthæi. Cautela Confess.*

cum quis ex mera liberalitate sic donat, ut, etiam se vivo, velit rem donatam esse alterius: Hæc etiam, post donatarii acceptationem revocari potest ob ingratitudinem ipsius donatarii: *ut, si forte in donantem manus impias injecerit; aut ei atroces injurias; seu grave rerum suarum damnum, vel vitæ periculum inferro presumpserit, cap. propter de donation.* Sed de ingratitudine debet legitime constare, & coram Judice est probanda, ut in conscientia donatarius teneatur restituere. *Abellii Medulla p. 2.7. precept. decal. sect. 7. §. 7. nu. 5.* Revocatur etiam, si postea liberi donanti nascantur, *l. si unquam, C. de revocand. donat.* Quæ lex fundatur in presumpta voluntate donantis, qui existimatur donaturus, quia putabat se filios non suscepturum.

Et alia, quæ fit *causa mortis*, ut, cum quis donat, ita ut rem non velit esse alterius absolute, & irrevocabiliter, nisi post suam mortem, qualiter in testamentis, & codicillis fieri solet; hæc non reputatur ultima voluntas donantis, idè potest ad ipsius arbitrium revocari, cujus morte solum confirmatur.

51. Quæritur, *Quid sit necessarium ad donationis valorem?*

Resp. Primò, ut, qui donat, dominium, & administrationem habeat rei, quam donat. Secundò, ut res, quæ donatur, alteri non sit obligata. Tertio, ut donans sit rationis compos. Quarto, ut is, cui donatur, sit donationis capax.

52. Petitur; *An subsistat bonorum donatio facta inter conjuges post matrimonium unitos?*

Resp. Negative, loquendo de donatione (M in m) tione

tione inter vivos, in qua alter locupletior, & alter pauperior efficitur, ut expressè tex. in cap. *Donatio de donationibus inter vir. & uxor.* ibi: *firmitatem non habet, nisi donatoris obitu confirmetur; quæ tamen penitus evanescit, si revocetur ab eorum, vel expressè, vel qui donatum accepit, prius debitum natura persolvat;* Ratio prohibitionis est, quia aliàs conjugati, mutuo, ac cæco amore se amantes se invicem expoliarent bonis, & ubi elanguisset amor, ad extremam paupertatem redigerentur. Caterùm donatio inter virum, & uxorem causa mortis facta subsistit, quia in hac non militat adducta ratio; & ejus effectus confertur (dominium nimirum, & rei possessio) in id tempus, in quo conjuges esse desinant. Neque in prohibitione comprehenditur donatio remuneratoria, cum hæc sit merces accepti beneficii, & non liberalis concessio.

Dixi, post matrimonium unitos quia donatio ante illud, aut nuptias facta subsistit per tradita à Gonzalez in 4. tit. 20. cap. 8. de donat.

§. X.

Contractus dotalis.

§3. **Q**uæritur, quid sit contractus dotalis?

Resp. Est contractus, quo certa bona à muliere, vel ejus nomine ab aliis dantur marito, ut onera matrimonii ferre valeat. Proprietas dotis est apud uxorem, usus autem, quamdiù matrimonium stat, apud virum; propterea, marito

invito, nequit uxor de fructibus dotalibus disponere.

54. Petitur; *An Parentes in conscientia teneantur à tempore suis filiabus dare?*

Resp. Affirmativè; nam parentes ex virtute pietatis tenentur liberis de victu providere. Dos autem vice alimentorum constituitur; ad quæ præbenda tenetur mater, si Pater sit impotens; immò & frater compellendus est ad sororem dotandam in defectum Patris, & Matris; quod non modò exigitur ab ordine charitatis, verùm & rectè colligitur ex *l. Qui filium, ff. ubi pupilli educari.* Itaque frater tenetur præstare alimenta sorori his indigenti, ergo, & eam dotare; nam dos in locum alimentorum succedit; & præsertim procedit de sorore ex eodem Patre nata; & extenditur ad sororem uterinam, quando frater sit hæres Matris vel Patris ipsius sororis, quia tunc representat personam defuncti, & ejus onera sustinet.

§. XI.

Contractus promissionis.

§5. **Q**uæritur, quid sit promissio?

Resp. Est contractus, quo quis ex mera sua liberalitate, & cum animo se obligandi, aliquid alteri pollicetur. Differt à pacto, quia pactum utriusque paciscentis consensum requirit; & à contractibus onerosis, cum sit omnino gratuita.

56. Petitur, *an promissio obliget promittentem sub gravi peccati pena?*

Resp. Affirmativè, si quatuor hæc concurrant. Primum, si res promissa sit

fit magni momenti. Secundum, si fuerit acceptata ab eo, cui facta est. Tertium si promissio serio, & deliberatè facta sit, ex animo nimirum velle promittendi, seque alteri obligandi; sapè enim promissio confunditur cum proposito, ut idem sit promittere, ac habere voluntatem faciendi aliquid, ad quod tamen quis non se obligat. Quartum, ut promissio non sit contra bonos mores, aut contra leges. Quibus concurrentibus, promittens tenetur stare promissis, adeo ut graviter peccet, si ea non observet. Dum enim ipsa non implet, non potest habere charitatem cum promissario; nam charitas vult ei bonum tranquillitatis societatis humane, ipse autem promissionem non implens, tale bonum ei non vult: per transgressionem enim fidei graviter læditur tranquillitas humane societatis, ut tradit Fagnan in 1. ad cap. Antigonus de pactis num. 8. Ubi ex cit. cap. probat, non seruantem pactum peccare mortaliter: quia juxta text. ibid. recedens à pacto potest excommunicari; excommunicatio autem non infligitur nisi pro mortali: cap. Nemo Episcoporum 11. qu. 1. Immo quia is, cui facta est promissio, & ab ipso acceptata, jus habet ad rem promissam. Pacti violatio opponitur justitiæ; & hinc promittens tenetur ex justitiâ servare promissum.

57. Et dubitatur: Petrus promittens centum aureos se daturum Judici, si iniquam sententiam contra Paulum ferat, & scario, si Casus occidat; petir à Confessario, an obligetur stare promissis; & quatenus affirmativè; an Judex, & scarius possint eos aureos sibi retinere, vel tenean-

tur restituere? & cui? quid est Confessarius dicitur?

Resp. I. Quod tam ipse, quam Judex, & Scarius peccarunt mortaliter, pacificando de re turpi.

II. Quod ipse tenetur in conscientia ante delicta patrata promissionem revocare, quia in malis promissis fides rescindenda est, cap. In malis 22. q. 4. ubi: In malis promissis rescinde fidem, quia impia est promissio, qua scelere adimpletur.

III. Quod promissio illa, utpotè facta ob opus illicitum non obligat. Jus canonicum est manifestum, cap. Pactio-nes de pactis, ibi; nam, etiam juxta legitimas sanctiones pactum turpe, vel rei turpis, aut impossibile de jure, vel de facto, nullam obligationem inducit; cap. Cum contingat, cap. Quintavallis de jurejurando. Jus item civile est clarum l. ex instrumento, C. de inutilibus stipul. ibi: Cum omnia, qua contra bonos mores in pacto, vel stipulatione deducuntur, nullius sint momenti: & l. si plagiis, ff. de verb obligat: ibi: Si plagiis faciendi, vel facti causa corrupta sit stipulatio, ab initio non valet. Plures alios text. refert Gonzalez in 1. tit. 35. de pactis cap. 8. nu. 11. Ergo, cum stipulatio, & pactio de re turpi, hoc est, de re contra justitiam, aut proximo nociva, vel læsiva pietatis, secundum leges nullius sint momenti, ab initio non valeant, nec sint obligatorie; Petrus non obstringitur stare promissis, nec Judex, & scarius possunt mercedem ob ea flagitia promissam retinere, dum accipiunt. Adde ex 58. reg. jur. in 6. non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum;

um; ergo, nec promissio à Petro illis facta, cum eam esse contra bonos mores non sit dubium.

Dices, hæc omnia verificari ante opus impletum, non verò postquam Judex sententiam injustam pronunciauit, & sicarius Cajum interfecit; nam, sicut illi impleverunt, quod promiserant in contractu oneroso, ita justum est, ut Petrus quoque contractum impleat solvendo pretium promissum; quòd non solvitur propter actiones prout sunt, proximo injuriose, & Dei offensa, quia sub ista ratione sunt prorsus invendibiles, & nullius valoris (sicut enim venales non sunt virtutes, ita, nec venalia sunt vitia) sed prout annexum habent laborem & pericula suscepta ab Judice & Sicario in gratiam Petri promittentis, & propter utilitatem, & commodum in istum redundans; sub qua ratione injusta sententia, & occisio sunt quòd pretio aestimabile, sicut aliæ actiones humanæ.

Resp. En unicuique contrariæ opinionis fundamentum, cui responsio ex adductis juribus patet; nam pactum turpe juxta canonica jura nullam obligationem inducit; ergo, si post factum aliquam habet, falsum est, quòd nulla sit ejus obligatio. Item, si ante factum nullius est momenti, etiam post factum nullam vim habet; nam novum pactum post factum non intervenit, & prior conventio, aut promissio nulla à jure declaratur. Tum quia ante factum nulla fuit obligatio, ergo post factum aliqua esse non potest; quòd enim semel est irritum, non potest postea reddi ratum; patet de legitima obligatione, qua semel extincta non reviviscit; ergo à fortiori obligatio, quæ

nulla semper fuit, & pro infecta habetur, & post factum non reviviscet juxta regulam 18. *juris in 6. Non firmatur tractu temporis, quòd de jure ab initio non subsistit.*

Tum quia, ubi lex resistit obligationi, obligatio non oritur: est regula juris notissima apud Gonzalez in 4. tit. 2. cap. 8. nu. 10. *de donat. inter, Sc. l. si non forem. ff. de condiç. Sed in casu lex obligationi resistit ex dictis; & per distinctionem de ante, vel post factum lex eliditur; nam lex absolute loquitur, & cum negativis universalibus respicientibus ante, & post, ergo non est opus distinctione.*

Accedit, legibus divinis, & humanis multo plus punitur crimen commissum, quàm committendum: ergo, si ob turpitudinem criminis faciendi nulla nascitur ex promissione obligatio, multo minus erit ex pravitate commissi origo.

Addo, si promittentis utilitas, & labor, ac periculum exequentis meretur præmium, aut justam mercedem, cui promissio in sua origine de pretio solvendo, saltem sub illis conceptibus non declaratur valere? Tum quia talis labor ordinatur ad injuriam, & grave nocumentum contra justitiam innocenti inferendum, ergo non potest, nec debet compenari; nam justitia cum sit læsa, resistit.

Tum quia, si obligatio post factum maneret, esset vehementis incitamentum, ad hoc, ut factum fieret, & ut Judex, & sicarius putarent se obligatos ad ea crimina. Nullus autem ad peccandum obligari potest, nec habere actionem ad peten-

petendum ex iustitia pretium promissum; Siquidem contra iustitiam proximo nocent: ergo iustitia eis non assistit, quia ipsam laedunt.

Et hinc patet, distinctiones à contractibus adductas esse subtilitates, quæ aliud non operantur, quam peccandi licentiam præbere, & ad omnia scelera aditum aperire: consequenter sententia ab iisdem asserta, quamvis esset speculativè probabilis, ad praxim non est deducenda, utpotè unicè idonea ad peccata solvenda. Sed illa, quam sequimur cum Roncio *Theol. disp. 54. q. 2. concl. 4. sub n. 9.* Du-hamel *Theol. moral. cap. 7. num. 6. 10. 2. de iustitia, & iure*, est tenenda, tamquam christianis moribus magis apta, & idonea ad retrahendos homines à prænunciatis operibus. A quibus utique abstinerent, dum scirent, promittentem non obligari ad dandum pretium, & se sub ea conditione receptum non posse retinere.

Propterea Confessarius tenetur obligare Judicem, & Sicarium ad pretium restituendum, etiam si post factum receperint, quia, cum acceperint contra leges prohibentes, & irritantes contractum, dominium in eos non transfertur; nam per conventionem, iure nullam, & irritam, non transfertur dominium, nec contra prohibitionem legis acquiritur, ex *cap. Non sane 12. q. 4.* Hinc usurarius usuras, & simoniacus pretium simoniacum restituere tenentur, quia naturali, & positivo iure usura, & simonia prohibetur, & contra legem prohibentem accipiunt.

88. Sed dubitatur; Cui sit tale pre-

rium ab Iudice, vel Sicario restituendum?

Resp. In casu, non danti, quia in penam suæ iniquæ promissionis meretur ea privari, sed pauperibus, vel locis piis, aut iis, qui fuerunt læsi.

Dices, promittens dare aliquid meretrici pro copula illicita, tenetur ad illud dandum, & meretrix recipiens non tenetur tale quid restituere, ergo à pari; nam, etiam meretrici pretium datur ob turpam causam.

Resp. Est falsum, promittens tenetur ratione promissionis dare meretrici pretium illicitæ copulæ, quia, cum stipulatio cum meretrice facta, sit turpis, æterno supplicio punienda, & bonis operibus contraria, nullius momenti est ex supra allegatis; ergo, quod ipsi datur, non traditur ratione pacti; nam hoc etiam esset occasio meretrici ad credendum, quod promittens obligaretur ad ipsi dandum, quod promitteret, & ita magis alliceretur ad actum illicitum; nec traditur, ut merces commissi criminis, sed, ut merces utilitatis, quam ex meretricibus percipit Respublica; à qua potius dari, quam à committente flagitium debet censeri, dum ipsa in ipsarum permissione studet eo prævio majora flagitia vitare; consentit allegatus Du-hamel tradens, meretrici pretium deberi, non ex stipulatione, sed, quia lex, ut majora crimina vitentur, imponit viris ad eam accedentibus penam, ut promissam solvant mercedem. Confule D. Thom. 2. 2. q. 32. art. 7. ad 2. ubi: *Quod mulier meretricium exerceat, turpiter agit, & contra legem Dei; sed in eo, quod accipit, non iniusta agit, nec con-*

(Mm m) 3

174

tra legem; unde, quod, sic illicitum acquisitum est, retineri potest, & de eo elemosyna fieri; quod repetit q. 62. art. 5. ad 2. quod intelligitur, dum recipit à potentibus alienare.

§. XII.

Contractus ludi.

59. **Q**ueritur, Quid sit contractus ludi?

Resp. Est contractus plurium, quo unus se obligat ad dandum aliquid alteri, dum fuerit victor in exercitio proposito. Forma, sub qua fit talis contractus, non est iniusta, nec ratione inæqualitatis; nam inter contrahentes servatur æqualitas, ut patet ex verbis, quibus concipitur; *rem meam expono ludo, ut tu vicissim exponas tuam*: nec ratione periculi, quia cuique licet rem suam aliquando periculo exponere; ut est evidens in contractu assicuracionis mercium maritimarum. Desiderium lucrandi alienum, si vehemens sit, arguit quidem summam in ludente avaritiam, sed irritum non reddit pactum, quod inter se ludentes inierunt, cum talis voluntas sit omninò accidentalis, sicut in cæteris contractibus. Nec ratione finis, quia finis ludi per se est animos recreare. Ex quibus sequitur, ludum ex natura sua & per se esse licitum; dum, verò aliquis prohibetur, hoc evenit propter imperfectiones, pericula, incommoda, & scandalum; quæ illum solent comitari, & ideo per accidens illicitus esse potest.

60. **P**eritur; an aleis ludere sit peccatum mortale?

Resp. Negativè, modo ludus assumatur causa modestæ recreationis, aut etiam parvi lucri sine scandalo, & quin quis se exponat periculo proximo gravium peccatorum. *Consentii Card. de Luca discurs. 19. num. 3. in annotat. ad Conc. Trid. & Quilici confes. mand. q. 7. art. 2. num. 7. afferentes, quòd in eodem genere alearum, & taxillorum, aliæque species reputantur scandalosæ, & aliæ non. Posterioris generis cenferi possunt illæ, vulgò dictæ all'ombra, a Tarocchi, à Trionfini, al Matto, à Sbaragini, & similes: Prioris sunt, ex quibus plura sequuntur mala. Deducitur ex cap. Episcopus dist. 35. ubi tam Clericis, quam Laicis frequens alearum ludus sub gravi pœna depositionis, & privationis communionis respectivè prohibetur; sed non est verisimile, ut observat Poncius, quòd tanta gravis pœna infligatur ob actionem, aliàs ex se indifferentem, qualis est ludus honestè habitus ad animum recreandum absque periculo gravium peccatorum, quæ solent in lusu comitari. Verùm standum est consuetudini locorum, & arbitrio Superiorum, ac legibus municipalibus.*

61. **P**eritur: Petrus domi sua recipit lusores, commoditatemque ludentibus, taxillos, & aleas prabet. Quæritur, an mortaliter peccet?

Resp. Negativè, quando cognoscatur, quòd honestè ludunt, vel recreationis, aut parvi lucri causa, & propterea absque mortali periculo proximo committendi gravia peccata, bene verò, si talis generis sint, ut ludo sint dediti, fraudibus utantur, blasphement, perjurent, sua dilapident, impotentem se

se reddant ad regendam familiam, ad solvenda debita, &c. & sint populo scandalo; nam, tunc ipse est particeps talium criminum, cum ipsis commoditatem præbeat. Immediatè dicitur ad restitutionem, dum lusor restituere debet, & est impotens. Quod, si Principes domum ludi (vugo al Calino) permittant, id faciunt ad majora mala vitanda in republica, quorum interest. Quilici Confess. manud. q. 7. art. 4. nu. 28.

62. Petitur: *Cajus in alearum, vel taxillorum ludo lucratus est centum Francisco, à quo illa fuerunt Cajus soluta: quaritur, an Cajus recipiens sua faciat illa centum, vel teneatur ad restitutionem?*

Resp. Solutio pendet à difficultate, an per ludum alearum dominium rei, ludo expositæ, transeat in victorem. Ad quod notandum plura exigunt, ut dominium transferatur. Primò, ut, qui transfert rem, non modò sit verus dominus, sed etiam, ut jus habeat alienandi; quod pupillo non conceditur. Secundo, ut is, in quem transfertur, facere possit rem suam: hinc Religiosus sibi acquirere non potest. Tertiò, ut sit justus titulus, ut, donationis, testamenti, venditionis, &c. Quarto, ut lex non resistat, nec irritet contractum.

Res est sub lite apud cit. Du-hamel differt. 2. cap. 4. Nonnulli tamen tradunt, in locis, in quibus leges positivæ prohibent lucrum per alearum ludam, per eum non transferri dominium in victorem; positivæ enim leges possunt contractus, siquidem jure naturali validos, reddere n. r. os, cum id ad bonum commune Reipublicæ conducit. Hinc

D. Thomas 2. 2. q. 33. art. 7. ad 2. dixit, quod, ubi leges civiles prohibent alearum ludum, qui sunt hujusmodi legibus obstricti, tenentur universaliter ad restitutionem, dum lucrantur, nisi fortè contraria consuetudo prævaleat.

63. Petitur. *Cajus ludens prohibito ludo, oppignorata fide perdidit decem aureos; inde consulit Confessarium, an in foro conscientia teneatur ea solvere; quid Confessarius diciturus erit?*

Resp. Quòd, si leges ludum prohibentes sint in usu, & non sint per desuetudinem abrogatæ, non tenetur solvere; ratio est, quia ei, qui ludo perdidit, & solvit, datur actio ad repetendum, *L. victum, C. de alearibus, & alearum usu: ibi: Victum in alea lusu non posse conveniri; & si solverit, habere repetitionem, tam ipsum, quam heredes ejus: Idem legitur, l. ut alearum, C. de Relig. & sumpt. fun.* ergo multo magis ei competit immunitas ab obligatione solvendi, antequam solvat. Quid est opus solvere, si postea repetendi coram Judice jus habet? Cui enim conceditur actio ad repetendum, quod dederit, conceditur etiam exceptio, ut id non solvat exigenti. *L. invitus, §. cui damus ff. de regul. jur. & regul. 71. Qui ad agendum de regul. jur. in 6.* Ergo, cum perenti in odium prohibiti ludi concedatur actio ad repetendum, quod solverit, & non possit conveniri, ut solvat, propter similem rationem debet dari exceptio absque ulla culpa, antequam solvat.

Dices, Leges adductæ sunt penales respectu victoris, ergo necessaria est sententia Judicis, ut victor subiat penæ, de non recipiendo lucro.

Resp.

Resp. Negando consequentiam. Utrique sunt pœnales, sed, quia pœna nullam requirit executionem ex parte victoris, qui illa punitur, non est necessaria sententia Judicis, ut pœna in odium ludi data vim habeat; sed sat est, ut victus lucrum deneget. Addo, ex dictis nu. superiori, victor in ludo prohibito lucrum non facit suum, nam, in odium prohibiti ludi, dominium non transfertur; ergo non est opus sententia Judicis, ut ei non solvatur, sed potest ei absolute non solvi; At, nec Cajus potest sibi retinere, sed in pœnam actus illiciti debet pauperibus dare.

64. Petitur; Petrus Confessario aperit se honestè, & licito ludo lucratum esse centum Francisco, quem gravibus minis, ac metu incusso, dum non deberet, ad ludendum induxit, cum alias ludere nollet; & querit, an possit ea centum tuta conscientia retinere, vel teneatur eidem restituere? quid Confessarius erit dicturus?

Resp. Quod tenetur ea reddere Francisco, cum nullo legitimo titulo possit ea retinere non titulo donationis, ut est certum; nec validitatis contractus ludi: Nam, cum Franciscus injusto metu fuerit coactus, & inductus ad ludendum, contractus invalidus reputatur ex omnium doctrina; quod metus gravis ab extrinseco proveniens, hoc est, incussus à causa libera in ordine ad contractum faciendum, si injustè incutiatur (ut in nostro casu) contractum invalidat; ergo ea retinens, retinet alienum, invito domino, qui passus est injuriam, dum injustè coactus est ad exponendam pecuniam suam illi periculo; ergo tenetur re-

stituere illam; sicut si cogeret alium ad interficiendum proprium equum, teneretur ad restitutionem.

Dices, si Franciscus, sic coactus lucraretur, non teneretur ad restituendum lucrum, ergo, nec Petrus cogens tenetur restituere ipsi, si perdat; alius non servaretur æqualitas in ludo.

Resp. Cardinalis de Lugo admittit antecedens, & negat consequentiam: discrimen est: quia cum Francisco facta sit injuria, servari debet indemnis; non sic Petrus, cui nulla injuria fuit irrogata.

Sed nos convenimus cum aliis negantibus antecedens: Ex injuria facta Francisco, sequitur solum, quod debeat servari indemnis: & servatur, dum non tenetur illa centum Petro dare, non verò, quod ex illa debeat reportare lucrum; ergo debet lucrum & ipse reddere, sed non Petro, quia in pœnam sui delicti non est dignus recipere, sed pauperibus. Major probabilitas nostræ sententiæ in eo fundatur, quod eo ludo dominium non transferatur in Franciscum; nam donatione non transferatur, quia Petrus hoc non intendit; nec contractum ludi, quia contractus ex dictis est invalidus, & nullus alias adest titulus. Poncius citat. num. 13.

65. Sed quid, si non minis, sed importunis precibus eum ad ludendum induxisset?

Resp. Nec potest retinere, si preces essent tales, ut gravem metum inferrent, ita ut Franciscus, si eas non sequeretur, timeret grave malum incurrere in bonis, vel vitæ, vel honoris, vel fortunæ: secus si preces talem metum non incuterent.

66. Sed quid, si Petrus fraude, & dolo vincat?

Resp. Est commune, quòd, qui vincit decipiendo fraude, & dolo, (ut si chartis signatis utatur, vel plures summat) tenetur ad restitutionem; secus, si altius solitis, & in ludo permissis ad verlatium decipit, fingens V. G. metum, vel habere chartas deteriores; aut negligentia collusoris, ejus chartas videat; nam sibi imputet. Ceterum viti timorati semel ad minus ad verlatium monere debent, ne suas chartas ostendat.

67. Sed quid etiam, si Petrus se impertitum ad ludendum fingat, cum aliàs sit totaliter peritior Francisco, qui aliàs, si excessum peritiae sciret, non luderet, quamvis provocatus à Petro?

Resp. Tenetur Petrus ad restitutionem, si vincat ex communi regula, quòd error cum dolo dans causam contractui, qui aliàs non celebraretur, illum invalidat ex natura rei, saltem quantum ad hoc, quod deceptus, non verò deceptor invito decepto, resilire possit. Et patet quoque, quia inaequalitas peritiae reddit omninò periculum inaequale, & non est par conditio utriusque. Ergo Petrus id cognoscens non exponit rem suam ludo cum tanto periculo, quàm Franciscus; ergo contractus est injustus. Ceterum, dum Franciscus ludere vellet, quamvis ei non esset ignotus excessus peritiae, Petrus restituere non teneretur, quia tunc Francisco nulla irrogaretur injuria, nec contraheret ex errore; & idè sibi ipsi deberet imputare, si perderet; cujus amissio reputaretur veluti spontanea donatio.

Matthaei Cautela Confess.

68. Petitur: Cajus habens solum modò decem, tam in pecunia, quàm in aliis bonis, ludens cum Francisco id ignorante, lucratur centum; quaeritur, an possit ea centum retinere?

Resp. Negative; nam justitia postulat, ut quis non possit ludo plus obtinere, quàm possit amittere. In tali contractu non servatur aequalitas, & melior est conditio Cai, quàm Francisci; nam Cajus plus potest lucrari, quàm perdere, cum periculo ludi solam exponat decem, & Franciscus alia plura; qui, dum plura, quàm decem vinceret, non posset ea accipere; ergo, dum plura perdit, quàm decem, non tenetur ea dare; nam non censetur velle ludo transferre dominium pecuniae in Cajum, nisi illius summæ, quàm, & ipse Cajus periculo in ludo exponit; Ergo, dum Cajus recipit, restituere tenetur.

Dices, Cajus vincens fecit sua illa centum; ergo potest retinere.

Resp. Negando antecedens, ex modo dictis. Ex his sequitur, quod filiusfamilias, qui non potuit magnam pecuniam summam ludo validè exponere, non potuit quoque validè lucrari summam gravem à viro, quem vicit.

69. Petitur. Titius ex ludo cum Religioso acquisivit centum; petitur, an possit ea retinere? Et quatenus negativè, cui debeat restituere?

Resp. Retinere non potest; nam dominium in ea non habet, cum acceperit à non domino; Religiosus enim caret dominio rerum, quibus utitur. Si acceperit à Religioso, cujus Religio potest bona in communi habere, restitutio est facienda Superiori. Si verò ab eo, cujus

(Nnn)

Reli-

Religio est incapax possidendi, tam in particulari, quam in communi, uti est illa Min. de Obser. & Capucein. restitui debent Syndico Apostolico Conventus, in quo Religiosus est de familia, juxta const. Urb. VIII. incip. . . .

Idem debet dici de iis, qui vincunt mulieres matrimonio conjunctas, quæ alia bona à dotalibus non habent; nam restitutio est facienda maritis; nisi summa ludo obtenta sit exigua, quia tunc præsumuntur ipsi mariti præstare consensum alienationis uxoris.

70. Petitur. *Cajus furtivam pecuniam ludo exposuit, in quo lucratus est centum, quæritur, an faciat suum lucrum?*

Resp. Negativè, ex regula generali, quod ludens aliena pecunia, non facit lucrum suum, quod ludendo acquirit; nam in casu contractus ludi videtur invalidus, utpotè celebratus per dolum dantem illi causam; si enim collusor scivisset pecuniam esse alienam, non lussisset; præsumendum est enim non voluisse peccare. Verùm, si Cajus haberet aliquid proprium, quod traderet perditum, vel unde pecuniam restituere posset, dum eam perderet, posset retinere lucrum. Hæc possunt applicari collusori furtivam à socio in ludo pecuniam, quam ludit.

71. Sed petitur. *Titius lucratus est in ludo à fure mille, potest ne sibi retinere?*

Resp. Affirmativè, si fur habet dominium pecunie, quam ludo exposuit, quod censetur habere, si per pecuniam furto acquisitam, in negotiatione eam pecuniam acquisivit, ut communiter DD. Si

vetò illius dominium non spectabat ad furem, non potest sibi tale lucrum retinere, sed postquam cognoverit esse alienam, tenetur ratione rei acceptæ omnino restituere; & si tenetur Titio reddere æquale de aliis bonis.

§. XIII.

Contractus sponsionis.

72. *Quæritur; Quid sit contractus sponsionis, vulgò scommessa?*

Resp. Est contractus, quo duo, vel plures contententes de veritate, aut eventu alienius rei, se obligant ad dandum aliquid sibi invicem, si res non sit, ut ipsi dicunt. Contendunt Petrus, & Paulus super Lillæ expugnatione: aliter Paulus fuisse expugnatam die 10. Octobris, vel expugnandum mense Januarii, & quando non ita sit, se obligat ad dandum Petro decem aureos. Petrus id negat, pariter se obligans; quod dabit Paulo decem aureos, si fuerit eo tempore expugnata. Ut contractus iste sit licitus, & justus, requiritur? Primo, ut res sit æqualiter dubia, & eventus incertus in utroque spondente, aliàs non servaretur æqualitas, & melior esset conditio unius, quàm alterius. Secundo, ut sponsio in sensu univoco accipiatur. Tertio, ut causa in sponsionem deducta non sit inhonesta, & illicita. Hinc patet, quòd illicita sit sponsio eorum, qui spondent, quòd alter alterum superabit in bibendo; causa enim hic est inhonesta, & datur alterutri occasio se inebriandi.

73. Petitur: *Cajus sponsione præmis-*

ſa cum Titio centum aureorum, quod Cardinalis N. eligitur in ſummum Pontificem, lucratus eſt, quia evenit, ut ipſe affirmabat, eos non recepit; deinde accedens ad Confeſſarium ab eo inquirat, an poſſit eos aureos retinere; quid Confeſſarius dicitur eſt?

Reſp. I. Quod ſponſio celebrata cum Titio nulla eſt, & irrita. II. Quod dominium in eam pecuniam non acquirit, nec ſuam facit. III. Quod eos aureos tenetur tradere locis piis, loci, in quo ſponſio fuit facta, vel, ubi primum detecta fuerit. IV. Quod ſi fuerit Clericus ſecularis, vel Regularis, eſt ipſo facto in utroque foro privatus, quovis beneficio Eccleſiaſtico, & inhabilis ad ea, & alia in futurum. V. Quod eſt excommunicatus excommunicatione Papæ reſervata, à qua à Confeſſario, etiam in mortis articulo, abſolvi non poteſt, niſi prævia integra horum aureorum reſtitutione locis ſupradictis.

Hæc omnia habentur ex Conſt. Cogit nos la. 4. Greg. XIV. in Bullar. ro. 2. in qua ſub prædictis penis damnantur ſponſiones, ſeu excommunicata, & pacta, ſuper vita, morte, & futura electione Summi Pontificis, ac promotionibus S. R. E. Cardinal. Poena excommunicationis reſervate extenditur, etiam ad præſtantes auxilium, conſilium, vel faſorem, aut mediatores dictarum ſponſionum, ut ibi textus.

74. At petitur; Victor adhuc aureos non recepit, vel eos viſto condonavit, quæritur, an deus poſſit eos retinere?

Reſp. Negative, ut ex ipla Conſt. §. Quinimmo, ibi: Statuimus, &c. Sed quidquid pecuniarum, aut cuiuſcuſque

alterius rei in contractus, ſeu ſponſiones huiusmodi deductum fuerit, ſive datum, & acceptum, ſive tantummodo promiſſum, vel, ut præfertur, condonatum, aut etiam, ut ab aliis ſolvatur, mandatum exiſtat, eo ipſo piis locis ejus Civitatis, aut Oppidi, ubi ſponſiones ipſe inſita, vel, ubi primum detecta fuerint, etiamſi prius alibi inſita ſint, acquiſitum cenſeri, & ipſos contrahentes ad reſtitutionem, ſive elargitionem eiſdem piis locis in utroque foro teneri.

75. Petitur; Cajuſ concurrentibus Latio, Franciſco, & Titio ad beneficium (quod uni ſolum concedi debet) cum unoquoque eorum ſeorſim ſpondet decem nummos, quod non eligitur ad illud, deinde conſulit Confeſſarium, an poſſit in ſua conſcientia retinere viginti, qua lucrabitur à duobus, qui non eligentur; quid Confeſſarius reſponſurus erit?

Reſp. Quod non poteſt retinere; ratio eſt, quia in tali contractu non ſervatur æqualitas periculi amittendi; nam Cajuſ eſt certus, quod infallibiliter lucrabitur viginti ab aliis duobus, qui non eligentur, quamvis debeat perdere decem cum eo, qui beneficium obtinebit.

Dices, quælibet ſponſio ſeorſim ſumpta eſt licita, ergo etiam ſimul junctæ.

Reſp. Negando conſequentiam: in primo caſu nullus eſt certus de non periendo, aut lucrando, ſed utrinque eſt æquale periculum, & ſpes; at, dum ſimul celebrantur, nec ſpes lucrandi, & perdendi periculum eſt in omnibus æquale; ſed illa in Cajo eſt infallibilis. Contra Poncium cit. diſp. 8. q. 4. nu. 21.

79. Petitur; Petrus ſciens certo Urbem

Item A. esse expugnatam, protestatur Paulo id negante, se certo scire: quoniam obstante, Paulus spondet decem aureos Urbem non esse expugnatam; Petrus sponsonem acceperat, & vincit; quaritur, an in conscientia possit eos decem aureos recipere, & restituere?

Resp. Affirmat Diana *tr. 4. de Ludo res. sol. 75. to. 6.* Coord. juxta regulam, quod volenti, & consentienti nulla fit iniuria, neque dolus: sibi, & suae pertinaciae Paulus imputet aureorum jacturam. Consentunt Quilici, & Sanchez id permittentes in poenam temeritatis Pauli durissima frontis.

Negat Poncius ubi supra eum Card. de Lugo *num. 19.* ratio est, quia Petrus certus de expugnatione, & spondens, quod Civitas sit expugnata, non vendit Paulo pro decem nummis, quos hic spondet, si Civitas sit expugnata, nisi jus ad decem alios nummos, quos ipse Petrus spondet se daturum, si Civitas non sit expugnata; sed tale jus, supposita certitudine expugnationis, non valet tantum, quam decem nummi, quos Paulus spondet, ergo non servatur aequalitas. Nec obstat, quod Paulus putet tanti valere; quia Petrus certus omninè de expugnatione, scit omninò, quod non valet tanti, & se non exponit periculo perdendi; ergo non potest vendere Paulo jus ad decem nummos (quos Petrus est certus se non perditurum) & pro illo accipere jus certum ad nummos, quos Paulus spondet. Pater à pari de vendente gemma, quam certo scit esse falsam, quam non potest vendere emptori, non credenti esse falsam, tanto pretio; quanto venderetur, si non foret

falsa; ratio est, quia in tali venditione, & emptione non servatur aequalitas, & iustitia. Quam sententiam in praxi amplectimur.

Ad rationem Dianae dicitur, quod licet in hujusmodi sponsonibus non interveniat fraus, & injuria, non propterea est licita, & iusta, quia Petrus videt, quod jus, quod pro decem nummis vendit Paulo, non tanti valet.

Illa Quilici, & Sanchez, non subsistit; aliàs idem dici posset de vendente gemmam falsam emptori, nolenti credere esse falsam. Tum quia poena imponi debet ab Iudice, non à quovis privato propria auctoritate.

Alii putant, Petrum posse lucrum sua conscientia retinere, quia praesumunt Paulum velle eos aureos donare; sed praesumptio sine fundamento statuitur, & nisi id certò constet, non est praesumendum; & maxime, dum res non est parvi momenti. Cesset itaque Petrus à sponsonibus; & dum spondet, pretium receptum restituat.

§. XIV.

Contractus Emptionis, & venditionis.

80. **Q**uæritur, quid sit emptio, & venditio?

Resp. Emptio est contractus, per quem mediante pretio determinato dominium in rem aliquam acquiritur. Venditio vero est contractus, per quem mediante pretio determinato, alicuius rei in alterum transfertur dominium. Quare ad emptionem, & venditionem tria debent

desiderantur, quibus contractus perficitur §. 1. *Instit. de empt. & vendit. Consecutus rei, & pretium*: Per pretium intelligitur pecunia ut pecunia formaliter, hoc est, habens valorem taxatum à lege, vel Principe, ejus autoritate causa.

Per ly *determinato pretio* differunt à *permutatione*, in qua non datur res pro pretio, sed una res pro alia. Differunt à *cambio*, quia in hoc datur pecunia pro pecunia, & non res pro pecunia; Quòd si venderetur pecunia pro alia pecunia, adhuc distingueretur à *cambio*, quia in cambio datur pecunia formaliter, & non materialiter ratione materiae pro alia formaliter considerata; & in casu non venderetur pecunia formaliter, sed quatenus est ex tali materia, vel vetus, vel palchra. Poncius *cit. disp. §. 6. qu. 1. n. 1.*

Differunt à *donatione*, & *promissione gratuita*; quia pro re donata, aut sic promissa non datur pretium.

Differunt à *mutuo*, quia in mutuo pretium non confertur.

Differunt à *commodato*, quia in commodato non transfertur dominium in commodatarium, sicut per venditionem dominium transfertur in emptorem.

Differunt ab *Emphyteusi*, per quam non transfertur dominium directum rei, sed tantum utile.

Differunt à *locatione*, quia per hanc non dominium, sed tantum usus rei locatae transfertur.

71. *Quæritur. Petrus emit equum à Paulo, cui solvit pretium, sed relinquit equum apud venditorem, interim equus perit: quæritur an pereat Petro emptori, vel Paulo venditori?*

Resp. Supposito cum Poncio *cit.* quòd venditio potest fieri absque actuali traditione rei emptæ (ad ejus enim naturam non necessario exigitur, ut res emptæ actu tradatur, sed quòd quantum est ex natura contractus transferatur Dominium rei datæ in emptorem, quòd transfertur statim, ac emptor venditori pretium rei tradit) quòd perit emptori, modò non contigerit ex culpabili negligentia venditoris: ratio est, quia res Domino perit: equus autem est Petri, in quem per venditionem fuit translatum aominium.

72. *Quæritur, quid requiratur, ut contractus emptionis, & venditionis sine iusti?*

Resp. Est necessaria æqualitas inter pretium, & merces; ubi hæc non servatur, læditur iustitia commutativa, quæ læsio ex sua natura obligat ad restitutionem; cum proprium dictæ iustitiæ sit uniguique tribuere suum jus, & æqualitatem inter partes servare. Duhamel *cit. tract. de iustitia, & jure dissert. 1. cap. 4.*

Advertendum tamen hic est quòd iustum pretium aliud est legale: illud nimirum, quòd lege aliqua positiva Principis, vel magistratus auctoritate determinatum est. Quòd est positum in indivisibili, à quo discedi non potest, nec à venditore augeri: cum obligatione restituendi excessum si etiam minimum supra id à lege taxatum acceperit, in quo mortaliter, vel venialiter peccat, juxta gravitatem, vel levitatem excessus. Hujusmodi pretium dici solet etiam legitimum, quia à lege dependet. De la Cruz *direct. cons. 7. pr. cept. qu. 3. num. 1.* Aliud au-

(Nnn) 3

tem

tem dicitur pretium naturale, (juxta nonnullos vulgare) quod communis hominum peritorum aestimatione constitutum est; nec consistit in indivisibili, sed pro circumstantiarum varietate loci, temporis, copiae, & inopiae mercium, & mercatorum variatur: ex copia enim mercium cum inopia emptorum pretium juxta peritorum iudicium minuitur: copia verò emptorum cum inopia mercis pretium augetur ibid. De la Cruz, & Natal. *Alex. theol. moral. tom. 2. cap. 6. art. 5. reg. 1.*

83. Quare hoc intra limites justii pretii aliquam habet latitudinem: unde pretium dividitur in *summum, medium, seu moderatum, & infimum, seu piuum*: Una enim, & eadem res potest iuste vendi, & emi majori, & minori pretio iusto, juxta doctrinam D. Thomae 2. 2. *qu. 77. art. 1. ad 1. ibi: modica additio, vel minutio non videtur tollere equalitatem justitiae*. Propterea, si ulna panni habet pro pretio summo decem aureos, pro medio octo, pro infimo erunt sex; & quoniam quodlibet ex istis est pretium iustum, poterit mercator eam iuste vendere decem aureis, quamvis unj vendat pro octo, & alteri pro sex. Natal. *Alex. cit. & communiter DD.*

84. Quare emptor in rerum emptione peccat. I. Dum aliquos supposititios emptores subornat, qui pretium offerant longe minus iusto, ad cogendum venditorem, ut ab ipso emptore pretium, quod obtulerit majus, sed infra infimum iustum, accipiat. Idem *reg. 6. & tenetur defectum restituere Venditori.*

II. Dum scienter pro pretio mercium venditori monetam adulteratam, & de-

fectuosam dat, venditore ignorante defectum: Si autem ex ignorantia id faceret, existimans monetam esse legitimam, propter bonam fidem excusatur, quia si defectum agnovisset, eas non dedisset. Tamen, cum in notitiam veritatis devenit, tunc cessat bona fides, & tenetur damnum compensare illi, cui monetam dederit.

Nec excusare se potest, quòd talem monetam innocenter ab aliis receperit; id enim suo infortunio, aut imprudentie debet ascribere; non enim est iustum, ut inde alii damnum reportent. *Mayol. sum p. 2. 7. praecept. qu. 1. art. 9. & Natal. cit. regul. 11.*

Hic observa, quòd moneta potest tribus modis adulterari. I. quoad substantiam, cum substituitur, aut permiscetur unum metallum pro alio. II. Quoad pondus quando decurtata cuditur, aut cula raditur, & minuitur. III. Quoad formam, quando quis monetam iusti ponderis cudit, apponendo effigiem, aut sigillum Principis, sed sine ejus assensu, ut apud eos loc. cit. Ad monetam enim legitimam tria haec requiruntur, *ex l. 1. §. 1. ff. de contr. alt. empr. materia idonea, iustum pondus, & auctoritas Principis.*

Nota item, quòd attondentes monetam, vel per aquam fortem subtilizantes tenentur restituere; tamen attondentes solum exuberantes monetas, relinquentes eas cum iusto pondere; eo quia excessus vel per errorem fuit appositus, vel quia Princeps voluit ex bonitate monetae laudari. *Sylvester v. Falsarius.*

Pondera pariter, quòd edentes monetas ex materia adulterina admiscendo metallum vilius nobiliori, tenentur ad damna

gemma illata reparanda restituendo pauperibus, si laesi sunt ignoti, Mayol. *cit.*

III. Dum pretio non proportionato emit gemmam ab eo, quae eam putat esse vitium: tunc enim emptor tenetur venditori indicare aestimabilitatem gemmae, vel augere pretium juxta valorem illius. De la Cruz *cit. num. 14.* ubi observat, quod si in re esset virtus occulta, & latens, etiam peritos in arte, (nec communiter quaeritur ob illam virtutem, cognoscitur tamen ab isto emptore ob singularem scientiam, quam habet) non tenetur eam manifestare, vel augere pretium ob illam occultam virtutem: Quoniam iustum pretium rei attenditur ex utilitate in ordine ad usus communes hominum: sed haec res communiter, & secundum quoddam desertivum communi hominum aestimatur decem aureis; ergo decem aurei sunt pretium iustum. Ceterum, si tam vendens, quam emptor ignorarent lapidem esse gemmam, & emptor emerit ipsam a iusto pretio, tantquam si esset vitium: cognita, deinde veritate, deberet vel pretium augere, vel reddere gemmam, exigendo pretium prius traditum: Nam dominium non habet in gemmam, cum venditor non gemmae, sed vitii dominium in eam transtulerit.

85. Queritur, Titius scit pecuniam, quae in praesenti valet decem aureos, post octo dies esse valuturum sex: petatur, an possit eam ab ignavo minutiori futura supra valorem pecuniae emere mercem, quae valeat decem?

Resp. Affirmative; quia non requiritur, quod pretium sit iustum, nisi pro tempore, quo res emitur. Poncius *cit.*

qu. 4. num. 13. De la Cruz *cit. ibid. conc. 2.* Soto *de just. & jur. lib. 6. q. 1. art. 2.*

Limitatur communiter, nisi magistratus data opera differat promulgationem legis de minuendo valore pecuniae, ut interea emptores scienter emerent pecuniis pro valore praesenti; quia sic committerent fraudem. Poncius *ibid. lege cap. sequenti. num. ... & supra cap. 21. num. 22.*

De peccato emptorum in rerum emptione commissio, an mortale sit, vel veniale, iudicandum est juxta laesionem iustitiae; an scilicet graviter, vel leviter fuerit laesa.

86. Pariter Venditor in venditione mercium peccat. I. Si pretium alterat supra rationem iusti pretii, adeo ut non servetur aequalitas inter merces, & pretium. Ceterum mercatoribus ob curas, pericula, sollicitudines, & expensas, quas adhibent in mercibus conquirendis, & asportandis, (haec enim sunt pretio aestimabilia) licet rem pluris aliquando vendere, quam per se nudè valent, sed semper est servanda iustitia pretii. Abell. *sum. p. 2. tom. 2. cap. 4. sect. 7. s. 8.* Et pro qualitate excessus committitur iustitia gravis, vel levis cum obligatione pro foro interno restituendi, etiam sub poena peccati mortalis si excessus sit materia peccati lethalis: licet in foro externo quis non cogatur ad restitutionem, nisi defraudaverit ultra medium. Quilici *Confess. manud. q. 7. art. 3. n. 13.*

II. Si alterat merces vendendo rem vitiosam, & vilem pro bona, & pretiosa intermiscendo etiam mendacia, & perjuriam. Ita Tabernarius non potest addere vino generoso taxam aquae, quantum susti-

susti-

fufficit ad illud reddendum æquale vino ordinario, & illud vendere pretio vini ordinarii; quia tunc venderet aquam ad taxam vini ordinarii, & contra voluntatem emptoris, qui intendit emere vinum purum, & non lymphatum. Ideo contra voluntatem emit. Propterea venditor tenetur restituere pretium correspondens mensuræ aquæ. Quod procedit, etiam si vinum non esset servandum, sed statim bibendum Tambur. lib. 4. tract. 5. de emp. & vendit.

Ita emptori petenti pannum Hollandicum non potest pro eo vendere pannum Venetum; casu autem quod istud vendidisset, putans illud esse Hollandicum, deberet deinde cognito errore, emptorem monere, ut rescinderet contractum. Dum verò pannum consumperit, vel in vestes aptaverit, adeo ut illud non possit integrum reddere, debet venditor restituere excessum pretii: nam in eam dominium non habet, cum emptor sper hoc fuerit invitus.

§7. At petitur. *An venditor teneatur vitium rei venalis emptori aperire?*

Resp. Non semper tenetur, ut dum vitium est manifestum; at semper propter illud debet subtrahere de pretio, quantum oportet per D. Thom. cit. art. 3. apud d. Natal. Alex. reg. 14. ubi observat, quòd si subsit aliqua fraus (ut si vitium rei, licet sit manifestum, tamen ab emptore non ita facile deprehendi possit; vel si emptor protestetur se nolle emere rem vitiatam; aut venditor interrogatus de vitio rei, illud taceat, vel negaverit; vel eam, quasi vitio carentem etiam non interrogatus laudaverit, vel inter res non vitiosas ve-

nalem exposuerit,) tenetur ad emptoris arbitrium contractum rescindere; si res vendita tunc temporis sit in esse; vel supplere reddendo tantum pretii, quantum debebat propter vitium rei subtrahere.

III. Si utatur dolosis ponderibus, & falsis mensuris, ita ut aliquid modicum à singulis emptoribus surripiat. Ubi consideret Confessarius, quòd si parum surripiat ex defectu occasionis, quia scilicet non potest majora surripere, peccat mortaliter pro qualibet vice, propter intentionem mortaliter malam, sive ab uno, sive à multis exiguum quid accipiat, intendens paulatim inde magnam summam accumulare, & detinere. Ubi verò paulatim absque ea mala intentione parum surripit, peccat solum venialiter pro qualibet vice, sed, cum primum ille parva acceptiones attingunt, & complent notabilem quantitatem, peccat mortaliter illa ultima parva acceptione, quàm cupiditate victus advertit (vel debet advertere) unà cum prioribus componere notabilem quantitatem, sufficientem ad mortale. Ratio est I. quia Venditor, licet notabile damnum singularis non intulerit, nocuit tamen notabiliter toti Communitati, ut observavit Mayol. cit. art. 1. §. 1. II. quia acceptiones illæ sunt talis generis, ut priores cum subsequentibus continentur, & mortaliter unum efficiant cum notabili damno proximi: sicut dum quis in die jejunii plura pauca comedit, mortaliter peccat: hujusmodi enim comestiones collectivè sumptæ uniuntur, & jejunium frangunt juxta decretum Alex. VII. in primo libro cap. 22. n.

Quia

Quiniam DD. observant, quod postquam venditor pervenerit ex illis parvis acceptationibus ad notabilem quantitatem, quævis deinde minima acceptio est mortalis propter continuationem mortalem cum illis.

Ceterum, ubi priores illæ acceptiones fuerint per interpositam penitentiam retractata, aut restitutionem, antequam compleant notabilem quantitatem, tunc acceptio, vel detractio superveniens non continuatur præcedentibus, ut ibid. Mayol. sed videas supr. cap. 21. n. 1. & cap. proxime præced. n. 61.

IV. Si advertens rem esse multum commodam, & utilem emptori, pretium augeat supra justum: Nam alienum commodum vendentis dominio non subjacet; nec utilitas ex vendente, sed ex conditione ementis. Nullus autem potest vendere alteri, quod non est suum. Ita D. Thom. ubi supr. art. 1. Ceterum, si emptor vellet emere rem multum venditori necessariam, & venditor ex venditione aliquod damnum emergens, vel lucrum cessans pateretur, posset res carius vendi, quam valeat, ad compensandum illud damnum, dummodo fraus, & dolus absit. Ubi verò venditor, non rogante, & argente emptore, sed sponte quidpiam vendat, non potest augere pretium ob damnum, quod patitur, ut ex D. Thom. qu. 13. de malo art. 4. ad 14. Natal. Alex. reg. 2.

88. Quæritur. Petrus, rogante, & urgente emptor, huic vendit mensuram olei majore pretio, quam tunc valeat, ex quo non intendebat tunc eam vendere, sed servare usque ad tempus, quo probabiliter

Matthæi Causela Confess.

pluris erat valitura: petitur, an injustitiam committat?

Resp. Negativè juxta tex. in cap. Incivitate de usu.

Verum, ut advertit alleg. Natalis reg. §. tutius est abstinere ab augendo pretio, cum solum dubium est, an pluris, vel minoris merces sint valitura: tempore, quo mercator vendere illas proposuerat, ut constat ex eodem capite, in quo Alex. III. rescriptit: *Et ideo Civis ius saluti suæ bene consulere, si à tali contractu cessarent, cum cogitationes hominum Omnipotenti Deo nequeant occultari.* Sæpè enim similibus cupiditas pecunie fugit, quod non debet.

89. Quæritur. Titius mercator Amicorum litteris ceriò instruitur magnam frumenti copiam brevi ex Hollandia hic Romam esse advehendam, id emptoribus celat, & proprium frumentum vendit pretio currenti, quod, illo adveniente, minuetur: petitur, an teneatur id ipsum emptoribus patefacere; & quatenus negativè: an injustitiam committat?

Resp. Ad utrumque negativè, ita D. Thom. cit. 2. 2. art. 3. ad 3. ibi: unde venditor, qui vendit rem secundum pretium, quod invenit, non videtur contra justitiam facere: si, quid futurum est, non exponat. Si tamen exponeret, vel de pretio subtraheret, abundantioris esset virtutis, quamvis ad hoc non videatur teneri ex justitia debito. Unde Du-hamel ubi supr. ex Cajetano ponderat in emptione, & venditione considerari pretium præsens, non præteritum, aut futurum: Quare justitia patet ex ipsa natura contractus rei, quæ in præsentem emittitur, cujus pretium debet esse præsens;

(Ooo)

nam

nam est quedam commutatio; ut rem meam tibi tradas, ergo equum est, ut pretium vicissim accipiam: quod autem majus, aut minus pretium postea sit futurum, necesse non est scire, aut dicere: sicut enim, si sciam pretium esse augendum, non mihi licet propterea carius vendere, ita nec minoris teneor vendere, cum scio pretium esse minuendum: nec mala fide ago, aut alium laedo, sed utor jure meo, cum tanti vendo, quanti valet nunc.

90. Quaritur; Parochus, vel: Beneficiarius aperit Confessario se vendidisse bona Parochia, & Beneficium. Quid Confessarius erit eis diciturus?

Resp. Interroget, an vendiderint ob tento beneplacito Apostolico, vel sine illo; & quatenus absque eo bona distraxerint: urgeat eos ad restituendum pretium, & recuperanda bona. Quoniam contractus alienationis bonorum Ecclesiarum immobilium, tum mobilium rectorum sine beneplacito Apostolico prohibetur expressè *extravag. Ambitiosus de rebus Eccles. non alienand.*

Significet pariter, quod sunt privati Beneficiis, quorum bona alienaverunt, & ligati excommunicatione lata sententia, in d. *extravaganti* lata in alienantes, & bona alienata recipientes. A qua non excusantur, nisi adsit bona fides sincera, vel ignorantia facti probabilis, vel etiam juris in personis non adeo peritis, ut ex Riccio, & Nicolio tradit Monacellus *for. p. 2. for. 4. num. 8. rit. 14.* quae ignorantia non videtur supponenda cum dicto Parocho, & Beneficiario, cum ad eos spectet scire, quod possint, vel non circa bona Ecclesiastica. Vide Tridenti-

num *sess. 22. cap. 11. & sess. 25. cap. 11. de reform.*

91. At petitur. An ipse Confessarius possit eos ab incurſa excommunicatione absolvere?

Resp. Negative; nam absolutio dictae censurae est Papae reservata in Concil. Trid. *sess. 22. cap. 11. de reform.* Quinimmo, cum S. Congreg. Concil. quotidie committat Episcopis, ut absolvant excommunicatos propter alienationem rerum Ecclesiasticarum, ut apud dictum Monacellum, sequitur esse evidens, quod saltem ex praxi excommunicatio in Extravaganti implicitè sit reservata; Ideo Confessarius non potest in eorumdem absolutioe se ingerere, nisi consulendo, ut ad Sedem Apostolicam pro absolutioe recurrant, & petant illam, & dispensationem ad retinenda beneficia.

92. Quaritur. Titius vendit agrum Cajo, interea à Lelio movetur Cajo in iudicio super d. agro; in quo adversus Cajum obtinet sententiam in vigore cuius Cajo agro privatur, & acquiritur Lelio. Petitur, ad quid teneatur Titius venditor?

Resp. Teneatur de evictione, adeoque ad reddendum Cajo pretium, quod pro agro recepit. Cajo enim transiit in Titium dominium pecuniae implicita conditione, quod Titius rem suam, & non alienam ipsi venderet.

Ad quod est à Confessario cogendus, nec debet absolvi, nisi restituat, cum rem alienam retineat. Quinimmo Cajo potest Titium coram Iudice convenire, & illum ad reddendum officio Iudicis compellere.

Hinc nota, quod evictio est rei, quae

apud nos ex iuxta causa erat, ablatio ab alio domini, vel hypotheca jure, sine culpa nostra per Judicem facta, ita Gonzalez in 3. ut. 17. cap. ult. a. n. 5. Dicitur ab alio, ut cognoscatur, quod ut possessor possit de evictione agere, non sufficit, ut noverit rem esse alienam, oppignoratam, vel hypothecae subjectam, sed opus est, ut res in effectu sit ablata. Ponitur rei, quae apud nos erat ex iuxta causa, ut significetur, quod solum bonae fidei possessor agere potest de evictione, non vero possessor male fidei l. si feudum 27. cap. de vi. Nec competit emptori scienter rem alienam ementi. Nam tunc non potest conqueri tanquam a venditore deceptus: Sciens enim conditionem rei, eam cum suis qualitatibus emisse intelligitur. Additur domini, vel hypotheca jure, quod denotat emptorem posse de evictione agere, non tantum, quando res aliena ab eo auferatur, sed etiam quando reperitur hypothecae obligata. Additur per Judicem facta, quo ostenditur, quod non quavis amissio rei possessae parit actionem ad evictionem, sed ea tantum, quae sit Judice auctore, hoc est in iudicio, l. si pro re 22. §. 1. ff. de evict. Seu dum sententia Judicis pronunciat, rem pertinere ad petitorum l. mancipium §. ult. eod. tit. Quapropter, si res pereat, aut aliquo modo a possessore auferatur, non potest ab emptore de evictione agi, ut communiiter DD. apud d. Gonzalez n. 9.

93. Caterum tres casus excipiuntur, in quibus venditor de evictione non tenetur, & contra eum emptor non potest de evictione agere, ut in cap. si venditor, de empt. & vendit.

Primus est si tempore, quo lis emptori movetur, ipse non denunciaret venditori litem esse motam, ut rem defendat. Denunciatio autem fit, ipsum ad eum effectum citando, ut de lite mota ei juridice constet: Si venditor non inventatur, citatio facienda est in domo coram vicinia, & si decesserit, citandi sunt haeredes.

Secundus, si emptor tempore sententiae contumaciter ablit: hoc est, vel, quia citatus non venit ad sententiam, vel, quia legitimo tempore post sententiam non comparuit ad interponendam appellationem: Tunc enim sibi debet imputare, si contra se fuerit sententia lata.

Tertius est, Si emptor injustitia, & culpa Judicis condemnatur. Etenim tunc sententia ex malitia Judicis lata inter casus fortuitos numeranda est l. ad eos ff. mandat. Venditor autem, emptione celebrata, non tenetur de fortuitis periculis juxta gloss. in d. cap. v. legitimas sanctiones; quia tunc Judex facit litem suam, & ipse tenetur. L. filius familias, ff. de jud.

Extra istos casus venditor tenetur de evictione pro re evicta, nec debet tantum pretium agri restituere, verum etiam redlere sumptus, & meliorationes ab emptore in agro factas, ac expensas, quas emptor solvit in casu; quoniam aequitas, & justitia dicat, omne id esse ei restituendum, quod abest emptori propter evictionem. Videatur Gonzalez loc. cit.

94. Huc spectat etiam instruere Confessarium circa monopola, quae a Mercatoribus committi solent. Quare Mo-

nopolium est occulta machinatio, & conventio mercatorum ex pacto inter se conspirantium, ut ipsi soli certo pretio ab eis constituto merces emant, aut vendant. Monopolium cedit in Republica, & privatorum grave damnum: exercetur contra finem negotiationis, & commerciorum, ac ad communem inopiam inducendam: repugnat publicae fidei, Juri Gentium, & Civili ut constat ex l. *Invenimus C. de Monopol.*

Monopolium mercatores committunt
I. Si, ut res pretio inter se convento vendant, illas servant in tempus inopiae.

II. Si vi, vel fraude impediunt, ne alii merces ad locum afferant.

III. Si falsis rationibus expositis, & per subreptionem privilegium impetrent à Principe, ut ipsi soli has merces vendant legitimo pretio à Principe, vel Magistratu non constituto.

Licite utique alicui sine damno Republicae conceditur privilegium, ut ipse solum aliquid vendat: ut fit cum Typographo, prohibendo, ne alius librum ab eo impressum excudat: id enim sed in bonum Republicae, quia alias fortasse nullus vellet subire expensas libri imprimendi; quia timeret, ne statim recederetur ab aliis, & ita magnum damnum reportaret. Caterum non licet privilegium concedere pro rebus maximè necessariis, nisi alias urgeat maxima necessitas, & Princeps taceat pretium, ut per allegat. De la Cruz *dub. & conc. 2.* & Poncium *g. 5. num. 19.*

IV. Si quis praevidens, quod brevi pretium frumenti sit minuendum: quia per Hollandos mox magna copia addu-

cenda est, suppositiciis, falsisque litteris rumorem in vulgus spargat, naves perire, aut ab hostibus captas fuisse, ut hujusmodi mendacio pretium annonae, & frumenti augeatur.

V. Si quis tempore messis emit totum triticum, aut maximam ejus partem pretio vili, pro quo tunc vendi solet, ut postea omnes ab ipso cogantur carius emere. Caterum si alii emerunt sibi necessaria, licite emit, quod superest, ut postea tempore inopiae vendat etiam carius, sed pretio justo: Nam hoc est utile Civibus, cum tunc habeant merces tanquam in deposito pro tempore necessitatis, nec extra oppidum deferuntur. Ita De la Cruz *cit.*

Regula generalis est, ut quoties ratione monopolii fit excessus, aut defectus in pretio justo, restituendus est excessus. Atque ita Authores, & participes Monopoliorum, qui res ultra justum pretium vendiderunt, vel emerunt, tenentur excessum, & defectum restituere: vel illi, quos laeserunt, si illos noverint, vel si sint ignoti, pauperibus.

95. At quid, Si quis ignorans monopolium venderet res pretio currente, quod tamen supponitur esse supra justum, ut potè constitutum à fabricatoribus monopolii?

Resp. Quod, ablata ignorantia, tenentur ratione rei acceptae restituere excessum supra justum pretium, sed Monopolae debent restituere etiam ratione injustae acceptionis excessum pretii, etiam ab aliis reportatum, cum alii non restituunt, quia fuerunt causa damni illati. De la Cruz *allegat. Natal. Alex. reg. 7.*

96. Sed quid, si monopola convenerunt in pretio iusto rigoroso?

Resp. Poncius ibid. negat eos teneri ad restitutionem ullam, quia quamvis peccent contra charitatem (quia reducent multos ad emendum cum magno dispendio) tamen non laedunt iustitiam. Rotarius vero in apparatu Theol. moral. p. 2. cap. 7. sect. 4. num. 19. eos obligat ad restituendum, quia damnum notabile populis inferunt; nam plures emerent pretio medio, & infimo, & ideo ex ipsorum fraude minus habent.

97. Queritur, Cajus bona fide à Titio emit viginti aureis gemmam valoris triginta aureorum: secusa emptione, auditur gemmam fuisse furio sublatam de domo Sempronii, cupiens gemmam vero Domino tradere, mediante tamen recuperatione pretii 20. aureorum: factis diligentibus furem non invenit, nec est spes inveniendi: proinde sub secundo naturali committit Petro Sacerdoti extra confessionem, ut accedat ad Sempronium, ut recognoscat, an re vera gemma sibi fuerit furio sublata; Petrus alloquitur Sempronium, qui instat, ut sibi gemma ostendatur, quam esse suam cognoscit, viginti tamen aureos non vult reddere, quia rem suam emere non vult, & protestatur, quod si Sacerdos eam sibi non tradat, eum reputabit habuisse manum cum fure. Hae Petrus referens Cajo, iste urgeat Petram, ut sibi reddat gemmam, ne & gemmam, & viginti aureos perdat: Petrus, an Sacerdos debeat gemmam Cajo, vel vero Domino tradere?

Resp. Supponendum, quod in casu Petrus non agit ut Confessarius, sed

ut merus amicus, & mediator; hinc dicendum, Petrum debere gemmam tradere Sempronio vero Domino; quia res ubicunque sit, semper clamat pro Domino: nec Cajo potest esse rationabiliter invitus, & tribuat suo infortunio, si debeat perdere viginti aureos, & furem invenire non possit, contra quem habet semper actionem pro illis rehavendis. Quinimmo praesumptione legitima censendus est consentire, nisi velit majus malum subire in existimatione suae famae in foro externo, in quo reputabitur ut fur, vel saltem, quod scienter gemmam à fure emerit, ad quod argumentum praebet, quod iusto pretio gemmam non emerit; debens scire, quod verus Dominus, licet aliquid de summa triginta aureorum potuerit ob necessitatem detrahere, non tamen tam excessivam diminutionem fecisset.

Nec Sacerdos tenetur cum periculo suae famae secretum naturale servare. Quando enim promittitur secretum servare, subintelligitur, nisi ex non revelatione esset innocens damnandus, vel ipse esset in necessitate mentiendi, vel aliquod grave scandalum oriretur, aut ipse deberet ex taciturnitate aliquod grave malum in vita, honore, vel rebus recipere, ita ex Alex. de Alex. Fagn. in 3. ad cap. Tua num. 47. de testam. ubi num. 44. ex D. Bonavent. in 4. sent. dist. 21. art. 2. q. 3. tradit, quod recipiens aliquid in secreto, tenetur revelare Superiori praecipienti, & juramentum de non revelando est nullum, quia in praedictum veritatis, & obedientiae; sicut, qui juravit testimonium non dicere, juramento non obstante testificari compelli-

tur, cap. *Insinuavit de rescrib.* & ideo in tali circumstantia, in qua agitur de iactura propria famæ, reputatur fundatissimè, quòd Petrus non voluerit, nec debuerit se obligare.

98. Sed quid, si secretò recepisset in Sacramento Pœnitentiæ?

Resp. Quòd tunc nullo modo potest secretum acceptum revelare, quia huiusmodi non scit, ut homo, sed tamquam Dei Minister, & majus est vinculum Sacramenti quolibet hœminis præcepto, & malo lubeundo, ut per D. Thom. 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2. & ibi Fagnan. num. 38. & sequen.

99. Si verò sacramentaliter non confitetur, concurrente una ex dictis circumstantiis ad secretum non tenetur. Nec obstat, quòd dixerit, *hoc dico tibi in confessione*; quia, ut ait Innocentius in cap. *Omnis de pœnit. & remis. num. 7.* Non est verum, quòd dicat in confessione, & Pœnitentiâ, ac ut Dei Ministro, sed solum petit consilium, vel auxilium modo secreto, sed extra confessionem sacramentalem; & hinc non intervenit sigillum confessionis, ut illud secretum revelare sit sacrilegium, quamvis peccet contra fidelitatem, si absque iusta causa, & urgente necessitate factum secretò receptum revelet.

§. XV.

Contractus Assuratiōnis.

100. **A**ssuratiō est contractus, quo quis ob pretium suscipit in se periculum rei alienæ, obligando se ad illius rei recompensationem, si res illa pe-

reat. De la Cruz direct. Conf. 7. præcept. 9. 6. art. 2. num. 1. Contractus iste iusto pretio factus, consideratis periculis, valet, quia illa periculi susceptio est pretio æstimabilis.

At petitur, quid necesse sit, ut huiusmodi contractus licitè celebretur.

Resp. I. requiritur, quòd assicuratus habeat bona periculo exposita. II. Quòd Assicurator habeat bona, quibus possit facere compensationem rei, si pereat. III. Quòd Assicurator moneatur de periculis specialibus, quibus Navis V. G. est exposita, ut videat, an velit, & quantum petere possit pro pretio periculi rei, quod in se suscipit. IV. Quòd moneatur, etiam de quantitate, & qualitate mercium, quas assicurat.

Hic advertit, quòd si Assicurator, qui assicuravit Navem onustam serico, directam Francisco Mercatori, non habet bona, quibus possit eidem Francisco compensare jacturam mercium, si navis pereat, non potest pro assicuratiōne navis, quæ ad portum salva venit, recipere pretium pro assicuratiōne, quia contractus ex parte Assicuratoris est fictus: nam reverà in se non suscipit periculum assicuratiōnis, sed res semper manent sub eodem periculo: Unde contractus est injustus, & Assuranti injuria irrogatur, relinquendo ejus res eidem periculo expositas, quæ ab alio fortè assicurarentur.

Nec potest illud pretium recipere pro periculo carceris, & aliarum vexationum, quibus se exponit; quia ista sunt accidentalia ad justitiam contractus, & Assurato inutilia.

101. At petitur. *Assurator habet bona*

bona, quibus potest compensare solum medietatem mercium, si pereant: an possit recipere dimidium pretium assicurationis. Si merces salva ad assicuratum perveniant?

Resp. Negativè: Quia contractus est nullus, quoniam ex parte assicurati est involuntarius, utpotè celebratus ex ignorantia antecedenti, & dante causam contractui. Etenim, si ei nota fuisset impotentia assicurationis, alium assuretorem postulasset, nec consensisset in contractum celebratum. Propterea assuretor ex contractu nihil potest recipere. Tenetur tamen, casu quo res pereant, solvere bona, quæ habet, non ratione iniri contractus, quia fuit nullus, sed vigore injuriæ Assurato illata propter fraudem, & dolum. Itaannes apud d. De la Cruz contra Rodericum in Sum. p. 2. cap. 105, & Tamburin. libro 9. tr. 7. cap. 2. nu. 6.

100. Ad finem capitis pro majori notitia notabis, à DD. alia dici *substantialia*, alia *naturalia*, & quædam *solemnia contractibus*. *Substantialia*, illa dicuntur, quæ essentiam contractus constituunt, sine quibus contractus non subsistit, nec sunt mutabilia ex voluntate partium: ut est consensus liber utriusque partis. *Naturalia*, dicuntur, quæ contractui tacite insunt, licet expressa non sint, & possunt pacto contrahentium removeri, valido remanente contractu; ita venditor ex natura venditionis tenetur emptori de evictione, si res ab aliquo tertio, ut sua, ab emptore fuerit recuperata. *Solemnia*, vocantur, quæ de jure requiruntur, ut legitimus contractus censeatur; & ex his quædam sunt

solemnitates *substantiales*, sive *intrinsicæ*, sine quibus contractus validus non est, ut consensus Capituli, & Pontificis in alienatione rei spiritualis, seu Ecclesiastica; præsentia Parochi, & testium in matrimonio &c. Aliæ *extrinsicæ*, sine quibus actus, quidem non licet, sed valide celebratur, ut trina denunciatio antè contractum matrimonium, benedictio nubentium in templo facienda &c. vide lib. 4. cap. ult.

CAPUT XXIV.

Prop. XLI. & XLII. ab Innoc. XI. &c.
Lucrum Usurarium.

1. PROP. 41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

Prop. 42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum, si exigatur tamquam ex iustitia debitum.

2. Author propositionis primæ traditur Caramuel apud Cardenas hic differt. 25. cap. 1. Ille sentit, conferentem mutuum nonaginta quinque posse post annum accipere centum, quia centum solvenda post annum æquivalent nonaginta quinque præsentibus, ex quo plus valeat pecunia præsens, quàm futura: & propter illam æquivalentiam dixit mutuatorem non recipere aliud supra sortem. Verùm, concesso etiam (quod non damus) pecuniam præsentem esse pretiosiorera

siorem futura, non sequitur, quod, datis mutuo nonaginta quinque, possint licitè recipi centum, & si recipiantur, quinque non sint supra sortem; nam nonaginta quinque, quando à mutuuario restituantur, sunt præsentia, ergo eandem æstimationem habent, quàm habuerunt eo tempore, quo mutuator ea mutuavit, ergo aliquid plus accipitur supra sortem ex vi solius mutuacionis, vel ratione interusurii (interusurium est usus medii temporis) hoc est, ratione usus, quem habet mutuarius toto eo tempore, quo pecuniam, aliamve rem sibi mutuam servat, donec eam mutuanti restituat: illicitum autem est aliquid accipere pro usu rei mutuatae, quia tunc mutuans accipit pretium pro re non sua; nam pecunia mutuata non est mutuantis, ut alibi diximus, & communiter DD. sed mutuarii: nec usus pecuniae: quia in mutuarium cum dominio pecuniae transfertur facultas ipsa utendi, vel ejus usus, ergo, quod accipit mutuans supra sortem, accipit pro usu, & re non sua, ergo iniquè accipit, & non modò contra charitatem, sed etiam contra justitiam peccat, cùm injustum sit aliquid petere pro usu rei, vel donatae, vel alteri datae in proprietatem. Duhamel Theol. moral. de just. & jure tom. 2. dissert. 3. cap. 1. n. 3.

3. Secunda propositio pluribus etiam Authoribus placuit; verum, quia utraque via usurarii lucris aperitur, in quibus, & ipsorum occasionibus eradicandis totus debet esse Confessarius; ideò hic præter adducta lib. 1. cap. 3. 1. alia pro instructione Confessarii ad ipsa usuraria lucra spectantia referimus, quem ad præ-

fatum cap. pro uberiori noticia remittimus, ut videat ibi num. 3. usurae definitionem.

4. Quæritur, Franciscus accipit mutuo à Petro quatuor rubia frumenti mense Novembri, quo generaliter venditur decem aureis pro rubio, hac lege, & inito pacto, ut venturo Augusto restituat, vel ipsa rubia quatuor frumenti, vel aureos quadraginta ad electionem ipsius Petri: dubitatur, an in contractu istorum usurarium eluceat?

Resp. Affirmativè, nam contractus est usurarius, etenim ibi est usura, ubi plus quàm datum fuerit, expectatur, cap. si feneraveris, cap. Usura 14. qu. 3. Sed in casu Petrus plus, quàm dedit, expectat; nam si frumenti valor erit ultra aureos quadraginta, prætendet frumentum, & hinc plus accipiet, quàm fuerit pretium, quod currebat tempore contractus; Si verò valor decreverit, postulabit 40. aureos, & sic plus, quàm sit pretium ipsius frumenti restituenti.

Accedit, quod quoties mutuatio imponitur obligatio pretio æstimabilis, committitur usura ex communi DD. Sed in allato casu Francisco hujusmodi obligatio à Petro imponitur, nam, si mense Augusto, frumentum minoris valebit, quàm quadraginta aureis, tenebitur solvere dictos 40. aureos; si autem majus fuerit pretium, ardebitur emere frumentum, ut quatuor rubia frumenti restituat, ut optimè Layman. lib. 3. tract. 4. cap. 16. num. 14. ver. Et eo 2. ergo usura committitur, & lucrum, quod exigetur, esset usurarium.

5. Quæritur, an usurarium esset lu-

67103

rum, quod reportaretur à mutuante, se obligante non repetere mutuum, nisi transacto anno?

Resp. Affirmative, nam semper aliquid supra sortem ex vi solius mutationis exigeret. Tum quia, admittà opposita opinione, omnes usuræ excusabuntur, quia quilibet affirmabit se non pro mutuo, sed pro illa obligatione tale lucrum exigere: & ita quilibet mutuans posset pro quolibet mutuo aliquid supra sortem exigere, cum quilibet statim ac mutuat, se obliget, saltem virtualiter, ad non repetendum mutuum pro aliquo tempore. *Gibal. lib. 1. de usur. cap. 8. art. 2. consuet. 18.* Talis itaque obligatio non repetendi suam pecuniam, & carendi ea, est mutuo intrinseca, & non est æstimabilis, vel compensabilis pretio distincto ab ipsa pecunia mutuata, sed ad æqualitatem compensatur per redditionem sortis, cum facultate ea extendi toto tempore sequenti; ideo, si aliquid pro ea recipitur, recipitur aliquid non debitum, contra iustitiam, ac ex vi mutui, quod omnino est iniquum.

6. Quæritur, *Sempronius petit, & accipit mutuo ab Antonio centum Ludoviceos (Luigi d'oro) post annum eos restituaturus, quorum quilibet tempore contractus, valet triginta Juliiis, completo anno, valor cuiuslibet ascendit ad triginta duos Julios: Sempronius vult restituere trecenta scuta in Ludoviceis, computatis ad valorem 32. Juliorum: Antonius autem exigit numerum centum Ludoviceos, dubitatur, an licite exigat?*

Resp. DD. non conveniunt. Aliqui affirmant; quorum ratio est, quia *Specul. Maritima. Cautela Confess.*

cies, & numerus Ludoviceorum sunt in contractu, & veniunt sub obligatione: casus enim in terminis loquitur. *Sempronius petit, ac accipit centum Ludoviceos ab Antonio, eos post annum restituaturus: Nota, ipsum petere, & obtinere mutuo centum Ludoviceos, non trecentum scuta, ergo, petendo Ludoviceos, est in pactum deducta talis qualitas aureæ monetæ, & petendo centum, numerus aureorum; & cum promiserit eos post annum restituere, promississe præsumitur eos in simili qualitate, & eodem numero reddere: quod ostendit dictio illa eos, quæ per *Barbos. de distion. dic. 103. num. 3.* est relativa, demonstrans, & repetens qualitates præcedentes, consequenter cum suo augmento.*

Aliter discutendum foret, si *Sempronius petisset ab Antonio trecentum scuta, cui ea Antonius dedisset in centum Ludoviceis, nam tunc crescente extrinseco Ludoviceorum valore, sat esset, quod Sempronius redderet summam acceptam, quam petit, quamvis in alia pecunia, vel in minori Ludoviceorum numero, sufficiente tamen ad integram compensationem trecentorum aureorum.*

Alii verò negant, ex quo valor monetæ de jure crescat, & decrescat Dominus, sed *Sempronius* est Dominus Ludoviceorum, quos mutuo recepit, ergo augmentum valoris Ludoviceorum ipsius esse debet. Tum quia, usura est aliquid supra sortem recipere, juxta DD. communiter, sed in casu Antonius reciperet viginti aureos supra sortem, nam ipse dedisset trecentum scuta in centum Ludo-

(Ppp)

Ludo-

Ludovicois, & ipse in aliis centum cum augmento reciperet trecentum viginti; hujus sententia est Layman. lib. 3. de just. tract. 3. par. 1. cap. 5. num. 15. Gibalin. lib. 1. de usur. cap. 3. art. 4. confect. 8. alique, quam sententiam in praxi amplector.

Nec relevans videtur aliorum ponderatio: nam similis modus loquendi: *peto centum Ludovicois, post annum eos restitutus*: est isti æquivalens: *peto summam trecentorum scutgrum, & hunc numerum post annum restituere spondeo*; quem numerum certè Antonius exegisset, si valor Ludovicois fuisset diminutus ad 28. Julios, nec foret contentus recipere centum Ludovicois; quod concludit contractum mutui fuisse dare trecentum, & trecentum recipere. Utraque sententia habet classicos Auctores, quorum primi loquuntur ex suppositione, quod inter Sempronium, & Antonium præcessisset pactum de solutione faciendâ in eadem specie, & moneta, & pari numero; siue crescat, siue decrescat in extrinseco valore per decretum Principis; alii verò, supposito, quod sic non convenerint.

7. Sed quid, si interea Ludovicois, vel moneta, in qua convenissent, ut esset solutio faciendâ, omnino reprobaretur?

Resp. Mutuatarius (qui est Dominus, & cui propterea perirent) deberet solvere totam summam acceptam in alia æquivalenti, & proba moneta, arg. optimum ex cap. olim de censib. in juncta Gloss. in ver. vel estimationem, aliàs contractus non foret justus, sed injustus, & cum læsione creditoris, vi-

de alleg. Layman. num. 14. & Gibal. confect. 8. num. 73.

8. Quæritur, an sit iniquum pactum, quo Mutuatarius obligatur solvere in meliori, aut rariori pecunia, quam acceperit: v. g. accipit mutuo centum in auro, & exiguntur in auro, vel argento?

Resp. Affirmativè, quia mutuatarius in communi estimatione obligatur ad aliquid, ad quod ex vi mutui non tenetur.

9. Quæritur, Petrus iusto pretio, mille nimirum, vendit Francisco prædium, à quo statim recipit quingenta, recepturus reliqua post biennium, quare à Confessario instrui, an interim possit recipere fructus alterius parvi prædii, cujus solutionem expectat, & de tali pensione suscipienda convenire cum emptore, sique prædium locare, & ab ipso pensionem annuam percipere?

Resp. Negativè; ratio est, quia fructus illi non perciperentur, nisi propter dilationem solutionis, quæ est aperta usura: aliàs quisquis creditò vendit, possit aliquid supra iustum pretium accipere propter dilatam solutionem, siue capere usuras non soluti pretii. Tamen quia, fructus sunt ejus, qui Dominus rei est, emptoris nimirum, cum res Domino suo fructifera, ergo illos non debet dare venditori, qui pro fructibus non potest prædium locare emptori, cum nullus possit, nisi rem suam in locationem concedere; prædium autem non est amplius Petri, quia ipsum iusto pretio vendidit. Gibal. lib. 2. cap. 5. art. 5. & lib. 3. cap. 8. art. 9. confect. 1.

10. Sed nonne cum Dahamel ubi supra

pra num. 6. dici potest pradium esse Fran-
coisi solum quoad dominium proprietatis,
& directum, non verò, quoad do-
minium utile, quod reservavit sibi Pe-
rus, ut posset percipere fructus usque
ad tempus integrae solutionis?

Resp. Negative; quia, prout ponder-
avit Gibal. cit. art. 5. in simili contractu
reservationis juris colligendi fructus,
non servatur aequalitas, nam, si inter-
medio eo tempore res periret, emptori
periret, non venditori, ergo totum in-
commodum esset emptoris, non vendi-
toris, cui post biennium essent alia quin-
genta solvenda. Tum quia, pensio illa,
venditori solvenda, esset conjuncta cum
mutuo: nam pecunia ad tempus, pallia-
to mutuo, emptori concederetur, ergo,
si pro ipsius usu, venditor quidquam ac-
cipit, usuram committit, sicut ex cap.
conquisitus de usur. fructus capere ex pi-
gnore, & non computare in sortem, usu-
ra est, sed venditor, postquam aliena-
vit fundum, si ex eo capit fructus, eos
percipit, tanquam ex pignore, ergo
cum crimine usurae.

11. Queritur, an Pharmacopola possit
suam Tabernam, & omnia illius me-
dicamenta, & vasa locare cum pacto,
ut conductor, pro quolibet centenario
pretii aestimati, solvat decem annua, &
in fine locationis restituat eadem Vasa,
& medicamenta ad taxam ejusdem pre-
tii aestimati?

Resp. Negative; quia contractus illi-
citus est, & usurarius; nam pensio de-
cem pro singulis centenariis est exorbi-
tans, & gravissima. Tum quia, cum me-
dicamenta ipso usu consumantur, non
possunt locari: nec Conductor illis uti

potest cum ipsorum destructione, perse-
verante eorum dominio apud Locato-
rem, ergo mutuo dantur, & quidquid
exigitur, est lucrum usurarium.

12. Si dicas, medicamenta illa esse per-
mutata cum aliis aequè bonis, ejusdem-
que pretii, reddendis à Conductore Ta-
bernae post decennium.

Ex hoc etiam, non vitas usuram; nam,
si sunt permutata, jam sunt facta Condu-
ctoris, ergo non potes sine usura, lu-
crum capere ex illis, quia praeter sortem,
suo tempore reddendam, exiges lu-
crum intermedii temporis de re, quae tua
non est; alioquin liceret locare horreum
plenum trecentis frumenti mensuris cum
pacto, quod, finito triennio locationis,
totidem frumenti mensuras, ejusdemque
valoris restituerentur: & pro locatione,
tum horrei, tum frumenti, quolibet an-
no durantis locationis, certam pensio-
nem conductor solveret: hujusmodi au-
tem pensionem lucrum usurarium esse
nullus negabit.

Nota, quòd, si pro usu solius horrei
pensio imposita esset proportionata, con-
tractus foret licitus; quemadmodum, si
illa decem annua darentur non pro usu,
& locatione medicamentorum, sed pro
usu, & locatione Tabernae, & instrumen-
torum, & servaretur aequalitas, contra-
ctus licitus esset, sicut sunt ceteri loca-
tionis, in quibus aequalitas pensionis, &
rei, domus v. g. locatae, servatur Gibal,
lib. 3. cap. 2. art. 8. consuet. 6.

13. Queritur, Paenitens Confessario
haec exponit; dedi Caio bis mille aureos
cum pacto, ut donec ego vixero, mihi an-
nuatim solvat centum, & post meam

(Ppp) 2 mor-

mortem, sortem principalem ipse lucratur, peto, an licite contraxerim?

Resp. Hujusmodi contractus nominatur apud DD. vitalitius, seu ad vitam emptoris census, quem licitum ex usu, & consuetudine probant; quod tamen factum est, nisi tres condiciones ferventur.

I. Ut Censui super re certa, & fructifera, domo, agro &c. & non super industria persona imponatur, juxta Coptit. B. Pii V. cap. super num. 2. quæ conditio non debet gravis videri. Censualista, sed utilis; liquidem, ubi constitueret sibi censum vitalitium super sola industria, seu persona censuarii, eo per mortem sublato, amitteret, & annuam pensionem, & pecuniam, qua censum emit: vel saltem difficile foret eam recuperare ex generali hypotheca bonorum, quæ, ut plurimum, non sufficiunt ad alios creditoribus satisfaciendum.

II. Ut justum sit pretium; judicium justii pretii census vitalitii esse debet vel Patriæ consuetudo, vel arbitrium boni viri, consideratis ætate, sanitate, robore, aliisque qualitatibus censualista. Vide Clericatum ad dec. quest. mense Septembr. 3. questio casu 2.

III. Ut pecunia, qua Censualista censum emit, ita sit Censuarii vendentis, ut nunquam ab eo invito repeti possit: nam, si præfata pecunia esset aliquando restituenda, vel posset repeti, non census liciti, sed mutui naturam contractus haberet, ut optime DD.

Quibus notatis: interrogetur pœnitens, an præfatas condiciones servaverit, nimirum; an pro censu fuerit res

fructifera assignata, & Cæsius ipse talis sit ætatis, & temperamenti, ut arbitrio boni viri possit justè ab eo exigere annuatim centum, pro quolibet centenariis, & an se obligaverit ad nunquam repetendum mille exbursata: & quatenus affirmet, resolvat licite, & sine lucro usuratio contractum vitalitium celebrasse.

Quia verò in hujusmodi censibus vitalitii datur occasio venditori optandi mortem emptoris census, debent Confessarii hujusmodi census suis pœnitentibus dissuadere; quamvis hæc venditoris malicia non immutet naturam contractus, dum est cum præfatis conditionibus celebratus. Duhamel cit. cap. 9.

14. Quæritur, peto pœnitenti a Confessario, an licitus sit contractus cuiuslibet dictus, dare à godere, quem celebrasse dixit cum Antonio: cui ego, an, dabo mille. Et ipse mihi agrum æquivalentem, ut ego agro, ipse vero pecunia fruatur usque ad restitutionem pecunie?

Resp. Affirmative, si contractus fiat in rebus utrinque fructiferis, & æqualitas servetur, de qua dubitandum non est, si pœnitenti Antonius daret fruendam Domum locabilem, ille verò Antonio agrum, nam fructus compensarentur fructibus; propterea, quem pœnitens celebravit, injustus est, quia pecunia, quam ipse Antonio dedit exlesterilis, & infructifera est, ager autem fructiferus, & hinc pœnitens gaudens agro, fruatur etiam fructibus, quibus non gaudet Antonius habens solam pecuniam: idcirco nulla æqualitas est in contractu, imò usura; quia ibi est usura, ubi est mutuum cum lucro, sed

In casu habetur mutuum cum lucro: nam penitens dat mutuo Antonio mille cum lucro percipiendo ex fructibus agri. Tambur. in Decal. lib. 3. tract. 4. cap. 7. §. 6. num. 3.

15. Quæritur, emit Franciscus nonaginta quinque aureis creditum centum aureorum, quod Petrus habet adversus Antonium, quos ipse Petrus, non nisi difficillimè, potest exigere, petitur, an contractus sit usurarius. Quod est idem ac quærere, an chyrographa debitorum possint licitè emi pro minori pretio, adeant, si pro debito debeantur mille, possit quis numerare Creditori obtingentia, cedenti pro obtingentis alteri suum creditum, & omnem suam actionem adversus debitorem?

Resp. Resolutio est ponderanda; nam Caramuel ex Chyrographis debitorum, emptis minori pretio, desumpsit argumentum ad inferendam eum, qui mutuatur nonaginta quinque aureos, posse obligare mutuatarium, ut post annum solvat centum; nam, si Chyrographum centum aureorum, solvendum post annum, emitur nonaginta quinque, ut post annum recipiantur centum; cur etiam non erit dicendum pecuniam presentem plus æstimari, quam futuram?

Ideo videndum, an difficultas in Petro exigendi debitum ab Antonio consistat in solo tempore, nec ad exigendum sit opus alio, quam expectare tempus; & tunc quidem usura est; nam Franciscus supra sortem ex sola dilatione temporis exigit quinque, & veluti mutuatur vendenti sibi anticipatam solu-

tionem pro quinque, post annum recipiendis supra nonaginta quinque. Nec servatur æqualitas inter emptorem, & venditorem, quoniam, si sola dilatio temporis sufficiens esset ad ponendam æqualitatem, mutuans centum recipienda post annum posset plus exigere; & mercator vendens merces credito justo pretio summo, posset ultra justum pretium ex solo titulo dilatae solutionis aliquid plus accipere; quod omnes reproband, & nos constanter asserimus esse iniquum? aliàs omnes usurae justificari possent.

Quare teste Engel. colleg. jur. Canon. lib. 5. tit. 19. §. 2. num. 12. Joan. De la Cruz direct. cons. 7. precept. quest. 5. ver. usura dub. 6. & Cardenas cit. cap. 7. cum quibus conveniunt DD. possunt sine iniustitia, minori pretio, emi credita, cum illa sine expensis, molestiis, & periculis à debitore acquiri non possunt, quia tunc illa credita ob adducta pericula, & sumptus minoris æstimantur; & addendum crederem necessarium esse, quod venditor roget emptorem, & huic essent significanda à venditore illa pericula, & expensa facienda.

16. Dices communiter asseritur, minus esse habere actionem ad rem, quam in re, sed creditor habet solam actionem ad pecuniam debitam, ergo pro minori potest eam vendere.

Resp. Ex de la Cruz, illud axioma intelligitur de actione, seu jure ad rem, quando adest periculum recuperandi illam, aut eum expensis, & labore recuperabitur, non verò cum ista non concurrant; sed tunc in contractu reperitur implicitum mutuum cum lucro, sicut, quan-

do venditur merces minori pretio ob anticipatam solutionem, censetur ab emptore mutuari venditori illud pretium anticipatum, ut accipiat illud plus rei, quod valebit tempore traditionis, vide *lib. I. cap. cit. n. 11.*

17. Sed quaeritur, an possit ipse debitor cred. cam minoris emere, quam valeat?

Resp. Negativè, si debitor ipse sit causa, cur debitum sit difficilis solutionis: ut in praxi contingit cum Potentioribus, qui adeo deficiunt creditores suos, ut eos obligent acceptare debitum in minori summa, vel in deteriori qualitate: qui sanè sine iniustitia, & summa iniquitate & onere restitutionis, nec possunt minori creditum emere, nec modo enunciato operari, Engel. cit.

18. Quaeritur, recipit Sempronius mutuo centum à Lelio ea lege, ut eos restituat initio mensis Aprilis; distulit Sempronius restitutionem usque ad Majum, Lelius petit aureos decem supra centum titulo lucri cessantis, quod propterea passus est, cum non potuerit, juxta solitum, aleis ludere, nec in ludo ad minus decem lucrari; petitur, an licitè Lelius petat?

Resp. Negativè, ratio est, quia ad exigendum in mutuo aliquid ultra sortem ratione lucri cessantis, requiritur, ut istud sit probabile, & moraliter certum, & non tantum possibile, ut eveniat. Alioquin in quovis mutuo semper aliquid supra sortem accipi licitè posset; sed lucrum, quod Lelius sibi promittit ex ludo, esto possibile sit, non est tamen probabile, aut moraliter certum:

quia nulla major incertitudo, quam in ludis lucrari, & aliquid acquirere; ergo Lelius non licitè petit, vide dicta *lib. I. cap. 31. num. 4.* ubi notavimus cum communi DD. inter condiciones à Theol. & Canonibus requisitas, ut liceat aliquid in mutuo exigere ultra sortem à mutuatario pro lucro cessante, unam esse, quòd ab initio mutuatarius fuerit de hoc monitus, & tale onus deductum fuerit in pactum.

19. Quaeritur, Franciscus ad triennium locat Antonio gregem centum ovium, aut aliorum animalium, ea lege, ut singulis annis pro fructu locati gregis, ipse Antonius solvat viginti aureos, cum onere, quod idem Antonius teneatur integram gregem conservare, & subrogare alias oves in defectum morientium, ac, si in alienatione, numerum locatum reddere, petitur, an Contractus sit iniustus, & Ujurarius?

Resp. Affirmativè; iniustus sanè, quia in contractu locationis, & conductionis (uti est praesens) reslocata est Locatarii, cui perit, si sine culpa Conductoris pereat, ut tradunt communiter DD. ergo, cum praefatus sit contractus locationis, & conductionis, necesse est, oves, quae sine culpa Antonii pereant, ipsi Francisco perire; ergo iniquè exigit, quòd aliae subrogentur in defectum morientium. Tum quia, supponatur, quòd decem oves pereant: tunc certè nequit Franciscus justè exigere integram pensionem (ac, si non perissent) etiam si aliae ab Antonio in ipsarum locum subrogentur: quia subrogatae non sunt Francisci, nam eas non locavit; & pensionem accipere justè non potest.

potest nisi pro illis ovibus, quas ipsi Antonio locavit.

Propterea, Contractus Usurarius, etiam probatur, non modo, quia ultra iustam pensionem (suppono enim illam constitutam inter contrahentes esse iustam) exigit sui gregis renovationem, quod est aliquid pretio aestimabile; verum etiam, quia cum Contractu locationis, videtur palliatus alter mutui, nam cum velit Antonium teneri ad subrogandas morientibus oves alias, praesumitur velle ipsas ipsi Antonio perire, consequenter eas esse Antonii; & ita non posset pensionem ex ovibus accipere, quia nullus ex re non sua potest pensionem iuste exigere; vel saltem non posset eam accipere ex ovibus de novo subrogatis, quia istae non fuerunt à Francisco Antonio locatae, apud Gibalplures.

20. Quæritur, paritens sedit mutuo centum Antonio, & suscepit in se, periculum sortis, hac lege, ut, si ipsa centum pereant, sibi, & non mutuario, pereant, propter quam assurationem exigit ab Antonio quinque pro quolibet Anno, petitur, an Contractus sit Usurarius?

Resp. Affirmative, ex dictis etiam lib. 1. cap. cit. num. 10. nam sic mutuus Usurarius iudicatur, & praesumitur ab Ecclesia, Cap. Naviganti de usur. quod exprimitur hæc verba: Usurarius est censendus. Iudicium in eo videtur fundari, quod ut plurimum Creditores suscipiant in se periculum ad palliandam pravam intentionem, quam gerunt, lucrandi ex pecunia mutuata: ex his autem, quæ ut plurimum accidunt, ju-

ra constituuntur, ut ex L. nam ad ea ff. de legib. Fagnan. discurret in §. Decretal. ad alleg. cap. Naviganti de usur. num. 22. quare quia opposita opinio viam ad palliatas usuras aperit, in praxi non est tuta.

21. Quæritur. Titius accepit mutuo à Cajo mille, ex quibus lucratus est centum, cui, restituo capitali, ob gratitudinem recepti beneficii sponte dat, alia triginta, quæritur, an Cajus possit ea exigentatuta conscientia recipere?

Resp. Non est dubium usuram esse, si mutuator aliquid supra sortem exigit ex benevolentia, & gratitudine debitum, prout patet ex damnata 42. proposito. quia igitur in proposito casu nullum pactum, nec explicitum, neque implicitum, fuit inter mutuantes, & mutuatarium, nec Cajus à Titio tale luerum, tanquam aliquo titulo sibi debitum, exigit, non apparet, quare non possit illud tuta conscientia recipere. Posset Titius cuicumque alteri rem suam donare, & iste tuta conscientia eam reciperet, ergo non videtur excludendus Cajus; alias mutuario deterioris conditionis foret, quam alter, qui beneficium mutuando non fecisset, Carden. cit. cap. 6. num. 49. Engel. §. 1. num. 3. aliique cum quibus, & juxta textum in cap. Consuluit de usur. teneas usuram esse mutuarum cum intentione, & spe, etiam mutuario non significata, recipiendi aliquid supra sortem, quocumque titulo id recipiatur, qui non sit, vel damni emergentis, vel lucri cessantis in pactum deducti, ab initio contractus.

22. Quæritur, An sit usura rem ob

ante

anticipatam solutionem minoris emere justo pretio, vel solvere minus, quam juste sit debitum?

Resp. Affirmativè. D. Thom. 2. 2. qu. 88. art. 2. ad. 7. Nam anticipatio solutionis pecuniæ habet rationem mutui, cuius quoddam pretium est, quod minuitur de justo pretio rei acceptæ. Atque ita in solutione rei valentis centum, dando anticipatè nonaginta, illa anticipatio solutionis reputatur mutuari pro decem, dum virtute ipsius diminuuntur decem de justo pretio rei emptæ: Ita etiam ex D. Antonino par. 2. tit. 1. cap. 8. §. 1. & §. 4. Ille, qui ad certum terminum dare debet, si ante terminum solvat, ut ei aliquid de debito dimittatur, usuram committere videtur, quia manifestè tempus solutionis pecuniæ vendit: unde ad restitutionem tenetur, nec excusatur propter hoc, quòd solvendo ante terminum gravatur: vel, quòd ad hoc à creditore inducitur, quia eadem ratione possent omnes alii usurarii excusari: hæc S. Doctor.

23. Queritur; *An usura sit, rem aliquam ob dilatam solutionem carius vendere justo pretio?*

Resp. Affirmativè cap. *In Civitate de usur.* in quo concordant omnes Theologi, & Canonistæ. In casu enim habetur mutuum occultum palliatum, & præsumptum, quatenus verbis, & exteriori figura contractus vendens ostendit celebrare contractum venditionis, sed revera latet occultum, & virtuale mutuum; quod ex intentione venditoris facile colligitur: Nam ex eo, quòd justum pretii solutionem ad terminum remittat, creditur, & præsumitur justum pretium

tempore contractus ementi mutuate ut, que ad diem, vel terminum dilata solutionis, ut accipiat aliquod lucrum, hoc est, supercrecentem quantitatem ultra justum pretium, Natal. *Alex. Theol. dogmat. reg. 15. de simonia.* Gonzalez. 15. tit. 19. cap. 6. n. 3.

24. Dicunt, Licet mercatoribus lucrari cum se pro communi utilitate, periculis, laboribus, & expensis exponant; ut autem lucrentur decem v. g. pro centenario, augendum est pretium pro expectatione solutionis.

Resp. Licet mercatores possint propter labores, expensas, & pericula lucrari, non tamen modo illicito, & injusto, sicut eveniret, si vendendo ad terminum, ob dilatam solutionem supra justum pretium aliquid perciperent: ita enim venderent tempus.

25. Dicunt 2. Mercatores se merces suas carius justo non vendere propter tempus, sed ad recuperandum damnum, quod ex dilata solutione incurunt. Quoniam si præsentem pecuniam solverentur, possent interim lucrari, quòd non valent, quia creditò vendunt.

Resp. Quòd si creditor inde lucrari possit, est etiam possibile quòd non lucretur, quinimò ut perdat capitale: Adeoque quia pro tunc non stat in periculo talis damni, nec potest stare in certitudine talis lucri. Tum quia tunc reportaret lucrum de re non sua, hoc est, de mutuo dato in emptione, quod sine usura non contingit.

26. Dicunt 3. Mercatores se merces suas carius vendere creditò, quam pecunia numerata, quia ut plurimum contingit, quòd debitores non solvant tempore

more statuto, & ad credita sua exigenda frequenter magna experia sunt faciendae. Quinimodò aliqui nunquam solvunt, quia recedunt, vel fallunt.

Resp. Simulti, quibus terminus concessus est, in termino non solvant, multi etiam solvunt: & tamen pretium, quod propter tempus mercibus additum est, non minuitur his, qui in termino constituto solvunt. Ideo aequè utriusque vendere terminum inaequalitas est & injustitia; justum enim non est, quòd in termino solventes, patiantur poenam pro non solventibus, & malis debitoribus. Ab illis itaque, qui in termino non solvunt, potest venditor exigere compensationem damni, quod pateretur, dummodò revera damnum interveniat. & de hoc onere eminentem monuerit juxta *cap. Pervenit de Testament.* Tum quia mercatores non coguntur talibus vendere: nec illis venderent, & crederent illos non soluturos; & ratione dubii in mutuo (quod est ibi implicitum) non licet sperare lucrum. Natal. *Alex. cit. reg. 15. ex D. Anonino.*

27. Quapropter, dum venditor suas merces vendit ad terminum, ultra quantitatem justii pretii propter expectationem, usuram committit, quia expectatio temporis cadit sub pretio. Secus dicendum de eo, qui justo pretio summo vendit, quamvis, si statim numeraretur pecunia, aliquid de pretio justo summo remitteret emptori, & contentus esset vendere merces justo pretio medio, vel infimo: semper enim servaret justitiam in pretio.

28. Petitur. *An venditio cum pacto retrovendendi sit usuraria?*

Matthaei Cantele Confess.

Resp. Affirmativè. Si venditio cum pacto retrovendendi sit simulata; ut si venditor rem venditam redimere cogatur: vel ipsi imponatur onus non redimendi, nisi post certum tempus; aut adjiciatur pactum de re majori pretio redimenda, quàm empta sit; vel, ut res venditoris non emptoris periculo pereat. Usura tunc palliatur: siquidem factus emptor simulato venditionis, & emptionis contractu aliquid ex mutuo virtuali intendit supra sortem accipere, cum rem sibi remanere nolit, sed redimi, ut interim fructus supra sortem accipiat: unde contractus ille est potius pignorationis, quàm venditionis. Natal. *Alex. reg. 12.*

29. Queritur. *Princeps constituit ut cuilibet militi pro quolibet die dentur tres panes, quarum valor in fine mensis ascendit ad summam novem juliorum. Cujus miles in principio mensis rogat Officialem, ad quem pertinet dispensatio, ut sibi loco panis menstrui conferat pecuniam; cui Officialis tradit septem julios: mense vero completo à Furnario, qui panem dedisset, recipit novem: Petitur, an Officialis tutus sit in conscientia, & sine usura illos duos julios recipiat?*

Resp. Nonnulli affirmant & inferunt ex periculo, cui officialis exponit suam pecuniam: Nam, si miles ex albo deleatur, officialis illam perdet: metus autem periculi perdendi capitale est pretio aestimabilis, cum anxietatem, & molestias generet. Videtur enim receptum propter periculum perdendi sortem posse in mutuo aliquid auctarium supra illam exigi; maxime, quia non potest cautione, vel pignore periculo providere.

(Qq)

Sed

Sed vera resolutio est, officialem sine usura non posse illos duos julios recipere: nam revera hic intervenit ad minus mutuum virtuale, præsumptum, & palliatum, cum officialis ex illa anticipata solutione lucratur duos julios supra septem. Et veluti propter dictam solutionem anticipatam vilius à milite emit panes, quàm valeant, quod non licet, ut communiter DD.

30. Nec purgatur crimen usura à periculo; nam potest ab eo se liberare non conferendo dictam summam, & sibi imputet, si miles non sit ad solvendum potens, non debebat ipsi credere. Unde cum miles sit dominus pecunie receptæ, officiali nihil restat, quàm actio repetendi dictam summam, idè nil potest supra ipsam recipere, & miles obligatur in conscientia sortem integram reddere.

31. Est commune, & certum usuram esse, aliquid ultra sortem exigere, vel accipere ob periculum facti, cui mutuans exponit rem suam dando mutuum. Nam mutuum per se ipsum gratuitum esse debet. Periculum verò facti ipsi mutuo coheret, & est ipsi intrinsicum; siquidem res mutuo data, & in dominium debitoris transiens, variis fortunæ casibus est exposita; fierique potest, ut ipse debitor ad inopiam redactus, impotens sit ad solvendum, idè metus periculi perdendi sortem in mutuo non est pretio æstimabilis, nec ratione periculi licet aliquid supra sortem exigere, vel recipere, aliàs quidquid propter ipsum reciperetur, acciperetur ex vi mutui, cui tale periculum insitum est, &

connaturale. Natal. Alex. Theol. moral. tom. 2. lib. 3. art. 2. reg. 3.

32. Quinimò, si propter periculum fortis, quod est mutuo intrinsicum, liceret aliquid pacisci, aut ultra sortem recipere, posset quis plus exigere à pauperibus, quàm divitibus, & mercatoribus; quia res mutuo data, minus secura est, & majorem cruciatum affert apud pauperes, quàm apud divites, & mercatores; Quod nullus non dixerit. Tum quia, si pro metu periculi fortis liceret quidquam supra sortem exigere ob eam molestantiam, quam causat mutuanti, ob eandem rationem liceret aliquid pretium exigere pro metu perdendi illud lucrum supra sortem, & sic deinceps discurrendum esset de metu perdendi alia lucra: atque ita excessiva lucra ex mutuo exigentur. Quod est absurdissimum, ut per Mayol. *Summa moralis* p. 2. sept. præcep. 9.6. art. 3. concl. 3.

Unde, quia miles in quemcumque statum deveniat, aut quocumque casu res pereat, manet semper obligatus ad solvendam sortem integram officiali, est manifestum id, quod ultra sortem hic exigat, ac percipit, exigi, ac percipi ratione mutui, adeoque cum usura; ut consultus respondi.

Et inde patet ad rationem ex adverso adductam; quæ similibus casibus aptari possunt.

33. At, quid dicendum de eo, qui mutuatur alteri, sed aliquid supra sortem recipit, eo quod in se suscipit periculum fortis (quod dicitur periculum juris) adeoque quocumque casu capitale pereat, sibi perdat, & mutuatarius liber sit ab onere ipsius restituendi?

Resp.

Resp. Usurarius censendus est ex c. *Naviganti de usur.* ibi: *Naviganti, vel eunti annundinas certam mutuans pecunie quantitatem, pro eo quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus.* Gonzalez in 5. tit. 19. cap. 19. Fagnan. *ibid.* ad allegat. cap. de usura. Huiusmodi enim pacta apertissima sunt ad palliandas usuras. Nam, cum mutuans paciscitur, ut sortis periculum ad se pertineat; & propterea aliquid supra sortem lucratur; persumitur lucrum ab eo recipi propter mutuum, & susceptionem periculi adhibitam esse ad palliandam usuram. Ad quam quidem palliationem renouendam sub colore periculi suscepti emanavit d. Decretalis. Ided ab eis abstinendum est; & hoc injungendum poenitentibus, usque qui pro consilio accedunt. Interim videatur Fagnan. *ibid.*

34. Quæritur. Titius mercator artis sericae eget ministris in officina, quibus deberet quoties mense pro seruitio solvere quinque aureos, loco quorum conferri telas texendas, cum promissione eas continuandas, ut ita lucrari valeant: petitur, an à mercatore committatur usura?

Resp. Affirmativè. Nam censetur ministris mutuare provisionem, & continuationem telarum, ut inde recipiat lucrum aureorum, quos deberet eis conferre in stipendium seruitii, quod intendit sibi gratis præstari, ipsumque solvit mercede textricibus debita. Quoniam certum est pro textura telarum debere mercatoris textricibus, aut textricibus ex iustitia pro singulis ulnis solvere in mercedem laboris V. G. septem obolos, aut bajoccos. In casu Titius hæc

non solvit, atque ita gratis seruitium exigit: vel non solvit, nisi in mercede debita labori textentium. Quapropter non de suo solvit, sed de realiter debita, adeoque cum manifesta iniustitia; à qua Titius non excusatur, ex quo ministri acquiescant quia non spontè consentiunt, sed coactè, ut necessaria ad vitam sibi acquiritant.

Ita corripienda est nonnullorum mercatorum praxis, qui mulieribus tradentes lanas ad filo torquendas, & vestes, ut eas reapient, ac ad ulum reddant, eis, etiam invitis, solvunt mercedem laboris, non in pecunia, sed in mercibus, ut plurimum deterioribus, quibus ipsæ vel non egent, aut quas minori pretio alibi reperirent. Nec sunt absolvendi, nisi à corruptela cessent: saccharo vitis iniusti lucri, & palliatæ usuræ condientes.

35. Quæritur. Titius tradit Cajo mercatori mille nummos aureos in societatem, spe lucrandi centum triginta. Ex hac summa lucri sperati Titius remittit Cajo sexaginta nummos, ut Cajo in se suscipiat periculum sortis principalis mille aureorum, ad eum quisquis fuerit negotiatus exitus, debeat Titio d. summam mille aureorum reddere. Rursus Titius eidem Cajo remittit alios viginti nummos, ut sine ullo prorsus periculo damni ex fortuitis casibus interdum contingentibus quinquaginta nummos residuos lucretur: petitur, an contractus licitus sit, & ab usura immunis?

Huiusmodi contractus dicitur contractus trium contractuum. Primus dicitur contractus Societatis, in quo unus

(99) 2

pecu-

pecuniam, alter vel tantam pecuniam, aut operam, & industriam confert? ita ut ambo lucrum, & damnum participant. Secundus dicitur asecurationis fortis, sive capitalis, quo unus socius cum consocio paciscitur de securitate capitalis, ne pereat, & pro tali securitate dat consocio aliquid pretium, vel tantumdem de lucro sperato remittit. Tertius dicitur venditionis lucri incerti majoris ex negotiatione sperati pro lucro certo minori. Atque ita socius, qui pecuniam confert, ac de securitate sui capitalis pactus est, cum consocio rursus paciscitur de certo lucro minori pro incerto majori sperato: propter quod ex quindecim, quos pro quolibet centenatio posset pro sua parte probabiliter lucrari, remittit consocio decem, ut iste suscipiat in se onus reddendi socio lucrum quinque aut eorum pro quolibet centenatio in omni eventu; hoc est, sive ex negotiatione lucrum reportetur, sive non.

Nonnulli apud Gibalin, lib. 6. art. 1. cap. 3. de usu fori Lugdunen. tradunt huiusmodi contractum esse licitum, & absque labe usurae celebrari; nam tres enunciati contractus divisim non sunt prohibiti, & usurarii, ut DD. communiter. Ergo etiam, dum simul celebrantur; cum non sint nisi contractus societatis, asecurationis, & venditionis, in quibus nihil est, quod merito reprehendi possit.

Contra quos est communior opinio DD. tum veterum, tum Recentiorum. Natal. Alex. theol. moral. tom. 2. tom. de peccat. cap. 7. art. 4. regul. 24. de usur. Duhamel. theol. moral. tom. 2. tit. de

just. & jur. dissert. 3. cap. 9. Mayol. cit. art. 11. §. 2. aliique plures apud Gibal. ubi supra. Secundum quam in praxi est iudicandum. Nam in eo contractu quid aliud facit Titius, quam mutuo dare mille, & octoginta, ut quinquaginta supra fortem recipiat, & lucretur: Quare huiusmodi contractus ex conjunctione in eum finem tendunt, ut ex mutuo ultra fortem lucrum reportetur, navesque socius habeat caput sanum, & alter fractum, ut loquitur S. Joan. de Capistrano de usur. 2. pe. 2. part. num. 89. allegatus à Gibalino cit. art. 1. num. 1. Consequenter inter Titium, & Cajum non servatur essentia societatis: non enim concurrunt æqualitas damni, & lucri. Tum quia, per contractum asecurationis capitalis, & lucri minoris certi destruitur societas, & in mutuum transformatur. Siquidem Titius nihil amplius de suo habet in societate, per quod communicet cum Cajo: Cum hoc ipso, quod periculum pecunie in socium transfuserit, etiam illius dominium transfuisse præsumatur: aliis non Cajo, sed sibi pecunia perire deberet; quia res Domino perit.

Quare ratio in oppositum producta non concludit. Quia dicti contractus ut juncti sunt iniqui. Manu rem alienam palpare, eam manu claudere, & fugam capere sunt actus, qui separati non sunt prohibiti; sed conjuncti, hoc est, cum rem aliena fugere, furtam continent.

36. Queritur, An sit usurarius impium legis Commissoria, in hoc consensu, ut creditor pignus accipiat pro mutuo ea conditione, ut, si debitor proximo tempore non solvat, pignus illud

illud vendatur, vel retineatur à creditore pro quantitate sibi debita?

Resp. Affirmative. Textus expressus in cap. Significante de pignorib. Nam ultra sortem aliquid exigere, vel accipere, aut obstringere debitorem, ut aliquid emat, vendat, vel locet, etiam iusto pretio, usurarium est; cum ei imponatur obligatio pretio assumabilis, ad quam non tenetur. Nec obstat, quòd debitor ea de re convenerit. Quoniam non liberè, sed coactus inopia pecunia id agere censetur, sperans, se pignus intra tempus præfinitum posse redimere: Qua inopia sit, ut ad diem statutam pecuniam receptam solvere non possit, & quòd creditor rem pretiosam pignori datam lucretur. Natal. Alex. cit. reg. 8. Gonzalez in q. tit. 21. cap. 7. de pignorib.

37. Nec sola mora debitoris est legitimus titulus, ut possit Creditor pignus retinere, vel distrahere, aut quidquam supra sortem exigere. Nam quidquid supra sortem exigitur, & percipitur, etiam post moram debitoris, nullo interveniente damno, vel lucro cessante, cum usura percipitur. Quinimò, etiamsi lucrum ereditori cessaret, vel damnum sequeretur, non posset iuste supra sortem quidquam exigere, nisi debitor propria culpa in mora solvendi esset constitutus.

38. Quare, concurrente lucro cessante, vel damno emergente, potest mutans aliquid supra sortem exigere, ut communiter DD. Nam tunc lucrum non provenit ex vi mutui, nec est fructus pecunie mutuatae, sed ex alio titulo; ad compensandum nimirum pro damno emergente, vel lucro cessante.

39. Cæterum, ut titulo damni emergentis aliquid iuste supra sortem exigi possit, plura requiruntur.

I. Ut damnum acceptum sit reale, & certum, non dubium, & fictitium.

II. Ut damnum procedat ex mutuo. Nulla enim ratio habenda est de damno aliunde proveniente, quàm ex occasione mutui: Sicut enim creditor non tenetur debitori cum proprio damno beneficium præstare, ita debitor non cogitur ad aliud damnum compensandum, præter illud, quod creditor accipit ratione mutuatae pecunie.

III. Ut damnum proponatur debitori, & in stipulationem deducatur, cum mutuum accipitur à creditore, ne invidus cogatur illud onus subire.

IV. Ut damnum sit æquale compensationi, quæ exigitur à debitore; qui cogi non debet, ut paciscatur de compensatione damni incerti, & possibilis.

V. Ut pactio de compensando futuro damno respiciat casum, in quo debitor sua culpa fuerit in mora restituendi pecuniam mutuata. Nisi versaremur in casu damni certò imminentis, & presentis, & nihilominus debitor instaret pro mutatione pecunie suscipiendo onus compensandi damnum.

VI. Ut compensatio damni non ante exigatur, ac à debitore percipiatur, quàm damnum acceptum sit. Alioquin creditor commodum ex mutuo perciperet, & plus exigeret, quàm deberet. Natal. Alex. cit. art. 2.

40. Pariter, ut titulo lucri cessantis quidquam supra sortem possit iuste accipi, debent nonnulla concurrere, quæ titulum iustificent.

(Qq) 3

I. Ut

I. Ut mutuarius à mutuante de lucro cessante moneatur; aliàs non posset ei innotescere, an contractum celebrasset cum conditione aded onerosa.

II. Ut mutuarius relinquatur in sua potestate ad talem contractum celebrandum.

III. Ut lucrum illud verisimiliter perceptum fuisset à mutuante, nisi mutuum dedisset, & ut occasione mutui, & non ex aliis causis extrinsecis eo privetur.

IV. Ut pactum de compensando lucro cessante referatur ad casum, in quo mutuarius fuit sua culpa in mora reddendi sortem. Omne enim pactum citrà moram debitori culpabilem, mutuo adjectum, ut forti aliquod augmentum fiat, usurarium esse censetur.

V. Ut propter lucrum cessans nihil percipiatur ante tempus, quo creditor ex negotiatione, arte, aut re frugifera, ad cuius emptionem pecunia mutuo data destinata erat, percepisset. Ita mutuans, qui convenit cum mutuuario de pretio lucri cessantis, non potest à principio recipere, quod recepturus est, v. g. anno exacto; aliàs si mutuaret centum pro decem ad compensandum in fine anni lucrum cessans, & statim illa decem acciperet, non centum, sed solum nonaginta conferret; atque ita non ex centum, sed ex nonaginta durataxat lucrum cessaret.

VI. Ut res mutuo data, aut negotiationi sit exposita, aut proximè vera, & efficaci preparatione animi sit destinata ad negotiationem, vel emptionem rei frugifera; à quo non ad mutuantis ar-

bitrium avertatur, sed ad preces mutuarii, qui dictam summam mutuo petit. Atque ita non sufficit, ut pecunia potuerit negotiationi exponi, aut ad emendam rem frugiferam referri: Si quidem illa potentia est remota, cujus nulla ratio habetur, ut lucrum propter mutuum cessare censetur.

VII. Ut mutuans in illam aliam pecuniam otiosam habeat, quæ in locum ejus, quæ mutuo data est, possit ad negotiationem, & emptionem opportunam ex sincera voluntate faciendam substitui. Verùm non reputatur habere pecuniam otiosam; tamen habet aservatam ad alimenta, & provisionem familiæ, ad dotem filiarum, ad casus fortuitos, ut sunt morbi, incendia, lites emergentes, & similes.

VIII. Ut priusquam à mutuuario exigatur, & percipiatur compensatio lucri cessantis, deduci debeat pericula, & impensæ, quas debuisse creditor in acquisitione lucri præstare.

IX. Ut mutuans ad mutuum dandum ex charitate, & non ex spe, desiderio, aut cupiditate lucri percipiendi moveatur. Hinc advertat Confessarius, quod si aliqua dictarum conditionum deficiat, mutuans occasionem mutuandi querit, ut ex eo lucrum faciat, & alterius damno locupletetur.

41. Queritur, an usurarius sit contractus Antichresis dictus, quo creditor pro asscuracione capitalis mutui datur recipit à debitore pignus frugiferum, & fructus interim percipit, non computans eos in sortem principalem?

Resp. Affirmative; nam supra sortem aliquid recipitur. Fructus enim pignoris

ris computari debent in sortem principalem, ut expressè tex. in cap. *Cum con-*
tra de pignoris. Quare, cum mutuans
non sit dominus pignoris, sed ejus do-
minium pertineat ad debitorem, pignus
pro debitore fructificat; cui vel resti-
tuendi sunt fructus, quorum dominium
ad eum spectat, vel si creditor eos acci-
pit, cadunt in solutionem debiti, &
ipso jure sortem principalem minuunt.
Creditor enim accipit pignus non ad lu-
crum, sed ad securitatem debiti. Tene-
turque ad fideliem illius custodiam, &
sumptus necessarios facere, ut illatum
serveat. Debitor verò obligatur ad resar-
ciendas expensas necessarias, & utiles
factas à creditore circa rem oppigno-
ratam.

Expense necessarie dicuntur, quibus
non factis res oppignorata periret, vel
deterior evasisset: ut est ædificia ruentia
reparare; oliveta restaurare; arbores
curare: flumina avertere, &c. Utiles
verò sunt, quæ meliorem rem faciunt,
& ex quibus redditus Domino acquiritur.
Non tenetur tamen ad voluptua-
rias, quæ sunt ad ornatum, sed fructus
non augent. Natal. Alex. cit. regnl. 9.
Gonzalez in 3. tit. 21. cap. 6.

Attendant Confessarii verba Cabasut.
prax. lib. 6. cap. 7. nn. 8. ubi ad praxim plu-
ra habet, eaque dirigit ad ipsorum
instructionem, dicens. Si creditori, nul-
latenus petenti, aliquid à mutuatario
detur gratiò, poterit sine scenore, vel
peccato recipi. Verùm non est facile
presumendum Dñe oblatum esse gra-
tuitum. Munera enim quandoque à de-
bitoribus afferuntur metu severioris ex-
actionis, cui se impates agnoscunt ob-

paupertatis angustias: si munera ista
sunt pretiosa, aut pecuniaria, presu-
mendum est non esse spontanea: item,
si debitor inopia laboret, debet credi-
tor oblata omninò recusare, ne occasio-
ne alienæ paupertatis locupletetur; si
ve. òlevia sint munuscula, nec pecunia-
ria, nec difficile parabilia, censeri po-
terunt ex spontanea animi gratitudine
proficisci, atque ita licebit recipere;
hæc ille.

Ex quibus videtur deduci, quòd mu-
tuans pecuniam etiam absque ulla lucrì
spe, & intentione, dum recipit à mu-
tuatario, dante ex sua spontanea libe-
ralitate aliquid supra sortem, debet
censeri dari non spontè, si adhuc sor-
tem non restituerit; vel, sit talis condi-
tionis, ut sæpè sæpius egeat pecuniis ad
negociandum: vel, debet colligere,
quod det, ne fors repetatur: vel, ut
alias mutuo faciliter pecuniam recipiat;
alias non recepturus. Maxime, quia
receptum mutui beneficium non obligat
ad certum, & determinatum gratitudi-
nis actum in specie, sed ad aliquam gra-
titudinem in genere, ut dixit Engel. Sed
potest se gratum ostendere exhibendo
aliud gratitudinis signum, vel verbis,
vel factis, vel obsequio: Quæ tamen
ipse mutuans nec exigere potest. Quæ
doctrina apta videtur ad plures diffi-
cultates enodandas; & ideo à Confessà-
rio notanda.

22. *Quæritur, Super quo interrogan-*
duus penitens aperiens in Confessione se ex
mutuata pecunia recepisse aliquid supra
sortem propter damnum emergens, vel
lucrum cessans?

Resp. Debet petere, an ipse ultro, &
non

non rogatus dederit mutuò pecuniam, quamvis prævideret sibi ex eo aliquòd lucrum debere cessare; & dum affirmat, ad restitutionem obliget, quia sibi, & non mutuuario imputare debet cessantia lucri. Si verò rogatus dederit, quærat: an prius, quàm mutuuum daret, habuerit voluntatem veram, & efficacem impendendi eam pecuniam aliis licitis, & lucratoriis negociis, ex quibus probabiliter, deductis expensis, sperasset tale, vel tale lucrum reportare, & id mutuuario aperuerit: ac se non posse dare mutuò, ne tale lucrum amittat; vel ne damnum patiat; & tunc, si adhuc mutuarius voluerit pecuniam mutuò recipere cum onere tale compensandi lucrum, poterit receptum, ad justam ratam lucri cessantis, vel damni emergentis, retinere.

Hinc eos pœnitentes redarguat, qui excusationes quærunt in peccatis, quorùm aliqui fundant interesse ex mutuò, licitè recipiendum in hoc, quod possent mutuatam pecuniam exponere legitimo lucro: cum tamen nullum ad id habeant, aut habuerint efficacè propositum; & alii protestantur, se non permissuros, ut sua pecunia arcis inclusa otiosa maneat: cum tamen, aut solùm intendant ex mutuò lucrum; vel saltem de aliis modis lucrandi, nil certò, aut efficaciter proposuerint, nisi fortè solo illo casu, quo fidi mutuarii non occurrerent, quibus tuto cum scœnore suam pecuniam crederent; propterea hujusmodi propositum præposterum est, & consequens mutuuum, idèò insufficientes ad exigendum lucrum cessans.

23. Quæritur, an juramentum sol-

vendi mutuantis lucrum usurarium ex mutuò obliget?

Resp. Affirmativè ex cap. debitores de jurejurando, ubi hæc sunt: *debitores ad solvendas usuras, quibus se obligaverant, cogi non debent, si verò de ipsarum solutione juraverint, cogendi sunt Domino reddere Sacramentum, & cum usura soluta fuerint, creditores ad eas restituendas sunt Ecclesiastica severitate, si necesse fuerit, compellendi.* Circa quæ ponderandum, quod jurans non tenetur ex justitia usuras solvere, quia contractus solvendi de se invalidus est, sed tenetur solùm ex virtute Religionis erga Deum, ne falsò juret, ipsius nomen adducendo in testimonium falsi. Unde videas, quòd juramentum de solvendis usuris non est de re illicita; quamvis mutuarius promittendo, & jurando usuras solvere peccare possit: vel, quia nulla prorsus necessitate, vel honestate petit, & jurat; vel, quia alterum promissione ulurarum ad mutuandum inducit: & in his circumstantiis juramentum etiam servandum est; quia licèt fuerit modo illicito præstitum, & jurando peccaverit, non fuit tamen de re illicita; nam solutio usura sine peccato impleri potest, quia potest, immò debet, mutuator eas reculare. Vide Layman. lib. 4. tract. 3. cap. 7. num. 1. Gibal. hb. 1. cap. 9. art. 7. num. 7. Engel. cit. §. 1. num. 12. Poncium disp. §. 3. quest. 3. num. 12. & lib. 1. cap. 31. num. 29. Campion. 2. part. instruct. ad Confes. cap. 28. num. 15. & solvens, ex causa justa solvit, ut sit fidelis.

24. Quæritur, Super quo sint interrogandi à Confessario Ministri Mortis Pietatis?

Resp.

Resp. Praefens notitia erit Confessario, in Civitatibus Confessionibus exposito, necessaria, sed.

I. Suppono, ex Concil. Lateranensi sub Leone X. quod Montes Pietatis sunt liciti, non usurarii, sed pii, religiosi, & laudabiles: instituti ad occurrendum usuris, quas frequenter pauperes, & indigentes feneratoribus, & praecipue Judaeis, cogebantur solvere.

II. Quod Mons Pietatis est quantitas pecuniae a testatoribus, vel aliis Christianis destinata, ut mutuetur indigentibus, ad quam, quasi ad Montem, refugium habent.

III. Leges, quibus gubernatur Mons Pietatis, ad tria reducuntur: I. Ut mutuetur pecunia Montis pauperibus: II. Ut mutuarius pignus deponat custodiendum per Ministros Montis, & vendendum intra certum tempus, si pecunia mutuata non restituatur, ut ex pretio venditionis recuperetur pecunia mutuata, & residuum Domino pignoris reddatur. III. Ut aliquid moderatum, absque lucro eorumdem Montium, ad solas Ministrorum expensas, & alias, necessarias pro pignorum, & pecuniae custodia, quilibet mutuarius supra sortem conferat, prout idem Concilium sess. 10. quia iustum est, ut à quocunque exigatur pretium pro labore, & expensis, factis in gratiam ipsius: sed expensa, quae sunt in Monte, & labor, ac assistentia Ministrorum fit in gratiam pauperum, ergo iustum est, ut pro iis solvant, quibus notatis,

Dico esse interrogandos, an in pignorum recipiendis, & pecunia egenis mutuanda, fuerint tardi, morosi, as-

Marthaeus. Cautela Confess.

peti, vel difficiles. II. An munera extorqueant, vel aliquod premium pro recipiendis pignoribus. III. An pecunias totas, non iusti ponderis, vel numeri, aut difficiles ad expendendum eisdem tradiderint. IV. An pignora in proprium usum converterint, aliusve ad utendum concellerint. V. An divitibus in praedictum pauperum, ipsis indigentibus exclusis, aut neglectis, summam notabilem pecuniae dederint. VI. An in venditione pignorum fraudes fecerint: & ea, simulato aliorum emptorum nomine, vili pretio sibi retinuerint, vel omiserint quanti plurimi vendere, aut restituere Domino pretium, excedens sortem mutuatae. VII. An in alios usus expenderint, vel minuerint Sacri Montis pecuniam, collectam, & conservatam ad mutuandum indigentibus. Contra transgressores, in locis Romano Pontifici subjectis lata est excommunicatio Summo Pontifici reservata in constit. onerosa la 82. Pauli V. in Bullar. Cherub.

CAPUT XXV.

Prop. XLIII. & XLIV. ab Innoc. XI. Sc.

Detractio, & peccata lingua.

I. **PROP. 43.** *Quidni, non nisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?*

PROP. 44. *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam iustitiam, & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile,*

(Rrr)

bile,

bile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

2. Authores propositionum, quicumque sint, voluerunt, nec mortaliter, nec contra iustitiam peccare, eum, qui, sive intra iudicium, falsum crimen falso testi, & accusatori ad defendendam suam vitam, sive extra iudicium, ad tuendam suam famam injusto detractori imponit, contra quos Inn. Decretum edidit; est nam certum in nullo casu esse licitum mendacium, utpotè intrinsecè, ac indispensabiliter malum ex dictis supra cap. 17. quod semper mortale est, quoties quis mentitur, & falsum dicit in materia gravi, sed, qui imponit falsum crimen alicui, quamvis falso testi, & detractori, in materia gravi falsum dicit, & mentitur, ergo mortaliter peccat; major est certa, nec revocari debet in dubium, ex dictis locis minor etiam patet, quia imponens falsum crimen alicui, ipsum graviter damnificat, injustum damnam interens in bonis famæ, & contra mentem loquitur. Tum quia, quilibet habet jus ad suam famam, & est suæ famæ Dominus, ergo absque injuria non potest invitus privari, ergo, qui ipsum infamat per impositionem criminis falsi, ei in re gravi injuriam facit, ergo graviter peccat contra iustitiam, adeoque mortaliter, dum proximi famam lædit, quæ maximi momenti bonum est, & excellentius fortunæ bonis; ergo, quemadmodum mortaliter peccat, qui in his aliquem graviter damnificat; sic, qui proximum infamat; quod est ita certum, ut nec, post decretum Innocentii, oppositum sit probabile; ad quod

attendat Confessarius, ne in excipiendis detractorum, & calumniantium Confessionibus erret: cui ad uberiorem instructionem, quamplura alia, ad materiam detractionis, & contumelie pertinentia, ac de cæteris peccatis linguis, subnecto.

3. Supponat I. Quod fama, est bona opinio plurium de vita, & moribus alterius; hæc habentes dicuntur habere bonum nomen; ex quibus habetur, infamiam in mala opinione de moribus, & vita consistere.

4. II. Quod honor est restitucio externa excellentiæ alterius. Dicitur facta ab honore, quia illa consistit formaliter in iudicio, & interna opinione de bonitate, & virtute morali alterius; honor autem in externis signis, quibus protestamur aliquem æstimare, & excellentem esse: quod fit factis, ut genuflexione, corporis inclinatione, aperiuntione capitis, spontaneo famulatu, &c. vel verbis, ut, alterum honorifice appellare sapientem, magnificum, nobilem, &c.

5. III. Quod potest lædi honor, & non fama: si in occulto, nemine vidente, alapam impingis viro ingenio, & honorato; vel nemine audiente, falsa crimina objicis, vocando furem, spiritum, plebejum, honorem lædis, quia ipsum contemnis, & non famam, cum nullus ex eo malam opinionem de illo concipiat. Potest quis aliquem honorare, & de illo malam famam, & opinionem habere; sic plures Principes, & viri honorantur, qui apud honorantes ob crimina, & perditos mores bonum nomen non habent.

6. IV. Quòd contra honorem, & famam sunt duo præcipua peccata, oris, & linguæ: detractio, & contumelia: detractio lædit famam proximi, eam occultè, & in absentia denigrando, & minuendo; contumelia verò honorem in præsentia aufert: unde ex parte objecti essentialiter differre notavit Joan. De la Cruz *direct. consc. 8. præcept. quest. 2. de detract. num. 1.* sicuti differunt honor, & fama. Contumeliam esse peccatum gravius detractio in Confessione explicandum, dixit Quilici *Confess. manud. q. 7. art. 2. nu. 25.* nam certè per contumeliam major injuria proximo injuriato inferitur.

Verùm, etiam in præsentia potest fama denigrari, ut, si alicui, pluribus audientibus, occultum vitium objicias, & tunc, tam famam, quàm honorem lædis, cum onere restituendi utrumque.

7. Quæritur, quid sit contumelia?

Resp. Cùm contumelia significet contemptum, & dehonorationem proximi, definitur: *est injuria, qua quis lædit alterius honorem, factis, vel verbis in præsentia exhibitis, vel prolatis.* Tribus modis honor læditur: *verbo, scripto, & facto;* contumelia fit verbo, & est contumelia strictè, dum injuriosè alteri sua peccata objicis, ex quorum notitia dehonoratur, & contemnitur; ut, si Petrum voces furem, ebrium, mendacem; vel est convicium, ut si per contemptum objicias alteri, id, quod in eo peccatum non est: ut, si voces Judæum, cæcum, gibbosum; seu improprium; ut, si alteri injuriosè exprobes beneficia, quæ tu ipsi contulisti.

Contumelia fit *scripto*, per eos, qui famòsos Libellos componunt: est Libellus famosus ex Ameno de *pen. tit. 5. §. 5. num. 2. scriptura alicujus, occultam infamiam continens, publicata, ut ne scientibus innotescat;* & censetur famosus, licèt in eo publicetur crimen verum, modò sit occultum; nam semper honor, & fama alterius læditur. Authores, & Compositores Libellorum gravissimè peccant contra justitiam, quemadmodùm, qui eos inveniunt, scientes esse famosos, non lacerantes, sed manifestantes, ut observat Layman; sed non sunt de facto excommunicati in Bulla B. Pii V. *Romani*, & Greg. XIII. *ea est*, sub Anno 1572. ut incautè quidam scripserunt; quod ex Bullar. Cherub. est manifestum; qui etiam voluerunt componentes præfatos contra Ord. Prædicat. & Minor. ligari excommunicatione Papæ reservata ex Const. *ex alio Ale. IV.* cum tamen Pontifex disponat solum, contra eos, qui non lacerabant libellum, tunc temporis contra præfatos Ordines editum.

Facto tandem fit contumelia, ut si percutias aliquem Chiroteca, vel alapa, & arundine, ut ostendas eum parum æstimare, vel aliis signis ipsum contemnere significes.

8. Quæritur, an contumelia sit ex suo genere peccatum mortale?

Resp. Affirmativè, quia proximum lædit in honore, qui est bonum præstantius divitiis, & idèò est gravius furto, *cit. De la Cruz de contumel. conc. 3.* Est ex suo genere mortale, lædens justitiam, sine qua non potest servari charitas cum proximo, cum charitas velit proximo bonum,

bonum, calumnia verò auferat illud honoris. Materia gravis, per se sufficiens ad peccatum mortale in contumelia est exprobrare alicui crimen mortale: quia nullus est, qui per similitudinem exprobrationem graviter non offendatur; per accidens autem, potest etiam esse defectus venialiter peccaminosus, vel solummodo naturalis; nam esse potest, ut alicui, ob suam dignitatem, & conditionem personæ, ut si in Prælatus, Confiliator, &c. tam displiceat exprobratio defectus naturalis; ut quod sit illegitimus: vel solum venialiter malus, ut si affirmes eum sapere, quamvis non in re gravi, mentiri; ac homini plebejo, militi, &c. displiceat, si obijciatur defectus mortaliter peccaminosus, ut accubuisse cum meretrice, blasphemasse, &c.

Potest tamen à mortali excusari, vel per inadvertentiam, vel ex levi injuria, ut si materia, de qua loqueris, non sit gravis, nec graviter contumeliosa.

Notat Marchant. regulariter non esse mortale dicere de aliquo esse superbum, avarum, iracundum, &c. quia ordinariè hæc non accipiuntur, ut sonent peccata mortalia, sed, ut denotent naturalem inclinationem; verum ex circumstantia, tam personæ, de qua dicuntur, quam audientium, qui possunt ea accipere pro gravibus vitiis, possunt esse mortifera; ideo quisque cautus esse debet.

2. *Quæritur, quid sit detractio?*

Resp. Est injusta ablatio, seu denigratio fame alterius, absentis; Est ex suo genere mortale, quia per eam leditur proximus in fama, quæ est pretiosior cunctis opibus; si ve loquamur de

detractioe formali, qua defectus alterius publicantur cum intentione explicita infamandi; si ve de materiali, qua quis defectus proximi manifestat, sed non cum formali, & explicita intentione nocendi, sed ex quadam loquacitate, & malo habitu; nam saltem animam virtualiter nocendi habet, cum manifestet ea, quæ ex sua natura possunt infamare; verum in primo casu est gravius peccatum. Ex levitate materiæ, & perfecta advertentia potest esse veniale; levitas materiæ relinquitur consideranda prudentiæ Confessarii, quam debet desumere vel à qualitate personæ, cui detrahitur: vel an, quod de eo dicitur, sit parum, vel multum noxium: vel ex qualitate Sermonis, ut, si crimen, vel defectus sit levis. Layman. cit. cap. 3. Quilicini 35. Marchant. res. pastor. cap. 8. circa 8. præcept.

10. *Quæritur, quot modis solent crimen detractiois committi?*

Resp. Duobus, directè, & indirectè: directè quatuor modis eontingit. 1. Si falsum crimen alteri imponas. 2. Si verum crimen falsis circumstantiis aggravas. 3. Si crimen verum, sed occultum, publices. 4. Si opus ex se bonum, mala intentione factum affirmes; quod si sine fundamento judices, etiam judicium temerarium facis, & dupliciter peccas.

Indirectè verò accidit. 1. Dum affirmas Petrum, v. g. non fecisse opus bonum, quod revera fecit. 2. Si malitiosè alterius bonum taceas, quando teneris revelare: ut, si aliis Petrum laudantibus, subjicias, ego taceo: vel frontem contrahas, aut humeros con-

fringat. 3. Si alterius virtutes minuas, aut frigde laudes.

11. Quæritur, an peccet peccato mortali detractio, quæ ab inquirentibus informari de persona Petri interrogatus: an cognoscat Petrum, affirmat, sed statim subdit, ego de eo volo tacere, relinquamus ipsum, vel, est optimus vir, sed...: illa est honesta femina, sed...?

Resp. Affirmative; nam est detractio, & mortalis, ex Quilici num. 35. sic enim respondens operatur, ut audientes bonam opinionem erga Petrum, & feminam illam deponant, vel suspicionem concipiant.

12. Quæritur, an sit mortale revelare sine rationabili, & urgenti causa viro prudenti de quo presumitur non publicaturum, verum crimen occultum, Franciscum, v. g. commississe adulterium cum Berta?

Resp. Aliqui apud Poncium *disput.* 52. qu. 8. an. 41. & Layman. *cit. cap.* 3. nu. 6. dixerunt non peccare mortaliter, qui lædit famam alterius apud unum virum prudentem tantum, qui non publicaret defectum significatum aliis: maxime, si ex levitate, vel loquacitate occultum crimen revelaret, ut alii docuere apud Anton. à Spiritu Sancto *director. Confess. tract.* 11. de detract. sect. 6. Quorum opinio in praxi tuta, nec probabilis admittitur; nam certè Francisco graviter displiceret, quod prudens ille vir defectum ipsius sciret: viri enim cordati plures æstimant habere bonum nomen apud virum gravem, quam apud multos vulgares. Hsung. *tract.* 4. *disp.* 3. qu. 3. §. 1. *num.* 105.

Addo, quod, si id liceret, posset occultissimum crimen paulatim fieri publicum apud multos, nam, si licet uni crimen occultum proximi revelare, huic etiam licebit alteri aperire, & sic deinceps: cum non sit assignandum, cur, si mihi liceat tibi viro prudenti revelare adulterium Francisci, tibi non sit permillum alteri, itidem viro probò aperire, & isti alteri. Poncius, Layman, & Anton. à Spiritu Sancto, & apud eos plures.

Ex quibus sequitur, quod non possit uxor cum marito loqui de peccatis occultis filiorum, aut famulorum: nisi aliàs non sit spes, quod moniti emendentur; nam tunc in emendam & correctionem id efficere licebit, ut cum Bonacc. idem à Spiritu Sancto, & De la Cruz *dub.* 3. ratio est, quia maximum bonum est esse bonæ æstimationis apud illos, cum quibus conversamur, & conjunctionem aliquam habemus, qui possunt juvare, vel nobis nocere. Lege D. Thom. 2. 2. qu. 144. art. 3.

Causa verò rationabilis, & urgens revelandi esse potest, ad impediendum grave malum alterius, ad petendum consilium, vel cum prudenter judicatur id esse expediens bono particulari, & magis publico; ratio est, quia nemo per Marchant. jus habet tuendæ suæ famæ cum gravidamno alterius; verum semper id est exequendum cum minori damno, quo potest, & non ex malo animo: nec ex affectu vindictæ; nec exequendum in casu, quo manifestatio non esset conducens ad damnum impediendum: ita DD. concedunt posse te, amico interroganti super qualitatibus Francisci,

(Rrr) 3

quæxi

quem tu noscis esse furem, dicere, ne eum in famulum recipiat; & quem scis esse imperitum Medicum, Advocatum, & Artificem, manifestare iis, qui à te consilium petunt, & quibus ex eorum imperitia damnum notabile obvenire potest: legendus Quilici *num. 36.* Marchant, & Rotarius *part. 2. cap. 8. sect. 3. num. 3. app. parat. Theol.* De manifestatione hæreticorum diximus *lib. 1. cap. 4.*

13. Sed quaeritur, hæc Dominicus Confessario aperit: sum deputatus à Ministris Societatis SS. Annunciatae ut diligenter, & fideliter sumam informationes super vita & honestate puellarum, quæ sunt admittendæ ad dotem, juxta solitum à Societate conferendam: sum certus, quòd Francisca non sit Virgo, quia eam ego cognovi: quomodo me gerere debeo? Si eam manifesto, occultum crimen revelo, ipsam infamo, & sum causa illius damni: si taceo, partes meas juxta commissionem non impleo, & sum aucta, cur alia virgo dotem non obtineat; *peto instrui, ne errem?*

Resp. Si à Parocho, & iis, quos super vita, & moribus puellæ interrogas, habes testimonium sufficiens, præcans ipsam esse bonæ famæ, & in vicinia bonum nomen habere, id debes Ministris referre, & tunc censebis diligenter tuo officio satisfecisse; nam aliud onus tibi non fuit impositum, quam, ut fideliter inquireret, & referres, an puellæ dotibus ascriptæ essent bonæ famæ, & nominis; hujusmodi autem, ex stupro occulto cum te commisso, æstimationem propriam non amisit; nam, eo non obstante, ab omnibus habetur ut virgo, & est boni nominis: idèò nulli alteri injuriam facis, dum

refers esse bonæ famæ, & nominis, quia talis est.

13. Quaeritur, an peccet mortaliter, qui de publicè infamè propter adulterium, aliud crimen occultum revelat, ut esse furem, homicidam, &c.

Resp. Affirmative; ratio est, quia infamis in uno genere vitii, non propterea amittit jus, & famam, quam habet in aliis virtutibus, idèò ea sine gravi injuria spoliari, nec potest, nec debet; quin immò infamans contra justitiam peccat; potest enim quis esse, & teneri, ut adulter, non verò, tamquam fur, consequenter habet bonum nomen quoad secundum, non quoad primum, & idèò, si sit occultus manifestari non potest.

14. Sed quid, si publicum adulter per emendationem iterum recuperaverit famam?

Resp. Non potest ipsius crimen apud immemores, vel ignorantes detegi, & quatenus propeletur, delinquitur contra justitiam, cum per emendationem verum jus acquiriverit ad suam famam. Sicut malis moribus infamia facti contrahitur, & bona fama amittitur; ita contrariis bonis moribus infamia facti aboletur, & bona fama recuperatur. Layman, *nu. 3.* Marchant, & Quilici *nu. 35.*

15. Sed quaeritur, Petrus hic Roma fuit tanquam fur fustigatus, & in exilium actus, petitur, an liceat id patefacere Florentia, ubi ignoratur; quod est idem, ac querere, an crimen proximi publicum in aliqua Civitate posita sine peccato alicubi manifestari, ubi ignotum est?

Resp. Affirmat Layman, *nu. 8.* Quilici *num. 35.* De la Cruz *conc. 2. dub. 3. citat. à Spi-*

à Spiritu Sancto sect. 7. & Illung. num. 107. ratio est, quia per sententiam Judicis est sic fama spoliatus, ut in ultionem criminis, & partem supplicii, sit unicuique facta facultas ab Judice illud publicandi. Sicut si alterius bona permittat publicæ direptioni, potest quis ea diripere, quin injuria reo inferatur; potest tamen in eo peccari contra charitatem, si, ubi mansurum erat occultum, ex odio, & malo animo publicetur; item contra justitiam, si manifestetur, postquam reus emendatus bonum non est recuperavit in loco, in quo habitat.

16. Sed quid, si crimen sit publicum in uno loco, non Judicis sententia damnatum?

Resp. Peccat contra justitiam, qui ipsum in alio loco, ubi non est notum, manifestat: ita mulier, quæ Florentiæ adulterium commisit, dum hic Romæ honestè vivit, habet jus retinendi suam famam, qua per Judicis sententiam spoliata non fuit.

17. Sed quid, si multi ejusdem Civitatis crimen sciunt, an possint aliis manifestare?

Resp. Vel illi cognitionem habuerunt de illo crimine ex injusta publicitate, à detractione proveniente, & tunc contra justitiam peccant aliis revelando: vel habuerunt ex publicitate justæ sententiæ, & tunc patet ex supradictis; vel quia crimen fuit publicè, & coram multitudine patratum: & tunc, quia crimen notorium censetur, & publicum, ac delinquens, factò ipso infamis, præsumitur suæ famæ cessisse, & non posse esse rationabiliter invitus; idè id aliis revelans non cenietur contra justitiam peccare, licet possit contra charitatem, si ex malo ani-

mo, vel cum sensu revelationis. Quilici *nu. 35.* Propter quod excusantur Historici, dum delinquentium notitiam ad posteros transmittunt: præsertim loquendo de criminosis publicis, quorum notitia expedit bono communi.

18. Quæritur, in quo detraçtio distinguatur à murmuratione?

Resp. In hoc, quòd detraçtio vel proximo imponit crimen falsum, vel verum occultum detegit; murmuratio verò confabulatur de factis publicis, & de iis etiam, quæ possent in bonam partem sumi, vertendo ea in malam partem, exaggerando rem ultra meritum causæ, ponderando subtiliter circumstantias, ex quibus omnibus persona aliqua denigratur in suo honore, & fama; & est læthale, vel veniale, prout ex hac gravis, vel minor injuria proximo fit. Rotarius *num. 15.* verum pro eodem sæpè sumuntur.

19. Quæritur, an audiens detraçtorem peccet?

Resp. Affirmativè. I. Si ita audit, ut inducat, vel excitet, etiam paratum, ad detrahendum, vel ad inceptam detractionem continuandam, sive interrogando, juvando, laudando, approbando, non corrigendo, dum possit, & debet: & peccat contra justitiam æque bene ac ipse detraçtor, quia est causa injusta damnificandi proximum in bono famæ: & contra charitatem peccato scandali, quatenus est causa ruinæ spiritualis infamantis, dum vel ad detrahendum excitat, vel ad prosequendum animat: & ad restitutionem famæ tenetur, si principalis non restituat.

II. Si audiens, detraçtorem non induxit,

daxit, sed latetur, & sibi complacet in detractioe, peccat peccato odii contra charitatem, quatenus de malo alterius latetur. Layman. *cit. nu. 14.*

III. Si eum non induxit, neque movit ad detrahendum, & cum possit, non impedit, nec redarguit expressè, sive tacitè, discedendo, aut avertendo sermonem, vel tristem se præbendo, peccat contra charitatem, quæ obligat ad impediendum malum proximi, cum potest.

IV. Peccant semper contra justitiã Superiores, cum subditam detrahentem non corrigunt.

V. Excusatur à mortali, qui ex reverentia debita Superiori, rationabili timore gravioris mali, vel spe non reportandi fructum, detrahentem, vel non impedit, aut non relinquit; sed tunc debet sibi detractio displicere, detractori non credere; & animadvertere, quòd loquaces sæpè falsa dicunt, & referunt; item, si audiat ad consilium, vel remedium præbendum; item si parva sit detractio; legendi Layman. Quilici, Ilfung, & Marchant. *cit.*

20. Sed quid, si ex curiositate, quis alterius defectus, & mores inquirat?

Resp. Peccat mortaliter, quia nemo jus habet sine iusta, & rationabili causa inquirendi de vita, & moribus proximi. Excusantur Superiores, quibus id ex officio incumbit, vel cum id necessarium est ad admittendum aliquem ad Religionem, ad Matrimonium, vel ad aliud Officium, aut beneficium: sed tunc non ex curiositate, sed iusta, & rationabili causa inquiritur: & si ex curiositate audias, peccas contra charitatem.

21. Quæritur, quomodo se gerere de-

beat Confessorius cum penitente se accusante de peccato detractiois?

Resp. I. Interroget, an fuerit audiens, vel detractor; Si audiens: an detractioem induxerit, &c. & tunc peccasse contra justitiã, & charitatem pronunciet: si verò solum in detractioe sibi complacuerit, vel discursum non interrupit, aut non fugerit, dum poterat, contra charitatem. Si detractor: inquirat de numero vitiorum, & personarum, quibus detraxerit, & coram quibus: quia tunc tot peccata contra justitiã commisit, quot personas in fama damnificavit: & tot peccata scandali. Sive una integra familia, vel Religioe sit oblocutus, id exprimere tenetur, etsi nesciat numerum personarum aperire: quamvis intenderet solum de aliquibus unius familie obloqui; nam audiens, eos ab aliis nescit distinguere, & ideo omnes infamat. Ameno de pœnis.

II. Interroget, an detractioe impo- fuerit falsum crimen: an verum, sed occultum revelaverit: vel de publicis, cum scientibus sit locutus. Si primo modo peccavit triplici peccato. 1. Mendacii perniciosi. 2. Contra justitiã, & 3. Peccato scandali contra charitatem. Secundo modo contra Justitiã, & charitatem. Tertio modo contra charitatem; & ideo, in Confessione est semper aperiendum, an primo, vel secundo, aut tertio modo detraxerit. Specificanda est species infamiae (vel contumelie) ut, si de aliquo, etiam eodem impetu, dixerit esse furem, Sodomitam, Judæum, Sortilegum, &c. nam hæc convicia in genere mortis, & quoad vim lædendi famam, & inferendi nocivum speciem distin-

guant.

guantur; cum dubium non sit, quin apud prudentes pejoris nominis, majorisque malitiæ reputetur Hæreticus, quàm fur; Sodomita, quàm simplex fornicarius; unde vocans aliquem Hæreticum magis ipsum infamat, & magis potest ipsi nocere, quàm si vocet furem, ergo magis famam lædit, immò tollit famam diversæ speciei moralis, ergo, si simul revelet esse Hæreticum, furem, & Sodomitam tria peccata specie, & numero distincta committit. Poncius *disp. 46. qu. 7. nu. 74.* Ant. à Spiritu Sancto *rr. 5. disp. 9. sect. 1. de sacr. panis. nu. 659.*

22. Sed quaeritur, *penitens petit instrui de modo restituendi famam, & honorem, ad quod scit ex justitia obligari, quid est ei Confessarius dicitur?*

Resp. I. Quòd si honorem alterius coram aliis lædit, debet coram illis debitam reverentiam exhibere, antecederet salutando, invitando ad mensam, eum visitando, conversando, &c. vel veniam petendo, vel alio simili modo arbitrio prudentis; si verò privatim, nullo audiente contumeliam irrogaverit, v. g. per injuriam, spurium vocando, & ad aliorum notitiam non pervenerit, tenetur ab ipso, se reum cognoscens, veniam petere, & animum offensum sibi reconciliare.

II. Si infamavit imponendo falsum crimen, tenetur se retractare coram illis, qui eum detrudere audierunt. per media tam efficacia ad restituendam famam, qualia fuerunt ea, quibus innocentem in fama damnificavit: dicendo se esse mentitum, & addendo, si opus sit, juramentum; ut audientes credant crimen impositum fuisse falsum.

Matthæi Cautela Confessi.

23. Sed quaeritur, *an restitutio sit faciendâ solum coram illis, à quibus auditus fuit detrudere vel, etiam coram aliis, ad quos detractio pervenit?*

Resp. Cum Mastr. *Theol. moral. disp. 8. qu. 3. art. 2. num. 60.* vel personis, coram quibus detraxit, secreto id dixit, & alias cognoscebat eas talis esse naturæ, ut secretum non essent divulgaturæ: vel, nec sub secreto, neque talibus personis manifestavit; si primum, sat est, ut coram personis immediatis se retractet; si secundum, restitutio est faciendâ coram omnibus, & singulis, malè opinantibus de injustè infamato, quia totum subsequens damnum infamiæ ab injusta detractis detractio, & injuria procedit: unde sæpè expedit operari, ut retractatio publicetur.

Si infamavit revelando crimen verum, sed occultum, tenetur ad restitutionem, famæ, & abolendam malam opinionem, in quantum potest: nunquam tamen mentiendò; idèd Confessarius non debet obligare, vel suadere, ut dicat, *quod dixi, non est verum*, quia mendacium malum est ab intrinseco; sed restituet utendo verbis non continentibus mendacium; *ut, imprudenter sum locutus absque debita advertentia, & informatione, fatuè, & insipienter, idèd ne credatis: & si credideritis malum, quod dixi, sciatis vos imprudentes esse; vel laudet infamatum, & honorificè de eo loquatur, ubi datur occasio; aut simili alio modo expressè, vel implicite, quantum in se est, aboleat opinionem malam, quam ingessit.*

24. Sed quid, si retulisset occulta peccata

(Sss)

peccata

peccata alterius absque asseveratione, & dubitanter?

Resp. Tenetur ad restitutionem; si narret Sortilegia, Hæreses, & similia, quorum mera suspicio famam multum denigrat; vel persona, de qua narratur, sit ita venerabilis, & digna, ut sola suspicio gravis criminis eam valde diffamet; etiamsi narratio contingat apud personas, de quibus verisimile est, quod non erudiant; nam tunc saltem contra charitatem referens peccat; & contra justitiam, si auidvisse testetur à magis auctoritatis viro, qui, ut verax habeatur: abstinendum est itaque à simili referendi modo. Rotar. nu. 8. & alleg. à Spiritu Sancto sect. 6.

25. Sed quid, si quis detraxerit viro defuncto?

Resp. Si detractio defuncti redundet in infamiam familiæ, & hæredum viventium, est illis fama læsa resarcienda; si verò solum dehonoretur, vel infametur defunctus, hic est compensandus eodem modo, ac si viveret. Rotarius cit. num. 17. Alleg. à Spiritu Sancto dixit peccare mortaliter Historicos occulta aliquorum in suis Historiis notantes, quamquam illi, de quibus scribunt, jam sint defuncti.

26. Queritur, an infamatus licite possit condonare restitutionem famæ?

Resp. Alii negant, quia nullus est Dominus suæ vitæ, & famæ; & sicut nullus potest se occidere, sic nec donare, quod suum non est; & ex eo probant, nullum posse infamare se ipsum; quod sequitur, si quis restituendæ famæ obligationem econdonet, & remittat. Alii ex opposito assentiant, ex quo homo sit Dominus suæ

famæ, & aliorum bonorum, quæ, propria industria, acquiruntur; nam est premium virtutis, quod propriis meritis respondet; & confirmant exemplo D. Augustini in suis Confessionibus, & aliorum Sanctorum, qui ex motivo humilitatis propriam famam, & honorem contempserunt. Cum istis dicendum, hominem ex iusta, & rationabili causa, & cum non sequitur scandalum, vel motum peccandi; aut aliis nec spiritualiter, nec temporaliter nocet, posse suam famam spernere, & aliis obligationem restitutionis condonare; nam nulli injuriam facit. De la Cruz 1. p. accp. qu. 7. art. 2. dub. 7. Ubi observat hominem privatum, licet non peccet mortaliter contra justitiam se infamando, vel condonando famæ restitutionem, peccare tamen ex genere contra charitatem, cum exponat se periculo peccandi amissa verecundia.

Verum, cum infamia redundat in alios, filios, fratres, subditos, vel Monasterium, peccat, qui condonat. Ideo Prælati contra justitiam peccat condonando famam, sicut, si se infamet de peccatis redundantibus in subditos, ut Sodomitæ, hæresi, &c. quia tunc læditur fama subditorum. Quilicini. 48.

27. Queritur, Franciscus per errorem inculpabilem, Petro detrahendo crimen falsum imposuit, & postea cognoscit se falsum dixisse: tenetur ne famam restituere?

Resp. Tenetur, quia revera ipsum damnificavit: sicut, qui bona fidem alienam possidet, cum postea reperit alienam esse, frapud se extet, tenetur restituere.

28. Sed quid etiam, si Franciscus

Petrum,

Petrus, & contra Petrus infamaverit Franciscum?

Resp. Quidam dixerunt unum non teneri famam alteri restituere, si aequaliter sint laesi: vel solum in excessu, si unus alium plus offendit; sed non sunt audiendi; nam infamatio unius non est medium, nec satisfactio pro fama alterius, ideo in utroque est restitutionis obligatio.

29. *Quæritur, an non modo fama sit infamato restituenda, verum etiam compensanda damna, qua ex illa sequuntur?*

Resp. Affirmativè; ratio est, quia vera infamans fuit injusta causa damni sequuti; ideo, si occultum Petri crimen revelas, ob quod officio privatur, tenetis ad compensandum damnum, quod ipse ex tali privatione reportat: si alter ultimo supplicio est puniendus ob crimen falso à te impositum, debes te Judici præsentare, ut eum liberes, etiam si tu reus es, & propterea suspendendus; vel ad minus operari, & rem aperire, ut ille non damnetur; & in casu mortis illius heredibus resarcire damnum, cuius causa reputaris; qui non modo contra te actionem habent, verum etiam adversus tuos heredes, ad quos tua bona descendunt, ex quibus iusta compensatio est eis facienda. Layman. citat. art. 7. num. 4.

30. *Quæritur, quomodo, qui detraxit alteri libello famoso, debeat restituere?*

Resp. Constat publicis scriptis, servata proportione ad superius dicta n. 23.

31. *Quæritur, Cajus coram multis detraxit Bertæ, sed quia postea verecun-*

datur in se retractando, nocte affixis libellis in locis publicis Civitatis, ex motivo exonerandi conscientiam, famam restituit; petiitur, an satisfecerit obligationi de fama restituenda?

Resp. Negativè; hic non servatur aequalitas, prout requirit justitia commutativa: nam fama fuit ablata per certum detractorem, sed per certum non restituitur; nam incertum est, à quo fuerint folia affixa, an à Cajo, an ab alio, & an fuerint potius libelli contra ipsam Bertam; imò videtur Cajus novo peccato detractionis peccare (nisi bona fides, inadvertentia, vel simplicitas excusaret) quia renovavit detractionem, etiam apud eos, qui factum ignorabant. Propterea, quia fama fuit ore per certum detractorem apud tales audientes laesa, ore apud eosdem debet restitui, & si sint absentes per epistolas, proprio nomine signatas.

32. *Quæritur, Petrus est morti proximus, confitetur, se infamasse Religiosum, Confessarius instat, ut se retractet coram astantibus, ut Religioso famam restituat: penitens respondet velle se retractare coram Notario, hac lege, ut scriptura per ipsum rogata, legatur post ejus mortem; quia non vult vivens pati verecundiam, conceptam ex publica retractatione à se facta, nec ut mendax vult haberi: petiitur, an possit absolvi?*

Resp. Negativè; nam indispositus est sine vero proposito restituendi famam: cum verum propositum non præsumatur in eo, qui potens actu peccatum relinquere, non actu relinquit, sed vult in futuro; aliàs posset, etiam absolvi infirmus,

firmus, potens concubinam e domo ejicere, & non ejiciens, ne ingratus appareat, sed relinquens onus, ut ab heredibus expellatur; quod nullus prudens dixerit: uterque enim est in occasione proxima. Tum quia, si supervixerit, famam non restituet propter verecundiam, & ne mendax aestimetur, ergo propositum est solum sub conditione, ergo non efficax. Debet esse resolutio communis contra Anton. à Spiritu Sancto in direct. Confess. tract. 5. disp. 3. sect. 11. n. 167. de sacr. penit.

33. Quæritur, an debeat causa excusans à fama restitutione.

Resp. Affirmative, sic DD. communit. I. Excusans per condonationem; si nimirum diffamatus cedit juri suo.

II. Si infamia abiit in oblivionem, quia per restitutionem potius renovaretur suspicio criminis; sed quia non potest dari certitudo, quod in oblivionem abierit, ideo regulariter infamans tenetur ad restitutionem.

III. Cum fama jam est facto recuperata.

IV. Cum non possit restitui absque vita periculo; ratio est, quia est ordo inter bona: alia enim sunt bona animæ, alia vitæ, seu Corporis, alia fama, & honoris, & alia fortuna: pretiosiora autem sunt bona animæ quam vitæ; vitæ quam famæ; & famæ quam fortunæ, ideo nullatenus restitui bona vitæ cum damno animæ nec bona famæ cum damno vitæ; nec bona fortunæ cum damno famæ; ratio est, quia in restitutione debet servari aequalitas, & cum pretiosior sit anima quam vita, & vita quam fama, & fama quam divitiæ, ideo

&c. sic cit. à Spiritu Sancto tract. 11. disp. 3. sect. 3.

34. Nota I. differentiam inter *suffurationem*, *detraktionem*, *contumeliam*, *derisionem*, seu *irrisionem*; Calumniator serid intendit lædere honorem proximi: Detractor famam denigrare; Suffurator amicitiam tollere: & Irrisor, joco pudorem, & verecundiam causare, unde suffuratio est *oblocutio ad amicitiam tollendam inter aliquos*. Est ex suo genere mortale, cum tendat ad nocendum proximo, tollendo amicum; & gravior contumelia, ac detractio, quia tollit amicitiam, quæ est bonum præstantius fama, cum hæc ad amicitiam disponat. Hinc graviter peccant contra justitiam, qui inter consanguineos, & amicos fixas suis verbis ponunt, quia amicus jus habet, ne fraude, & modis illicitis privetur bono amicitia; & sæpe cum peccato contumelia, & detractiois conjungitur. Fit veniale vel ex inadvertentia, aut ex parvitate materiæ, si nimirum parum minuatur de amicitia.

35. Irrisio, vel derisio est *verborum ludus ex proximi defectibus, ut erubescat, & confundatur*. Quod si fiat lignis dicitur *substantio*: pro sine habet erubescantiam, & confusionem in proximo; est ex suo genere mortale contra justitiam; quia, sicut proximus jus habet, ne dehonoretur, nec infametur, sic jus retinet, ne confundatur, & contristetur; unde, si proximus graviter contristetur, & erubescat propter crimen ei per jocum, vel derisum obiectum, Derisor mortaliter peccat; si derisio sit contra parentes est peccatum

contra

contra pietatem: si contra res Sacras, contra Religionem.

36. Quæritur, an ex joco deridere res sacras, & ceremonias Ecclesiasticas, facta, vel dicta Sacerdotum, scurriliter Sacram Scripturam citare, sit peccatum lethale?

Resp. Affirmativè, est sacrilegium profanativum rei venerabilis. Rotarius scilicet. 4. num. 2. nec datur paritas materiæ; quemadmodum peccatum gravissimum est, si quis omitat invocare nomen Jesu, vel genuflectere coram Imagine Crucifixi, ex quo sibi displicet, quod id tendat in gloriam Dei: & dicitur esse peccatum acedia; quatenus tristatur de opere laborioso, quod bonum opus est, tendens in gloriam Dei.

37. Sed quid, an mortale sit deridere aliquem ex joco leviter, & gratia recreationis, ut, quod collum contorqueat, vel alium similem defectum habeat?

Resp. Si derisio ista sit sine verbis pungentibus, & non prævideatur irrisus graviter offendendus, grave peccatum non est. Si verò irrisor prævidet gravissimam proximi contristationem, & erubescenciam, vel, quia scit, quod similia ei displicent, vel, quia aliàs ab eo fuit monitus, ut desisteret, non excusatur à mortali à Bonaccina apud Quilici num. 3. Super quo sunt à Confessario poenitentes examinandi.

38. Quæritur, quid sit maledictio?

Resp. Pro ut hinc sumitur, est idem, ac verbis precari, seu optare malum alteri: & est duplex, formalis, & materialis. Formalis est, dum malum ex corde desideratur: est ex suo genere peccatum mortale, quia procedit ex odio interno, &

charitati proximi directè repugnat; graviusque peccatum est, quando strictius tenemur, personam, cui maledicimus, diligere; potest esse veniale aut ex parvitate materiæ, aut ex inadvertentia, & ex non pleno consensu: propter quod sæpe à mortali excusantur parentes propter maledicta in filios.

39. Materialis est, cum malum non desideratur ex corde, sed tantum ore profertur, & sine intentione nocendi: est ex suo genere tantum veniale, quia deest intentio, & nocendum non inferitur; potest tamen fieri mortale ratione scandali: ut si Prælatum subditus in faciem maledicat, vel filius parentes, ob gravem irreverentiam, & propter injuriam, quæ proximo fit.

40. Quæritur, an maledicere creaturis irrationalibus sit peccatum lethale?

Resp. Affirmativè, si considerentur, ut sunt creaturæ Dei: & est blasphemia, quatenus illa maledictio redundat in Deum. Si considerentur, ut sunt aliquid proximi, est peccatum mortale contra charitatem: sic mortaliter peccat, qui ex animo vellet perire bestias inimicæ. Si verò considerentur, quatenus creaturæ irrationales præcisè, est veniale; & nullum, quatenus sunt nobis causa alicujus mali, & incommodi: id enim est magis maledicere ipsi incommodo, quam creaturis, ut peccat dies, in qua natus sum. Quilici qu. 15. art. 2. num. 10.

41. Quæritur, an, qui unico actu integra familia maledicit, tot peccata committat, quot sunt personæ?

Resp. Affirmativè, ratio est, quia licet

licet verbum sit unum, realiter terminatur ad diversas personas, & correspondet diversis, & pluribus, saltem virtualiter actibus internis voluntatis, quibus vult malum lingulis personis ex illa familia. Videlicet. 1. cap. 17. n. 10.

Itaque Penitentes in Confessione debent explicare. 1. Malum, quod optant, si est malum vitæ, famæ, vel fortunæ, 2. Quibus optant, quia si sunt parentes, vel filii, est peccatum etiam contra pietatem. 3. Quot sint persone, quibus optant. 4. Quoties optarunt. 5. Quibus, & quoties fuerunt scandalo; & Confessarius interroget etiam, an sint in eo habituari, & ex consuetudine similia mala imprecantur.

Adulatio etiam est peccatum linguæ, dum mendacium includit; quod evenit, cum id, de quo quis laudatur, in eo non est; & est mortale, cum adulatione fit, ut adulatus in peccatum prorumpat. De aliis peccatis linguæ vide dicta in superioribus capitibus.

CAPUT XXVI.

Prop. XLV. & XLVI.

ab Innoc. XI. Sc.

Simonia.

PROP. 45. Dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale; vel etiam, quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.

PROP. 46. Et id quoque locum habet,

etiam si temporale sit principale motivum dandi spirituale; immo etiam si sit finis ipsius res spiritualis, sic, ut illud pluri asseritur, quam res spiritualis.

Satis opportunè occasione utriusque propositionis agitur hic de Simonia, de qua ipsæ in terminis loquuntur; cujus notitia est Confessario necessaria; nam fortè nulla est delicti species, quæ tot, tantisque difficultatibus sit implicata; & tam Confessarius ad ipsam distinguendam difficile, idè, quæ scitu magis necessaria judicamus, breviter in examen reducemus.

2. Definitionem Simoniæ videas lib. 1. cap. 8. §. 5. num. 75. & interè considera, quòd pecuniam itaque, aut quodvis aliud pecunia æstimabile dare, vel recipere non licet, nec pro Sacramentis, quæ sunt causa gratiæ (quæ est supra omnem pretium, & cui repugnat, quòd gratis non detur) Nec pro spiritualibus actibus, ut sunt administratio Sacramentorum, usus Spiritualium donorum, divini verbi prædicatio, divini laudes, jurisdictionis Ecclesiasticæ usus, Religiosa Professio, &c. Nec pro his, quæ sunt spiritualibus adnexa: ut sunt Ecclesiastica beneficia, Jus patronatus, &c. ut diximus lib. 1. cap. 8. §. 2. Hæc enim omnia ejus generis sunt, de quibus Christus dixit Matth. 10. gratis accepistis, gratis date.

Quapropter nihil refert, an pecunia pro Beneficio, vel alia re spirituali promittatur, detur, vel accipiat, tanquam pretium, vel incitamentum, sed motivum, aut, ut gratuita compensatio; sed semper est simonia quocumque

que titulo detur, prout expresse ex decreto Innocentii.

3. Hinc patet, quod investus distinctiuncularum usus inventus fuit ad paliandas simonias. Si quidem, illis admiffis, vix, nisi homines plumbei, simoniam committerent; nam quisque se excusaret, se non conferre pecuniam tanquam pretium, nec rem temporalem cum spirituali tamquam pro aequali commutare; nec temporale pluris, vel tanti aestimare, quam ipsum spirituale; sed solum eam offerre, tamquam *motivum*, vel *gratuitam compensationem*. Ita Simon Magus respondere potuisset; se Apostolis obtulisse pecuniam. *Actor. 8.* non sub ratione formali *pretii*, sed tamquam *motivum*, quo eorum voluntates moveret ad conferendam sibi potestatem dandi Spiritum-Sanctum per manus impositionem. Nec ille erat sollicitus de modo, quo conferret, dummodo potestatem illam consequeretur. Nec D. Petrus eum reprehendit in hoc, quod voluerit pecuniam tamquam pretium dare, & pro aequali cum potestate spirituali commutare, sed absolute dixit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam Donum Dei existimasti pecunia possideri. . . . cor enim tuum non est rectum cor quod Deo.* Atque ita, quod collatione pecunie per modum illiciti momenti, absque cogitatione pretii, vel expressa comparatione rei spiritualis cum temporali obtinetur, pecunia possidetur. Et circa res spirituales committitur simonia. De quo Natalis Alex. *Theol. dogm. fo. 2. lib. 2. cap. 7. art. 2. num. 5.* Ad hæc itaque attendant Confessarii.

4. Adverte, quod simonia repugnat

Religioni, justitiæ, & pietati. Religio violatur propter contemptum rerum spiritualium, quibus irrogatur injuria, cum pecunia aestimantur. *Nam quis non vile putat, quod venditur?* aiebat Hormilda Papa *Epist. ad Episcopos Hispania cap. 2.* apud Gonzalez in 5. tit. 3. cap. 2. num. 16. Quæ enim commutantur, tantum valere existimantur, quantum ea, cum quibus commutantur; nulla autem valoris donorum spiritualium, quæ pretium omne excedunt, cum pecunia est proportio, nec emi, nec vendi possunt, quorum nullus est dominus, quantumvis ille, qui pretium dat, ea studiosè emere conetur, & procuret.

5. Violatur justitia, tum Distributiva, quia turpi Beneficiorum, & Ordinationum nundinatione opulentiores in Sacerdotes ordinantur, & ad beneficia assumuntur, omissis doctioribus, sanctioribus, & magis idoneis: Tum Commutativa, contra quam est pretio commutari non potest; & vendere, & emere, quod gratis acceptum est, ea conditione, ut gratis detur.

6. Tandem violatur pietas; nam collatio rerum spiritualium medio pretio animos piorum offendit, & animos pauperum a Sacramentorum perceptione retrahit, ut *ibid.* Gonzalez, & d. Natalis num. 2.

7. Quæritur. *Franciscus maneribus sibi obligat familiarem Episcopi, hac lege, ut merita proprii filii commendet apud Prelatum, ut hac forma moveatur ad conferendum beneficium Ecclesiasticum, quod postea confertur, tantum Episcopo, quam filio pactum ignorantibus.*

sibus: petitur, an Franciscus sit simoniacus.

Resp. Affirmativè, quia revera hic ad est pretium pro re spirituali obtenta. Du-hamel tom. 2. Theol. moralis lib. 1. dissert. 5. cap. 4. nu. 5. & 12. in decalog. Cabasut. prax. jur. canon. lib. 5. cap. 3. num. 7. Ignorantia Episcopi, & filii operatur, eos non peccasse, & non ligari pœnis latis adversus simoniacos: sed non legitimat actum, aliàs invalidum, cap. de regul. cap. ex insinuatione, cap. nobis hoc ut. & provilus statim, habita notitia, tenetur beneficium dimittere D. Thom. 2. 2. qu. 100. art. 6. Fagnan. in 5. ad d. cap. nobis num. 73. & 76. De simon. videas cap. 35. nu. ult.

8. Sed. An debeat restituere fructus?

Resp. Tenetur restituere fructus extantes tempore scientiæ, sed non censumptos ob bonam fidem. D. Thom. cit. ad 3. Cabasut. & Fagnan. nu. 80. In quo distinguitur ab eo, qui simoniacè est intrusus in beneficium, qui, cum careat vero, & putativo titulo, dicitur fur, & invalor, cap. Ordinationes 1. qu. 9. Et idèd semper est in mora restituendi, sicut fur, teneturque ad restitutionem omnium fructuum, etiam qui percipi potuissent à legitimo, & diligenti pollellote. D. Thom. cit. art. 1. ad 2. & Fagnan. ibid. in cap. sua nos nu. 8.

9. Quæritur, an Simoniam committat Episcopus conferens beneficium suo famulari propter servitium, vel obsequium sibi præstitum?

Resp. Affirmativè; nam in casu intervenit munus ab obsequio: tale enim servitium est pecunia æstimabile, pro-

pter quod viri nobiles suis famulis exolvunt menstruum justum stipendium; hic videtur esse virtualis venditio, & commutatio beneficii pro obsequio temporali, ac, quod intentio immediata per se, & primaria famuli, gratis Episcopo servientis directæ sit ad acquisitionem beneficii, alliciendo Episcopum ad ipsum conferendum propter exhibita, & exhibenda obsequia; &, quòd Episcopus primariò ad eum finem conducit ejusdem servitia, & pro pretio locationis obsequii, loco pecuniarii stipendii substituat collationem beneficii; id totum videtur haberi ex cap. & si quæstiones de Simon. illis verb. quod autem scriptum est beatus, qui excutit manus suas ab omni munere, de illis donis dictum est, quæ accipientis animum allicere, vel pervertere solent, Videndus Cabasut. cit. num. 11.

10. Popdèra, alios famulos famulari Prælati, ut beneficium accipiant, sine stipendio: & alios ita, ut ipsorum famulatus, & obsequium æquali mercede pecuniaria compenferet; qui priori modo obsequium exhibent, principaliter, & per se intendunt allicere, & movere suo obsequio animum Prælati ad conferendum beneficium; idèd collatio si contingat, est Simoniacæ. Si vero secundo modo servitia præstentur, non censentur exhiberi animo acquirendi beneficium, vel movendi Prælatum, quia solus famulatus æquali mercede compenfatus, non allicit animum collatoris ad conferendum beneficium. hinc si alicui æquali stipendio conducto, beneficium conferat, quia occasione famulatus eum dignum reperit, & utilem Ecclesiæ fore judi-

judicat, gratis omnino, & purè liberatiter conferre censetur. Carden. *dissert.* 27. *cap. 5. art. 3.* Legendus *Campion. par. 2. instrum. ad aud. Confess. cap. 37. num. 2.*

Unde sunt à Confessario instruendi Aulici, qui, iusta mercede, Prælati famulantur cum aliqua spe obtinendi beneficium, vel pensionem, ut eam spem deponant, quia periculosa res est, ut intentio pervertatur, & principaliter exhibeatur obsequium, animo alliciendi Prælatum ad promovendum ad beneficium, ac Simoniam pallietur.

11. Quæritur, an committat Simoniam, qui alterum sic alloquitur: si mihi conferas, vel procures beneficium, gratus tibi ero?

Resp. Affirmativè: hie enim palliatur Simoniam, & gratuita compensatio, exprimitur; nam revera volo conferentem, vel mediatores movere, & allicere, ut mihi ob lucrum titulo gratitudinis promissum, conferat, vel procuret beneficium; & ita adest verus contractus, dabo, si dabis, & æquivalenter in contractum res spiritualis deducitur.

Propter quod, nec conferens potest beneficium conferre hac lege: *do tibi Canoniam, ut sis mihi gratus: dabo tibi beneficium, sed nollem te esse mihi ingratus;* nam semper reperitur contractus, *do, ut des,* & quod temporale sit gratuita compensatio pro spirituali, quod & Innoc. reprobatur in 45. *prop.*

12. Quæritur, an sine Simoniam possim te presentare, vel tibi conferre, procurare, vel resignare beneficium Ecclesiasticum intentione, vel expresso pacto, quod tu mihi, vel meo nepoti, *Matthæi & Cæciliæ Confess.*

vel alteri designato, vel designando, postea resignavis, aut dabis alteri fructus beneficium, vel partem eorum, & pensionem solves?

Solutionem videas *lib. 1. cap. 8. §. 6.* ubi egi de confidentia beneficii, & §. 5. de Simoniam, ubi plura resoluta habentur.

13. Quæritur, an Parochus, vel alteri Sacerdoti nolenti baptizare puerum morientem, nisi pecuniam recipiat, possim ego absque Simoniam dare?

Resp. DD. dividuntur; affirmant Pontius *cit. conc. num. 28.* de la Cruz *qu. 47. præcept. dub. 2.* Antonius à S. Sancto de Simon. *tract. 4. disp. 4. sect. 8.* Layman. *cit. 82.* alios plures citantes, resolvers peccatum non esse dare pecuniam Sacerdoti nolenti infantem baptizare, vel absolvere adultum, de proximo morituros, nisi recipiat pecuniam, quam aliis licite recipere non posset, modò non detur in pretium pro ipsa baptismatione, seu absolutione, quia ita emeretur Sacramentum, sed ad redimendam injustam vexationem, & injuriam, quæ eis irrogatur: vel, ut, ea ratione, alliciat, moveatur, & molliatur avari Sacerdotis animus; supponunt ibi alium non esse, qui possit præfatos respectivè baptizare, & absolvere.

Negant D. Thomas 2. 2. *qu. 100. art. 2.* ad primum. Cajetanus ad eundem locum, Sylvest. Paludanus, Aragonius apud eundem, Layman. *Campion. cit. nu. 13.* Et horum sententiam veram censeo, & juxta Decretum Innoc. ac alteram sub damnatione comprehendendi, quod probo; Innocentius damnat ut Simoniacum, dare temporale pro spirituali, quamvis non detur ut pretium, sed dumtaxat

(T t) tam-

tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale; sed juxta Authores primæ sententiæ pecunia illi Sacerdoti conferretur, ad minus tamquam motivum conferendi baptismum, & absolutionem, ergo eorum opinio ab Innoc. damnatur.

Quia itaque dare pecuniam in dicto casu esset ad minus virtualiter, & æquivalenter ex natura operis, & dationis, emere Sacramentum, & Dei donum (quod est intrinsicè malum, & prohibitum, contra illud *gratis accepistis, gratis date*) à nullo sine extrinseco potest honestari, & licitum reddi; semper enim hæc deformitas reperitur, quod Dei donum gratis non detur, ac irregiosè, & cum injuria res divina tractetur.

Hinc in praxi, & facti contingentiâ, debet quis se gerere eo modo, ac si non foret, qui puerum baptizaret; ex regula illa, quod pro eodem reputantur non habere ministerium, ac non posse illum habere absque peccato: Verum, si Pater infantis posset tunc ipsum baptizare, deberet: si baptizandus esset adultus, & in periculo mortis, nullusque adesset, nisi qui exigeret pecuniam, ad ipsum baptizandum, deberet suam salutem procurare baptismò fluminis, & desiderii, quemadmodum per actum contritionis suam adultus moribundus, quem absolvere noller Sacerdos, nisi recepta pecunia.

14. Sed quaritur, *an Pater posset ab eo Sacerdote aquam emere? supponitur, quod non sit alia aqua, quam illa, quam habet presatus Sacerdos.*

Resp. Affirmativè, ita D. Thomas ubi

supra, firmans posse emi, quâ purum elementum corporale est; sed si pretium Sacerdos ille vellet augere, propter benedictionem aquæ, quæ fit in Sabbatho Sancto, illicitum? & Simoniacum foret illam emere.

Pro materia itaque remota baptismi, potest pecunia dari, sicut datur pro pane, vino, & oleo, non vero pro materia proxima, ablutione nimirum.

15. Sed quaritur, *an possit licitè vendi Calix consecratus?*

Resp. Affirmativè, *cap. Hoc jus porrellum 10. qu. 2.* modò prius frangatur, & pretium non augeatur ratione consecrationis, solaque materia æstimetur, non habita ratione benedictionis. *Fagnan. in 1. decretal. ad cap. Cum pridem de pallis num. 63.*

Nequit tamen pro pretio locari usus rerum sacrarum, quia censetur venditus usus rei, qui est spiritualis, & faceret: *Engel. numer. 18. & De la Cruz dub. 5.*

16. Quaritur, *cur possit vendi Calix argenteus consecratus, & non beneficium Ecclesiasticum? sicut enim in Calice argentum est res temporalis, & secundum se pretio æstimabile, ita in beneficio jus percipiendi temporales redditus pretio æstimabile est?*

Resp. Discrimen est, quia Calix consecratus est annexus rei spirituali antecedenter, quatenus argentam, quod est materia Calicis, sua natura, non pendet ab annexa consecratione; quare eo est accessorium, & argentum principale; idèò vendi, & æstimari secundum se potest, non vendito, nec æstimato spirituali. Beneficium verò est annexum rei

spirituali consequenter, quia beneficium, seu jus percipiendi redditus datur tamquam stipendium, debitum propter officium, seu ministerium spirituale: beneficia enim sunt instituta pro celebrandis divinis officiis, & non dantur nisi propter officium *cap. final. de rescript. in 6.* Unde si alicui vendatur jus beneficialium reddituum, venditur etiam illi jus spirituale exercendi officium, seu collatio, aut assignatio ad sacrum officium, cui redditus destinantur: quæ collatio, & assignatio est sacra, & ex divini jure profecta. *Cabalut. capis. 3. num. 14.*

17. Quæritur, an Sacerdos possit sine peccato Simoniam recipere pretium, eique à fidelibus dari pro celebratione Missæ?

Resp. Negativè, ut pretium Sacrificii, & operis, vel, tamquam mercedem correspondentem fructui, quem applicat ei, pro quo celebrat, cum invendibilis sit, & cum nulla proportionem ad temporale pretium; bene verò, tamquam stipendium sustentationis ipsius Sacerdotis, privantis se sua libertate ad inserviendum alteri pro tali tempore, cui gratis servire non tenetur; quæ ratio valet etiam in Sacerdote divite, qui alii gratis famulari non obligatur.

18. Sed quæritur, an id etiam dicendum sit de Parocho?

Resp. Negativè, nam Parochi ex officio, & justitia tenentur populo Sacramenta ministrare, & pro Parochianis sacrificium applicare, sic, ut si redditus pingues sint, singulis diebus, si verò tenues, saltem diebus festivis ex Sac.

Cong. Concilii decreto edito sub 10. *Maii 1681. vide lib. 1. cap. 6. num. 14.* quia igitur Parochis assignati sunt redditus, unde sufficienter sustentantur, nil possunt justè exigere; quia jus non habent, nec titulum exigendi: idcirco talis exactio est injusta, & speciem gerit Simoniam, *Layman. cit. n. 16.*

Quapropter DD. conveniunt, quòd si Sacerdos vocatus ad audiendas Confessiones, vel celebrandum ad locum distantem, teneatur ex officio, vel beneficio ire, ut Confessiones audiat, celebret, vel baptizet, non possit aliquid pro eo labore exigere. *Poncius cit. num. 29.*

19. Sed quæritur, an possit Sacerdos licite recipere aliquid pro labore, insumpto in ipsa administratione Sacramentorum, celebratione, Concione &c.

Resp. Negativè; Nota DD. considerare duplicem laborem in his sacris actibus, & ministeriis; alium cum eis intrinsecè conjunctum, & per se necessarium ad tale ministerium, prout ab hominibus moraliter exerceri potest, & solet, propriè ab illo inseparabilem; hujusmodi est labor, & studium, quod adhibet Cononator in paranda Concione, vel in mandando eam memoriæ; & ille, qui adhibetur à Sacerdote ad eundem Ecclesiam ad celebrandum, in assumptione vestium sacrarum, in legenda Missa, &c. Et alium extrinsecè, seu per accidens conjunctum cum Sacramentorum administratione, sive præviis, sive concomitantis sit actionem; ut est se conferre de loco ad locum, locare libertatem suam, obligando se ad celebrandum, vel prædicandum, aut audiendas confessiones in

loco particulari, & pro toto anno, vel pro toto tempore Quadragesimali, aut tota hebdomada, aut singulis diebus festis &c. Pro primo labore, nequit sine Simonia aliquid recipi; ratio est, quia labor ille, quatenus per se necessarius est, ut habeatur tale ministerium, veluti integrat unum corpus morale, quod totum factum est, & ut tale tractandum; bene verò pro secundo, quia est per accidens conjunctus cum re spirituali, tunc quo potest ministerium sacrum exerceri; hinc propriè pretium recipitur pro obligatione assumpta, & suæ operæ locatione, quæ sunt, quid temporale, & extrinseca rei spirituali. Sperellus *dec. 7. num. 13.* plures allegans junctâ Glof. in *cap. significatum de prebend. ver. ita quod*, & ibid. videndus Fagnan. in *3. decretal.*

20. Videant itaque Concionatores, ne pacificentur de stipendio, recipiendo pro ipsa Concione, nam id absque labe Simoniæ non agerent; quia, licet prædicatio composita sit ex re spirituali, & temporali simul, nempe ex verbo Dei, & labore, formaliter tamen, ac principaliter est spiritualis: nec pro ipsis laboribus per se necessariis ad ipsam, aliquid recipi potest ibid. ex Cajetano Sperellus, sed solùm pro suâ sustentatione, & laboribus per accidens connexis, juxta consuetudinem approbatam.

21. Quæritur, *Pœnitens Confessarius aperit se dedisse Sacerdoti pecuniam, ut suam Confessionem exciperet, & ut Missam celebraret, sine qua neutrum exequi voluit, quid Confessarius dicturus est?*

Resp. Quod non peccaverit dando stipendium juxta consuetudinem ab Eccle-

sia approbatam, ut Missam celebraret, modo ad id ex officio, vel beneficio non teneretur: aut non significasset se pecuniam exigere, tamquam pretium pro fructu, aut applicatione sacrificii, intendens vendere rem spirituales; bene verò conferendo pecuniam, ut confessionem exciperet, nam id ab Ecclesia reprobatum, & Simoniacum esse statuitur pretium dare, vel accipere pro absolutione à peccatis *cap. Nemo Presbyterorum de Simonia: & cap. ad nostram ed. tit.* interdicitur, ne pro ministerio Ecclesiastico exercendo pecunia, vel aliquid exigatur. Ideò DD. tradunt omnem actum jurisdictionis Ecclesiasticæ esse materiam Simoniæ, ea ratione, quod potestas Ecclesiastica sit spiritualis, tum ratione principii, tum finis, adeoque actus ab ea procedentes; ex quo sequitur etiam nil posse accipi pro actibus jurisdictionis voluntariæ, dispensatione in voto, Juramento, impedimento matrimonii &c. nec pro actibus jurisdictionis contentiosæ: sic dicta, quia exigit processum judicium, sententiam strepitum judicii, & pro tribunali exercetur.

22. Sed quæritur, *an Simoniæ committat Sacerdos, qui pecuniam recipit, ut pœnitentem non absolvat?*

Resp. Affirmativè, ex *alleg. cap. nemo Presbyterorum*, in quo utrumque Simoniacum dicitur, & munus accipere, ut pœnitentem reconcilies, & munus accipere, ut pœnitentem à reconciliatione removeas; ratio est, quia omissio actus spiritualis, qui est ex potestate jurisdictionis Ecclesiasticæ sic, ut eam non exercere sit mortaliter hominem auctoritati-

vel ligare, aut ligatum detinere, est Simoniam; unde, si audita confessione poenitentis, & clave dicente eum esse dignum absolutione, vendas negationem absolutionis, Simoniacus es, quia talis negatio tunc procedit à potestate spirituali clavium, Confessoribus data *Joan. 20.* qua possunt absolvere: & ligatum detinere, negando absolutionem; sic dicitur de examinatore, qui, pecunia recepta, spondet se non approbaturum dignos ad Ordines, quia approbare, vel approbatum declarare est actus Ecclesiasticæ jurisdictionis, & potestatis. *Layman. numer. 43. De la Cruz dub. 7. conc. 2.*

23. Quæritur, an Simoniam committam, si conseram pauperi elemosynam, ut pro me oret?

Resp. Et pro responsione refero verba D. Thom. 2. 2. qu. 100. art. 3. ubi ad argumentum sibi objectam: quod pro Missis cantandis aliqui Sacerdotes pœbendam, vel pecuniam accipiunt, sic ad 2. habet: quod Sacerdos non accipit pecuniam, quasi pretium consecrationis Eucharistia, aut Missa decansanda, hoc enim esset Simoniacum, sed quasi stipendium suæ sustentationis. Hæc applica ad dubium, & ad stipendia, quæ dantur pro Processionibus, & exequiis.

24. Quæritur, an Simoniam committatur, si aliquid recipiatur pro ingressu in Religionem?

Resp. Affirmative, si Superior, vel alius Religiosus conveniat, & pacificatur cum ingressuro, vel professuro de dando, vel recipiendo aliquid, ut ad Religionem, vel professionem admittatur, cum admissio ad Religionem, & profes-

sionem sit aliquod spirituale, tendens ad salutem animæ, & cultum Dei: idque prohibetur *cap. Non satis, cap. veniens, & cap. quoniam de Simoniam.* Dum vero admittendus, liberaliter Monasterio, vel Ecclesiæ capaci sua bona offert, licet recipi possunt: quemadmodum aliquid pro sustentatione temporali ipsius Religiosi, si Monasterium sit capax, & inops juxta consuetudinem. *Engel. num. 21. Layman. num. 29. Cabafut. lib. 5. cap. 5. sup. 17. Quinum. 17. refert. Clement. VIII. declaralle, Moniales non esse Simoniacæ reas paciscendo de dote recipiendarum pro sufficienti, & congrua ipsarum sustentatione, non pro ipsa admissione ad statum Religiosum. Lege decretum S. Cong. apud Fagnan. in 3. ad cap. non amplius de institut. numer. 25. & quæ dixi offic. Cur. Ecclesiast. cap. 32. num. 13.*

25. Quæritur, an Franciscus vendens Agnum Dei, benedictum ab Innoc. XI. Simoniam committat?

Resp. Affirmative, si Agno benedictio non sit ornamentum adjunctum; vel etiam, si propter benedictionem intendat pretium augere; secus, si solum pretium vellet ad altimationem ornamentum: nam sacra Reliquiæ venales non debent esse, *cap. eum ex eo de Reliq. & venerat. Sanct.*

26. Sed quæritur, an liceat commutare unum benedictum ab Innoc. cum alio benedicto à B. Pio V?

Resp. Affirmative; *Campionus num. 23. & consentit Layman. num. 57. & Glos. ad cap. ad quasit. de rerum permutat. notans spiritualia inter se rectè permutari; verum id non intelligitur de beneficiis,*

beneficiis, & redditibus Ecclesiasticis, quia id SS. Canones, ut Simoniacum prohibent, nisi accedat legitimi Superioris facultas; idcirco, si quilibet alium pravius contractus abfit, & non intendatur uno Agno alius emi, illicitum non videtur.

27. Sed queritur, an liceat sacras Reliquias ab infidelibus pretio redimere.

Resp. Affirmative, quemadmodum legitur, antiquos Christianos Martyrum corpora à carnificibus redemisse. Cabasut. cap. 4. num. 9.

28. Queritur, an Simonia sit ex genere suo peccatum mortale?

Resp. Affirmative: est peccatum contra Religionem, & sacrilegium, quia indignè tractantur res sacrae: & contra iustitiam, dum venduntur divina, quae sunt profus invendibilia, cum nullum pretium sit, quo aestimari possint, & in nullius sint dominio nisi solius Dei, quorum homo est purus dispensator, quae ad vendendum, vel auandationem non accepit, sed ad gratis communicandum, sicut gratis accepit: unde ratio naturalis dicit illicitum, & injustum esse ea vendere, & pretium receptum esse restituendum.

Et, proportione servata, verificatur, tum de Simonia iure Divino, & naturali prohibita, quae committitur in venditione rei spiritualis, & beneficii Ecclesiastici, tam Curati, seu habentis annexam Ordinis Sacri executionem, quam Simplicis cap. ex multis, cap. si quis objecerit 1. quest. 3. tum de illa iure Ecclesiastico verita, qua delinquitur in beneficiorum permutatione, facta sine auctoritate legitima cap. quae situm cit. & juxta superius dicta.

29. Queritur, an possit esse veniale ex parvitate materia?

Resp. Negative, nam semper venditur gratia, & donum Spiritus Sancti, per quod atrox injuria Deo infertur, ut habetur cap. eos 1. quest. 1. & existimatur donum Dei pecunia possideri, ac excellentius non esse omni pretio, & re temporali; quare, sive pro re temporali datur unum Ave, sive totum Pfalterium, semper mortaliter peccatur, qui semper gravis deformitas reperitur in utroque: gravior tamen esset, si quis Eucharistiam venderet. Et resolutio procedit, sive pro re spirituali unus obolus accipiat, sive centum aurei; immò in primo casu videtur major irreverentia, quia quo minori pretio res venditur, eo minoris videtur aestimari, & ita major videtur irreverentia. Vide Fagnan. in 1. decretal. de pactis cit. num. 9.

30. Queritur, cuinam sit restituenda pecunia, vel res temporales receptae pro spirituali?

Resp. Regulariter ei non est restituenda, qui eam contulit, quia turpiter, & contra legem irritantem, ac iustitiam dedit, sed Ecclesiae, in cuius ignominiam data fuit cap. si quis in atrio 17. quest. 4. & cap. de hoc de Simonia, & ibi Glol. in ver. restituant; vel pauperibus, si Ecclesia fuerit in culpa, hoc est totum Collegium consensit Simoniae. Ex misericordia tamen potest dari tribui, dum non habet, unde vivat, vel cum dans pecuniam non peccavit in jure, vel in facto, quia bona fide, & ignoraverit dedit. Fagnan. in 5. decretal. ad cap. tua nos de Simonia numer. 13. Cabasut. cap. 9. num. 2. nam ineulpabiliter dedit.

31. Sed queritur, an res Simoniacè accepta, ut Beneficium, & dignitas Ecclesiastica, sit resignanda, & dimittenda?

Resp. Affirmative, ex cap. cum detestabile de Simoniam inter extravag. com. & ex const. B. Pii V. Cum primum in Bullar. Cherub. in qua hæc sunt: qui dignitates Ecclesiasticas Simoniacè acquiserit, illis sit ipso jure privatus, & in futurum inhabilis ad eas, & quascumque alias obtinendas; qui Beneficium, aut Officium Ecclesiasticum Simoniacè adeptus fuerit, illis similiter sit ipso jure privatus, & ad fructuum omnium, quos perceperit, restitutionem teneatur, & perpetuo sit inhabilis, &c.

Et non modò resolutio procedit, si Simoniam fuerit realis, verùm etiam si fuerit conventionalis, ut expresse disponit Pius IV. const. in sublimi, ibid. edita pro reformatione Sac. Pœnitentiariæ: in qua legitur: Caveat, etiam Pœnitentiarius, ne in absolutionibus à Simoniam reali, vel conventionali etiam occulta, unquam concedat, ut ipsi Simoniaci Beneficia, super quibus Simoniam commiserunt, seu pecunias, vel alia pro illis accepta, aut fructus, exinde post commissam Simoniam acceptos, in toto, vel in parte retinere possint; quinimò in absolutionibus hujusmodi apponatur clausula, quòd uterque ad Beneficium, super quo fuit commissam Simoniam, perpetuo inhabilis existat.

32. Sed quid, si quis ignorans Simoniam Beneficium receperit, vel ad Prælatum fuerit electus?

Resp. Tunc collatio nulla est cap. no-

bis de Simoniam, ubi nulla declaratur illius electio, cujus amici, ipso ignorante, dederunt electoribus aliquid pro illius electione: qui si habita notitia commisit Simoniam, dignitatem, vel Beneficium non dimittat, pœnis pro Simoniacis taxatis ligatur. Plafec. prax. par. 2. cap. 4. art. 6. n. 11. & n. 12. tradit, Simoniacum teneri in foro conscientie dimittere Beneficium, & fructus restituere, etiam ante sententiam declaratoriam Judicis; quia, ut notat Quaranta sum. Bullar. ver. Simoniam vers. quantam igitur, in illis non videtur justè inticulatus, cum ab initio nihil juris in eis acquisierit: & non modò fructus reddere tenetur, verùm & id in quò factus ditior, detrahit expensis. De la Cruz dub. 17. v. sup. num. 13. & 14.

33. Queritur, an Simoniam inducat excommunicationem Summo Pontifici reservatam?

Resp. Affirmative: pro Simoniam commissa pro ingressu Religionis, tam dantibus, quàm recipientibus aliquid, legitur statuta cap. sanè de Simoniam extravag. com.

Pro illa commissa à Simoniacè Ordinate, & Ordinato, ac à mediatoribus, si manifesti sint, vel occulti, habetur cit. cap. cum detestabile: & nota, Sixtum V. in Bulla; Sanctum, & salutare contra Simoniacè, & promoventes alias statuisse pœnas, quas, quo ad eos Clement. VIII. in sua const. Romanum Pontificem, quamvis, quò ad alia, moderetur illam Sixti, firmas esse voluit. Ordinans itaque. I. Suspenditur ab executione munerum Pontificalium, & à collatione ordinum, etiam Primæ Tonsuræ. II. Inter-

Interdicitur ab ingressu Ecclesie: & si spretis suspensione, & interdicto, prædictis temerè se ingesserit, à regimine suæ Ecclesie, aut Monasterii, & à perceptione fructuum omnium suorum beneficiorum suspenditur, & à solo Papa suspensio relaxatur. Ordinatus verò. 1. Suspenditur ab exercitio Ordinum, sine spe ascendendi ad alios ordines. Si præsumperit ministrare, fit irregularis, & privatur quolibet beneficio, & dignitate: & si fuerit Regularis, etiam voce, activa, & passiva.

Pro illa verò, tam in collatione, quam adeptione beneficiorum, & dignitatum Ecclesiasticarum commissa legitur in alleg. cap. cum detestabile, & comprehendit tam principales, quam mediatores, & procuratores, & electos, ac eligentes.

34. Sed queritur, an scientes aliquos in præfatis Simoniam commississe, vel procurasse, aut mediatores fuisse, & non revelantes, aliqua censura incidantur?

Resp. Quamvis nulla ligentur, adhuc tamen absolvi non possunt, donec revelent, ut ibi expressè textus.

35. Sed queritur, an Simonia debeat esse realis, ex utraque parte completa, sic, ut ex una parte datum sit premium Simoniacum sive in totum, sive ex parte, & ex altera contributares spiritualis, & sacra?

Resp. Affirmat Layman, cit. num. 68. Cabasut. cap. 8. num. 2. Ant. à Spiritu Sancto sect. 29. Pialec. cit. num. 6. De la Cruz dub. 17. & habetur ex alleg. decreto sub Clem. VIII. in quo inter alia prohibetur, Confessarios absolvere à Simonia

reali scienter contracta, & confidentiali beneficiis. Crediturim sufficere etiam conventionalem mixtam.

36. Sed queritur, an Simoniam mentalis inducat censuram?

Resp. Negative; ex cap. mandato de Simon. Pialec. præf. part. cap. 4. art. 7. Fagnan. in 1. decretal. ad cap. cum ad nostram de elect. num. 19. & ad cap. ex parte de offic. deleg. num. 19. & in 5. adit. c. tua D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 6. ad 6.

37. Sed queritur, an inducat obligationem resignandi beneficium, & restituendi receptum pro eo?

Resp. Plures negant: sed non consentio, nam pretium pro re invendibili datur, & sumitur, & ita nec emptor rem spiritualem, neque venditor pretium suum facit; propterea dixerunt quidam apud Cajetanum dari obligationem restituendi rem spiritualem, & pretium respectivè, non ratione legis Ecclesiasticæ, sed ratione juris naturalis, quatenus injustè accipitur, quidquid Simoniacè adipiscitur; sed quia alleg. cap. mandato statuitur sufficere Simoniacò mentali, qui sine prævio pacto, sed affectu animi recepit temporale pro spirituali, ut Deo per solam penitentiam satisfaciatur; & non exigit resignationem, & restitutionem, immò non tenetur concludit, idè juxta ibi disposita præsumitur esse peccatè; sed meliori resolutioni me submitto.

Nota ad incurrendam censuram contra reos Simonie confidentialis in beneficiis, statutam à B. Pio V. in c. consist. intolerabilis, sufficere, si unus alteri beneficium in confidentiam resignet, quamvis alter in confidentiam

tiam non intendat recipere, ut ipse B. Pontifex per hæc verba significat, etiam si sola dimittentis intentione receperit; & infra: licet ipsum confidentia crimine alterius tantum partis conscientia sit admis- sum.

38. Quæritur, quomodo se gerere de- beat Confessarius cum penitente Simo- niaco?

Resp. Si reus sit Simonie realis, scien- ter contractæ, aut confidentiæ benefi- cialis eum absolvere nequit juxta dis- posita in allegatis constitutionibus, & adducto decreto sub Clemente: sed de- bet ipsum ad summum Pontificem diri- gere.

39. Sed quid, si haberet facultatem, ut tempore Jubilei, absolvendi a casibus in eo decreto expressis?

Resp. Deberet prius interrogare, an habuerit errorem in intellectu contra fi- dem, credendo dona Spiritus Sancti, & res divinas pecunia posse possideri, & in commutationem venire pro re tem- porali: & an illum externè manifesta- verit; si affirmet, ut potè hæreticus formalis, absolvi nec potest tempore Jubilei ex dictis lib. 1. cap. 74. n. 29. nisi in literis sit specialiter indultum, quod etiam ab hæretis crimine Confessarii ab- solvant.

40. Sed quid, si contra fidem nil credi- dit?

Resp. Debet respectivè obligare ad re- stitutionem pretii Simoniacè recepti, & ad dimittenda beneficia, fructus perce- ptos, ac Ecclesiasticam dignitatem, & Præ- laturam Simoniacè adeptam; nec potest absolvere, nisi cum effectu ea adimpleat, dum impotens moraliter non sit.

Matthæus & Cantela Confesi.

41. Sed quæritur, an tempore Jubilei possit penitentes Simoniacos habilitare ad officia, & dignitates, ad quas per simile cri- men sunt inhabiles.

Resp. Negativè, nisi in literis Jubilei id expressè concedatur, quod regulariter semper negatur; quemadmodum & fa- cultas dispensandi super irregularitate, prout expressè in eis legitur.

CAPUT XXVII.

Prop. XVII. ab Innoc. XI. Sc. Electio ad dignitates Ecclesiasticas.

1. PROP. 47. *Cum dixit Conc. Trid. eos alienis peccatis communican- tes, mortaliter peccare, qui, nisi, quos digniores, & Ecclesia magis utiles, ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium, vel, primò videtur per hoc digniores; non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo: vel secundò, locutione minus propria; ponit dignio- res, ut excludat indignos, non verò di- gnos: vel, tandem loquitur tertio, quando fit concursus.*

Propositionem docuit Tambur. lib. 8. in decalog. tract. 3. cap. 4. n. 4. nu. 5. & S. Poncius cursu Theolog. disp. 59. quest. 1. conc. 5. num. 40. Contra quos, aliosque Authores sensum verborum Trid. sess. 24. cap. 1. de ref. nisi, quos digniores, tangentium qualitates necessaria in per- sonis assumendis ad Ecclesiasticas di- gnitates, Prælaturas, & beneficia, ex- torquentes ad improprium, & nutriti- vum peccati, est decretum Innoc. Quod est à Confessario ponderandum, ut si-

(Uuu)

milis

milis opinionis viros, à reprobato errore ad veram intelligentiam reducat; ad Distributorum, & Electorum conscientias juxta legitimum sensum in Trid. expressum, & ab Innoc. intentum instruat, & dirigat.

2. Quæritur, quinam censeantur digniores pro beneficiis, & Ecclesiasticis dignitatibus.

Resp. Qui habent qualitates requisitas ad ministerium dignè, & laudabiliter in utilitatem Ecclesiæ, & animarum bonum exequentur: digniores itaque reputantur, non qui absolute doctiores, & nobiliores, aut sanctiores fuerint, sed qui, consideratis omnibus, Ecclesiæ, & bono communi utiliores futuri esse creduntur. Considerandum est beneficia Ecclesiastica primariò, & principaliter instituta esse in utilitatem Ecclesiæ, ut hæc habeat idoneos Ministros; secundariò, & minus principaliter, ut præmiæ eorum, qui de Ecclesiâ, & eorum virtutes, & doctrinam benemeriti sunt, & aptiores ad serviendum Ecclesiæ; quare digniores non præcisè ex doctrina, & probitate, sed etiam ex prudentia, & aptitudine ad regendum, æstimandi sunt, quod dixit D. Thom. 2. 2. quæst. 63. art. 2. & ipsum Trid. ibidem per adjectam clausulam, & Ecclesiæ magis utilis, per quam priorè digniores explicuit.

3. Sed quæritur, an sit mortale eligere minus dignum ad Prælaturam Ecclesiasticam, eique beneficia, & Officia Ecclesiastica conferre, qui minus utilis bono communi, & animarum salutis prævidetur, relicto digniori, & qui magis

idoneus pro utilitate spirituali judicatur?

Resp. Affirmativè, sic loc. citat. Trid. & D. Thom. art. 2. & cum illo omnes communiter: nam id est mortale, quod ex sua natura habet oppositionem cum charitate, seu cum mediis necessariis ad conservandam charitatem cum Deo, vel proximo; sed electio minus digni, relicto digniori, oppositionem habet cum justitia distributivâ, quæ est medium necessarium ad conservandam charitatem cum proximo: qui, qui non vult dare per justitiam distributivam bonum proximo debitum, certe non vult bonum proximi, nec eam diligit.

Adde, quod electio minus digni, relicto digniori, est electio minus utilis, relicto magis utili, ergo, qui ipsum eligit, non justè procedit, nec justitiam providet ad impedienda peccata, & peccatorum pericula, quæ per magis idoneum impediri possent; & peccat etiam contra charitatem, peccato scandali, dum præbet proximo occasionem ruinæ spiritualis, & alienis peccatis cooperatur.

Solus ex parvitate materiæ potest esse veniale, si nimirum leve detrimentum debeat communitas sentire; pondera in fine cap. verba D. Thomæ.

14. Sed quæritur, quæ ratione electio minus digni opponatur justitiæ distributivæ?

Resp. Quia per hujusmodi electionem delinquitur peccato acceptionis personarum: acceptio autem personarum est vitium justitiæ distributivæ oppositum, pro ut optime S. Thom. cit. art. 1. cum

cum quo ponderet Confessarius, iustitiam distributivam esse virtutem, cuius est bona Reipublicæ inter cives ejusdem ad ipsius utilitatem dividere, & distribuere, servando æqualitatem Geometricam, ad ipsorum qualitates, & merita; cui per defectum opponitur acceptio personarum: quæ tunc contingit, quando Superior in distribuendis bonis Reipublicæ non considerat merita personæ, sed vel utilitatem respicit Reipublicæ, sed, vel personam, aut qualitatem ipsius, quæ in tali distributione considerandæ non sunt: v. g. confert quis Petro Parochiam, vel in Prælatum Paulus eligitur, non quia dignus, idoneus, ac utilis futurus populo, vel Provinciæ consideretur, sed quia consanguineus, amicus, nationalis, vel quia non considerantur qualitates, quæ reddunt præfatos dignos Parochia, vel Prælatura, sed solum personæ, vel conditiones, quæ nil faciunt, ut sint digni talibus ministeriis; alioquin, si sola amicitia ad id sufficiens foret, amico etiam inepto, ad satisfaciendum obligationibus suis, & Reipublicæ non utili, possent ea sine peccato dispensari, quod est falsissimum propter damnnum, quod pateretur Communitas, & peccata, quæ non impedirentur in populo.

5. *Quæritur, petit Distributor officii Ecclesiastici instrui super modo, quem servare debet, ne erret, in distributione, & electione, quid Confessarius dicturus erit?*

Resp. Inter alia monebit, I. Quod obligationem habet ita providendi, ut ex electione, vel distributione dam-

num Ecclesiæ, vel populus non patiantur.

II. Quod officia Ecclesiastica debent distribui in bonum Ecclesiæ, & animarum.

III. Quod sufficientem diligentiam debet adhibere ad examinandum, qui sit dignus, quive dignior.

IV. Quod debet providere servitium, vel ministerium, & non persona.

V. Quod bona Communitatis, & præsertim Ecclesiastica officia, sunt distribuenda meritis, & juxta cujusque merita; ac juxta ea fundatur in merito, consequenter, quod majus habeat, qui magis meretur, & est utilior.

VI. Quod una persona potest esse digna respectu unius officii, & non respectu alterius; sic, quis potest esse dignus pro Canonatu, & non pro Episcopatu, pro Magisterio, non pro Provincia-latu.

VII. Quod is, cui commissæ est distributio beneficiorum, & dignitatum Ecclesiasticarum, non est Dominus bonorum Ecclesiæ, ut possit ea dare pro libito suo, sed dispensator, S Thom. art. 2. ad 1.

6. *Quæritur, Petrus impedit, ne Paulus consequatur beneficium ei ab Episcopo destinatum, quid debet Confessarius agere cum Petro?*

Resp. Quærat, 1. An impedierit ex odio, aut ex invidia, & tunc semper peccavit contra charitatem: 2. An viis injustis, puta, vi, dolo, vel fraude, & tunc debet Petrum urgere, ut manifestet injustas vias. Si Episcopum removerit ab intentione conferendi, ex quo falsa, vel vera, sed occulta, de Paulo Episcopo

(Uud) 2 retu-

retulerit, debet ipsum obligare ad vim, & fraudem tollendam, ac Paulo apud Episcopum famam restituendam; 3. Animadvertat, qualitatem beneficii, & dispositionem Episcopi ad conferendum: & pensata hic, & nunc condicione personarum, & negotii, obliget ad aliquid restituendum, sed non ad æquale, sed quantum hic, & nunc valet spes beneficii: quòd cum adhuc non sit adeptum, potest multipliciter impediri. D. Thomas.

7. Sed quid, si jam adeptus fuerit, & quis indebitè operetur, ut eo privetur?

Resp. Tenetur ad restitutionem æqualis, seu fructuum, quos Paulus potuisset ex beneficio percipere.

8. Sed quid, si non vi, aut fraude, sed solum mendaci consilio fuerit causa, quod Paulus beneficium non obtineret?

Resp. Etiam tunc teneretur restituere; ratio est, quia est causa injustè influens in damnata Pauli, ibidem S. Doctor.

Ex his nota, quòd impediens alterum vi, aut dolo, & fraude à consecutione alicujus boni, tenetur auferre fraudem, & vim, ac restituere damnun. quod sequitur; ratio est, quia, sic impedito, injuria irrogatur, ac jus leditur; cum injuria aliud non sit, quàm læsio juris alieni, quod quisque ex justitia habet, ne per causam indebitam, fraudem nimirum, & dolum impediatur à bono sibi dando; etiam si conferendum esset ex misericordia, liberalitate, vel gratitudine, Joan De la Cruz 7. *præcep. gn. 7. art. 2. dub. 8.*

9. Quæritur, an, qui ex officio, sibi

ab Ecclesia commissio, debet distribuere beneficia Ecclesiastica, teneatur restituere, si in distributione non procedat secundum diætamen justitiæ distributiua, distans esse attendendæ qualitates, & merita personarum, quæ possunt esse Ecclesia magis utiles, juxta proportionem boni communis?

Resp. Affirmativè; ratio est, quia in Distributore, cui ex officio ab Ecclesia sibi commissio iacumbit promovere ad officia, & beneficia; addit obligatio ex justitia commutativa erga Ecclesiam, ad procurandum maxima bona, & impedienda damna; sed hujusmodi non possunt impediri, & respectivè procurari, nisi digniores ad ea promoveantur; nam certè majus bonum in animarum salutem expectandum est, & minora damna timenda, si cura Parochialis, vel Prælatuæ committatur aptiori, quàm minus apto. Illung. *Thesol. moral. tract. 4. disp. quæst. 1. art. 3. § 2. num. 12.* & Joan. De la Cruz 7. *præcep. quæst. 7. art. 2. dub. 11.* Voluntas Ecclesiæ est, ut beneficia distribuantur cum proportionè ad meritum, quam Distributor tenetur sequi ex justitia commutativa; & ita ex ipsius voluntate providere ministros magis idoneos ad occurrendum malis, & bonum promovendum: ac restituere damna sequuta, tum Ecclesiæ, tum digniori relicto, dum secus egerit. De la Cruz *conc. 3.*

10. Sed quæritur, quomodo est restitutio à distributore faciendæ?

Resp. Si Ecclesiam, v. g. Parochialem, de inepto Pastore providit, tenetur provisionem irritam declarare, eique curam

conferre, cui debuisset conferri, ac compensare fructus, quibus injustè privat: detrahi tamen debent expensæ, quas necessariò in suam sustentationem fecisset.

11. Quæritur, an indignus provisus, suam indignitatem cognoscens, teneatur officium in foro conscientie ante Iudicis sententiam dimittere?

Resp. Affirmativè, quia sicut nullum jus habet ad beneficium, ita nullum jus in beneficio acquirit, nec potest suos fructus facere; ita Layman. lib. 4. tract. 2. cap. 15. num. 2. discurrens de invalidè electo propter impedimentum canonicum, censuræ, irregularitatis &c. nam excommunicato, suspensò, vel interdicto Ecclesiasticum beneficium conferri non potest, & collatio est nulla. Piafec. prax. p. 2. cap. 5. art. 3. n. 25.

12. Sed quid, si invalidè provisus, impedimentum ignoraverit, & bona fide fructus perciperit?

Resp. Tenetur postea restituere fructus extantes, & etiam, quatenus locupletior factus est, idem ibid.

13. Quæritur, an valeat electio minus digni, relicto digniori, & eo, qui magis nihil creditur?

Resp. Affirmat Piafec. cit. numer. 12. Engel. colleg. jur. canon. lib. 1. tit. 6. nu. 48. Fagnan. in 1. decretal. ad cap. cum dilectus de const. num. 19. D. Thom. est. quæst. 63. art. 2. ad 3. nam licet Sacri Canonones, & omnia jura clament, ut meliores, & utiliores Ecclesiæ, animarumque bono, etiam extra concursum, contra Authoris propositionis ab Innoc. damnatæ, eligantur, adeò ut peccent electores contra justitiam distributivam,

si, omisso digniori, eligant dignum; tamen post electionem, illa minus digni, omisso digniori, irrita ipso jure non est, nec retractatur, sed sustinetur, ut litium occasiones amputentur. Circa distributionem Ecclesiarum, Parochialium, vide Const. B. Pii V. In conferendis Kal. April. 1566.

14. Quæritur, an possit elector denegare suffragium in electione illius, quem ex confessione scit esse Prælaturæ indignum, & præsertim, si vota dentur ita secreto, ut nunquam sit agnoscendum, qui non dederit: v. g. sumus congregati ad effectum eligendi Prælatum, in consultoriis tractatibus, electioni de necessitate præmittendis, omnes convenimus Petrum esse Prælaturæ dignum, in quem propterea omnes inclinamur, interim ego audio ipsius Confessionem Sacramentali, ex qua agnosco ipsum esse hereticum, vel plurimum suffragia per Simoniam adeptum?

Resp. Negativè; nam non licet unquam uti scientia Confessionis, sed Confessarius, quò ad audita in Confessione, ita se debet gerere, ac si nunquam ea scivisset; etiam si sint defectus naturales, ut, quod quis sit illegitimus; nam, si talis usus liceret, difficilis, onerosa, & odiosa redderetur confessio, & multi retardarentur ab ea, dum scirent Confessarium non teneri ad secretum de auditis in Confessione.

15. In nullo itaque casu possunt Confessarii licitè uti novitia in Confessione habita cum directâ, vel indirectâ revelatione Confessionis, & gravamine pœnæ. Unde à S. Congreg. S. Officii 18. Novemb. 1682. fuit proscripta hæc
(Uuu) 3 propo-

propositio: *Scientia ex confessione acquisita nisi licet, modo fiat sine revelatione confessionis, & gravamine penitentis, nisi aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cuius comparatione prius meritò contemnatur: Addita deinde explicatione, sive limitatione, quòd sit intelligenda de usu scientia ex confessione acquisita, cum gravamine penitentis, seclusa quacumque revelatione, atque in casu, quo multo gravius gravamen ejusdem penitentis ex non usu sequeretur: & Statuerunt dictam propositionem, quatenus admittit usum dictæ Scientiæ cum gravamine penitentis omnino prohibendam esse, etiam cum dicta limitatione; & præsentis decreto prohibent, ne quis ultra audeat talem doctrinam publicè, aut privatim docere, aut defendere &c.*

16. Circa quam propositionem Pisanus in append. ad Glad. Gedeon. ad prop. damnat. ab Innoc. XI. num. 83. observat propositionem quoad primam partem: *Scientia ex confessione acquisita nisi licet, modo fiat sine directâ, aut indirectâ revelatione, & gravamine penitentis, non damnari: ita Confessarius ex confessione viri docti, vel pii, potest instrui in faciendo examine sue conscientiæ: & esse in necessitate pro solutione alicujus casus legendi libros, vel petendi à Doctioribus consilium, exponendo eis casum in abstracto, & non tanquam auditum in confessione: nunquam tamen licet uti notitia ex confessione habita, quando ex ea sequitur directâ, vel indirectâ revelatio confessionis; aut, licet ista non sequatur, habetur incommodum, & gravamen penitentis, & talis usus est nocivus honori, & reveren-*

tia Sacramenti. Quatenus fideles scientes posse Confessarios notitia confessionis juvari ad actus externos dirigendos, non tam fidenter ad Sacramentum accederent, sed forè ab accessu omnino averterentur. Ita Pisanus cit. & Diana coord. 10. 1. tract. 8. resolut. 15. & 16.

Hinc Episcopus non potest Ordines denegare petenti, quem ex sola confessione cognovit esse irregularem. Parochus non potest non conjungere in matrimonium eos, quos ex sola confessione novit habere impedimentum dirimens. Et Confessarius non potest licè vitare eum, quem ex sola confessione scit esse excommunicatum non toleratum: nec dimittere famulum, quem novit ex confessione esse furem, licet nullus possit suspicari hoc fieri propter notitiam habitam in confessione, quia hoc est per accidens, sed per se confessio redderetur odiosa. Nec Superior Regularis, licet possit esse caupior, & prudentior in regimine, ut si extra confessionem notitiam de delicto subditi recipiat, valeat eum corrigere per De la Cruz Direct. Conf. de Sacram. penit. qu. 6. num. 2. tamen pro nullo Religiosis bono potest notitia habita in Confessione subditum ab officio, etiam amovibili, remove: nec potest subditum alio mittere: clausuram melius custodire, ostium claudendo, muros erigendo; solitum egressum denegare, in motes subditi acrius invigilare: vel quid simile exterius operari, quia hujusmodi afferunt penitenti gravamen, & vim habent tacite reprehensionis, atque ita Religiosos ab accessu ad confessionem deterrent.

Ita Confessarius Novitiorum novitio, & elector eligendo non potest propter notitiam indignitatis ex confessione accepta votum denegare: ex usu enim huiusmodi notitiæ confessio redderetur odiosa, & Religiosi timentes sibi propterea posse suffragia denegari, vel retraherentur ab accessu ad confessionem, vel non nisi sacrilegè confiterentur; atque ita honor Sacramento debitus violaretur.

17. Proinde Clemens VIII. sub 26. Maii 1595. edidit decretum, quod refero lib. 4. cap. 5. num. 11. quo mandatur, ut Superiores, vel Confessarii, cum ad superioritatis gradum fuerint promoti, ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriori gubernationem utantur. Quod decretum importat non solum directionem, sed etiam præceptum obligans sub mortali, ut patet ex §. ultimo: ejus enim transgressio est res gravis: nam Pontifex voluit consulere subditis, & integritati, ac puritati confessionis. Ideo in omni eventu obligat, ut d. resol. 16. num. 3. Diana.

Et quamvis decretum loquatur de solis Regularibus, non sequitur Confessarios sæculares posse uti scientia ex confessione percepta, quia etiam in easu sequerentur eadem incommoda; Confessio enim redderetur difficilis, & odiosa, & fideles ab ea retardarentur, vel non aperirent peccata, propter quorum notitiam intelligerent se posse officio, vel suffragio privari. Nec obstat, quod à penitente ignoscatur, an suffragium fuerit à Confessario denegatum, quia suffragia dantur secreto: nam hoc est per-

accidens, sed per se confessio redditur gravis, & difficilis.

18. Dices scienter eligere indignum est ab intrinseco malum; ergo confessarius, qui ex confessione novit alienius indignitatem, non potest ad illius electionem concurrere.

Resp. Negaado consequentiam. Antecedens est verum. Sed adhuc Confessarius non peccat ipsum eligens, quia non eligit scienter indignum scientia utili & humana, quæ ipsi servit possit ad dirigendas operationes externas: Unde notitia illa in electione perinde se habet, ac si in eo non esset, & electio indigni, sic cogniti, est quasi ignoranter facta, quia ad ipsam accedit ut homo, & ut homo habet notitiam dignitatis. Ita cap. Sacerdos de officio Ord. disponitur, eos non esse puniendos à Præbato, dum tantum ex confessione Sacramentali sibi eorum defectus innotescunt, quia tunc non scit eos ut Judex, sed ut Minister Dei, & notitia incommunicabili foro exteriori.

19. At petitur, *Cajus, & Titius conveniunt occidere Confessarium, hac lege, ut si alter eorum penitentia ductus rem Confessario manifestet, à consocio revelans occidatur. Cajus Confessario narrat conventionem, cum Titio factam.*

Quæritur. An possit Confessarius in tali casu pro evitanda propria morte ea scientia uti, adeoque vel sugere, vel non celebrare?

Resp. Negative. Si ex sua actione, quamvis indifferenti cognita à Consocio penitentis, huic mors imminet: Ita Pisanus est. num. 84. uteretur enim notitia ex confessione habita cum gravamine peni-

pœnitentis, quod fieri in dicta propositione prohibetur. Unde si ex non usq̄ talis notitiæ sequeretur, vel penderet aut pœnitentis, aut totius mundi damnum, & ruina, non est dictus usus licitus, quia reddere confessionem odiosam, gravem, & difficilem est majus malum, quàm mors pœnitentis, & ruina totius mundi, ut notant Doctores. Unde Suarez alleg. à d. Pisano, ait, Confessarium, non posse uti scientia confessionis, ubi etiam periculum spirituale sibi immineret, & idque ex confessione deprehenderet.

20. Sed quid, si Sacerdos ex confessione videat sibi in Missa esse paratum venenum in vino consecrando, an possit à celebratione Missæ cessare?

Resp. Quilici Confessar. manud. art. 3. q. 10. n. 15. tradit, Sacerdotem teneri ad bibendum vinum, ne confessio reddatur odiosa, & difficilis. Pisano verò n. 84. docet, quòd si confessarius potest adeò secretè sibi consulere per susceptionem pharmaci, ut nulli suspicione afferat, quòd id faciat ex notitia ex confessione habita, nec damnum pœnitenti sequatur, potest pharmacum sumere, & tunc etiam non jejunus celebrare, quia in eo casu cessaret obligatio jejunii naturalis, quòd est de præcepto Ecclesiæ, & servare sigillum Confessionis est de præcepto naturali Divino, & Ecclesiastico. Casus à d. Quilici dicitur metaphysicus.

21. Queritur. Confessarius ex confessione Titii novit, quòd Lia est ipsius Concubina, & ei occasio proxima peccandi, interea Confessario occurrit Lelius querens famulam, Confessarius occasione discursus significat Lelio Liam

apertissimam fore pro tali famulari: ut hæc forma removeat à Titio occasionem proximam peccandi. Petitur, an licite?

Resp. Affirmat ex Diana d. resol. 16. num. 5. Pisano num. 9. Ratio est, quia supponitur, quòd nullus suspicari possit, quòd Confessarius ex notitia confessionis moveatur; & aliunde nullum gravamen, confusio, aut rubor pœnitenti obvenit, & aliàs ipsa vitatio occasionis proximæ non gravamen, sed levamen est pœnitentis, quia igitur nullum præjudicium redundat in persona, aut honore, vel confusio, aut rubor pœnitentis sequitur, usus notitiæ in dicto casu non est illicitus.

22. Verùm non est adeò facile hæc doctrina admittenda. Nam per accidens est, quòd nesciatur, an Confessarius ad commendandam Liam Lelio processerit ex notitia habita in Confessione; per se autem confessio redditur gravis, & onerosa: nam scientes, possit Confessarios notitia confessionis uti ad externos actus dirigendos, retaherentur à confessione; vel saltem non integrè confiterentur peccata. Tum quia in casu periculum esse potest, quòd detegatur, Confessarium processisse ad commendandam Liam Lelio ex notitia habita ex confessione Titii. Idèd cautiissimi sunt Confessarii.

23. Queritur, an pœnitens teneatur aperire in Confessione speciem boni, in cuius distributione peccaverit?

Resp. Affirmativè, ut inde Confessarius possit gravitatem peccati percipere: quia, ut loquitur D. Thom. d. q. 63. art. 2. in corp. gravius peccatum est, personas accipere in dispensatione spiri-

spiritualium, quam in dispensatione temporalium; ideo exprimere debet, an male distribuerit bona Ecclesiæ, vel Reipublicæ Laicæ, vel Familix, & an sint honores, gradus, vel bona fortunæ; ipseque Confessor animadvertat ad verba S. Thomæ cit. quest. 185. art. 7. in corp. quibus utitur in questione, an Episcopi mortaliter peccent, si bona Ecclesiastica, qua procurant, pauperibus non largiantur; ubi habet: si in modico deficiunt, vel superabundet (distributor) potest hoc fieri absque bona fidei detrimento, quia non potest homo in talibus punctualiter accipere illud, quod fieri oportet; si vero sit multus excessus, non potest latere; unde videtur bona fidei repugnare, & ideo non est absque peccato mortali.

CAPUT XXVIII.

Prop. XLVIII. & XLIX. ab Innoc. XI. Sc.
Species luxurie.

1. PROP. 48. Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

Prop. 49. Mollities jure natura prohibita non est. Unde, si Deus eam non interdixisset, sapè esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

Caramuel sub eisdem terminis utramque propositionem docuit, voluitque fornicationem, & mollitiem, ideo esse peccata, quia Deus eas prohibuit. Et ipse concedit, esse de fide, ipsas esse peccata lethalia, eam non nisi peccatum Matthæi Cantala Confess.

mortale excludat à regno Dei, à quo fornicatio, & mollities excludunt, ex testimonio Pauli 1. ad Corinth. 6. ad Galatas, & ad Ephesos 5. verum rationibus probat, quod, præcisa prohibitione divina, talia non forent; contra quem Innoc. Decretam edidit, & sunt omnes DD. communiter cum D. Thoma 2. 2. qu. 154. ad quem Confessarium remitto, & interim aliqua spectantia ad luxuriæ peccata resoluta propono.

2. Suppono I. Castitatem esse virtutem, quæ moderatur venereas voluptates. Sed est ponderandum, non omnem actum venereum, & voluptatem carnalem prohibere, aliàs opponeretur propagationi speciei; nec omnem concedere, alioquin non esset virtus, quæ in medio consistit: nec foret moderata abstinencia ab actu venereo, prout solet ipsa etiam definiiri; ergo aliquem admittit: sed ita moderatur, ut non fiat, nisi quando, & eo modo, quo secundum rectam rationem decet: hoc est, ut non fiat extra matrimonium, extra quod omnem omnino prohibet. Castitati opponitur luxuria, quæ est Immoderata cupido, & usus venereorum, juxta D. Thom. cit. art. 1. ubi dicit peccatum luxuriæ in hoc consistere, quod quis non secundum rectam rationem delectatione venerea utatur.

3. Suppono II. Quod alia est castitas conjugalis, vidualis, & virginalis. Prima, est abstinencia ab omni actu venereo extra matrimonium, & in matrimonio eo utitur ad generationem proles, vel in remedium incontinentiæ. Secunda est abstinencia ab omni actu venereo, etiam licito in novo matrimonio. Tertia est absti-

(Xxx)

absti-

abſtinentia ab omni actione venerea, tam licita in matrimonio, quam illicita extra, tam interna, quam externa; hæc eſt propria eorum, qui caſtitaſem abſolute voveant, de quibus intelligitur, quod voveant caſtitaſem perpetuam, & perfectam, & non ad tempus, aut quod tantum velint abſtinere à conjugio, aut non cognoſcere mulieres: virginitas enim, ut à ſtatu virginali diſtinguitur (in quo ſunt puella ante matrimonium cum integritate carnis, quam à natura habent) perpetuitatem dicit.

4. Suppono. III. Luxuriam, tamquam in ſpecies dividi in *ſimplicem fornicationem, adulterium, ſtuprum, inceſtum, raptum, & peccatum contra naturam*, quibus addi poteſt *Sacrilegium*. Si carnalis copula ſit ſoluta cum ſoluta, eſt ſimplex fornicatio: ſi cum uxorato, vel matrimonio conjuncta, adulterium: ſi cum ſanguine conjuncta, vel affine, inceſtus: ſi cum virgine, per deflorationem tollendo virginitatem, ſtuprum: ſi cum muliere per vim, & violentiam abducta de uno ad alium locum, in ordine ad commodiorem coitum, raptus: ſi cum Deo, conſecratis per votum caſtitaſis, vel in loco Sacroſacrilegium: & peccatum contra naturam, dum habetur voluntaria ſeminis effuſio alio modo, quam à natura inſtituto, concedente potentiam generativam in ordine ad procreationem proliſ.

Iſtud ſub ſe habet, *mollitiem ſodomitam, & beſtialitatem*; quæ ſpecie diſſerunt, & debent in Confefſione aperiri; de quibus non eſt opus plura dicere, quia natura inſtructione non eget.

ſ. Sed dices, omnia hæc ſunt contra

eandem virtutem caſtitaſis, ergo ſpecie non diſſerunt; nam colligimus unum peccatum mortale ab alio ſpecie diſſerre, propter oppoſitionem ad diverſas ſpecie virtutes; ſic furtum à fornicatione ſpecie diſtingui aſſerimus, quia illud juſtitiæ, hæc caſtitaſi repugnat, ut lib. 1. cap. 17.

Reſp. Verum eſt, eſſe contra eandem virtutem caſtitaſis, ſed non ſecundum eandem ſpecie malitiam, & deformitatem, ſed alia diſſerenti malitia formali in eandem virtutem ſervatur: cum alia ſit formalis malitia, & turpitudinis fornicationis, & alia adulterii, beſtialitatis &c. Nullus enim negare poteſt, quin in genere luxuriæ major ſit turpitudinis, & deformitas adulterii, quam illa ſimplicis fornicationis &c.

6. Unde Confefſarius notet, per fornicationem præjudicari bono à natura intento in actu venereo, optimæ nimirum educationi proliſ: per adulterium ſit injuria alteri conjugum: ideò eſt peccatum contra duas virtutes, caſtitaſis, & juſtitiæ, ut ex dicendis cap. ſequenti, per ſtuprum injuria irrogatur parentibus, & tutoribus, ſub quorum cuſtodia eſt puella, quæ defloratur, & quæ proinde conſtituitur in periculo meretricandi, à quo retraheretur metu amittendi ſignaculum virginitatis, & eſt peccatum contra caſtitaſem, & juſtitiam; per inceſtum ſit irreverentia ſanguine, vel affinitate conjunctis, quibus honores & reverentia debetur: in actibus enim venereis eſt turpitudinis honori, & reverentia contraria, & propterea eſt peccatum contra caſtitaſem, & pietatem; per raptum ſit injuria parentibus, vel

peccatio.

personæ, quæ abducitur ad turpia: & præter malitiam luxuriæ continet quoque illam rapinam. In peccato contra naturam est deformitas repugnans fini primario intento à natura in actu venereo, generationi nimirum hominis. Sodomia est peccatum gravius mollitiæ; & bestialitas gravius sodomia; de quo nullus prudens debet dubitare. In sacrilegio præter deformitatem luxuriæ, est malitia irreverentiæ, quæ fit Deo, dum polluitur persona, vel locus Deo dicatus, consequenter est contra virtutem castitatis, & Religionis.

7. In Confessione sunt distinctè à penitentibus reis explicandæ species luxuriæ: an nimirum peccaverint cum solutis, vel uxoris, consanguineis, vel affinis, cum virginibus, vel raptis, cum Deo sacris, & in sacris locis, vel contra naturam peccato mollitiæ, vel Sodomie, aut bestialitatis; debent numerum aperire, tam personarum, quam vicium, & alia, de quibus *lib. 1. cap. 18.* quæ hic omitto, ne dicta inutiliter repetam; quæ à Confessario videnda sunt, ut habens speciem peccati, possit remedia applicare, & curare infirmum.

8. Præfatis speciebus luxuriæ solet addi impudicitia, quæ versatur circa tactus impudicos, oscula, verba obscœna, & aspectus libidinosos, quæ in non conjugatis, etiam propter solam delectationem in eis repertam, sunt peccata mortalia; nam huiusmodi delectatio est ex natura sua mortalis; nam actus, qui nequit stare cum charitate, est mortale, sed non potest simul cum actu venereo stare charitas, ex dicendis infra,

ergo nec cum dispositionibus excitantibus ad eum actum. Vide dicta *lib. 1. cap. 29.* & Joan. De l. Cruz *6. præcept. artic. 1. dub. 2. conc. 1.* & pondera præfatos actus esse circumstantias, & pertinere ad speciem coitus, adeo ut, si fiant cum uxorata, habeant malitiam adulterii; cum soluta, fornicationis; cum virgine, stupri; cum consanguinea, & affine, incestus; cum Moniali, sacrilegii, &c. etiam si ex intentione operantis non ordinentur ad copulam; sat est enim, quod ex sua, vel natura operis ordinentur ad illam, & voluntariè procurentur.

9. Quæritur, *an luxuria ex sua natura sit peccatum mortale?*

Resp. Affirmativè; quod patet, ex quo luxuria, sed quælibet delectatio carnalis, omnisque actus venereus consummatus, & exercitus extra matrimonium, opponatur castitati, quæ sub mortali prohibet omnem huiusmodi actum, & delectationem veneream, ut non fiat extra matrimonium, ergo cum extra ipsum voluntariè exercentur, sunt mortalia.

Et maxime suadet animadversio, quod actus venereus sit à natura principaliter intentus ad generationem proles, & ipsius rectam educationem, non modo corporalem per cibos, verum & moralem per instructionem; cum homo non sit quoddam animal, sed animal rationale; qui autem actum venereum exercet sine præfacto fine, illum exercet, quomodo non decet, & cum damno proles; quoad esse, ut contingit in peccatis contra naturam; & quoad educationem, ut evenit in aliis speciebus luxuriæ, ergo mortaliter peccat:

(XXX) 2

cat:

cat: quia mortaliter peccamus, dum aliquid operamur, quod nequit stare cum charitate, sed actus veneris extra conjugium non potest stare cum charitate; nam charitas vult bonum proles, talis vero actus extra matrimonium habitus bono proles præjudicat: cum, si aliter fiat, quam inter virum, & feminam, esse privetur: si verò sit inter virum, & feminam, matrimonio non conjunctos, recta educatione, vel saltem periculo exponitur, ut non rectè educetur.

10. Quæritur, an actus luxuria, vel delectatio venerea possit esse venialis ex parvitate materia?

Resp. Negative, sic DD. communiter: in peccatis itaque contra castitatem non excusatur ullus à mortali, ob parvitate materia, quæ in rebus veneris non admittitur; nam castitas quamlibet delectationem veneream, etiam secundùm se prohibet: cujus malitia est ejusdem speciei cum malitia pollutionis voluntaria: cum hac solum differentia, quod ea pollutionis sit major; qualibet enim venerea delectatio per Galenum, est quedam inchoata pollutio, cum secundùm se, & sua natura proximè ordinetur, & sit apta ad commovendos humores genitales in ordine ad consummatam voluptatem veneream in corpore; quilibet autem inchoatus actus pollutionis mortalis est, ergo & qualibet delectatio venerea, sive intentæ, sive remissæ, cum in utraque semper sit pollutionis periculum, & quod exerceatur contra finem à natura intentum, ergo eam procurans, vel voluntariè admittens, mortaliter peccat, quamvis per accidens pollutio non sequatur; quemad-

modum mortaliter peccat, qui voluberrè excitat scintillam ordinatam ad incendendas segetes, quamquam per accidens non sequatur incendium.

11. Sed dices, ergo saltem non peccabit fornicator cognoscens feminam sterilem, ex qua nulla est futura proles; vel, si provideat, ut proles rectè moraliter educetur?

Resp. Negando consequentiam; nam quòd proles non sequatur, vel rectè educetur, est per accidens, cum copula carnalis ordinetur per se ad generationem, & proles sic nata regulariter per se pravè moraliter educetur; in lege autem attenditur, quod est per se, non quod est per accidens. Deinde, natura non modò intendit vitare damnum mæ educationis moralis, sed etiam periculum, quod pravè proles educetur: quod non vitatur, licet in aliquo casu proles educetur rectè: & non modò sit periculum, & damnum, verùm etiam malum, quæ ex fornicatione sequuntur; cum proles ex fornicatione concepta careat securitate: liquidem ejus vita per se est in maximo periculo ante, & post natiuitatem, cum soleant Matres præcipue nobiles, & faminae bonæ famæ, non solum generationem impedire, sed etiam aliquando abortum procurare, & filios, etiam ante baptismum, occidere: si sunt masculi, ubi adolefcunt, variis delictis se tradunt: si feminæ, meretricium assumunt. Quæ providit etiam propagationi speciei per matrimonium: ergo nullus coitus extra ipsum, est necessarius ad speciem propagandam: alioquin pauci forent homines, qui uxorem ducerent, & jura, & Religio matrimonii

violarentur: ergo copula carnalis extra matrimonium est à natura prohibita, quia caret morali certitudine recte educationis, iustitia, & necessitate, ergo est intrinsece mala, & peccatum.

12. Sed quaeritur, quomodo peccaminosa non erit copula conjugalis inter senes steriles, & cum femina pregnante, dum ipsa non ordinatur ad finem inventum à natura, nimirum ad generationem, nec ab ipsis possit exerceri in bonum prolis, cum prolis generanda spes non adsit?

Resp. De hac re diximus cap. 7. nu. 20. Quorum Matrimonia valida sunt, & copula per se ad generationem ordinatur, cum semen emittant ex natura sua prolificum, etsi per accidens ratione debilitatis, vel accidentalis frigiditatis generationi ineptum; ad differentiam illius per Eunuchos, & Spadones, utroque teste privatos, et illi, quorum Matrimonia invalida esse declaravit Sixtus V. est. Cum frequenter, die 27. Junii 1587.

13. Sed dubitatur, an cognoscere conjugem ad solam incontinentiam vitandam, seu ad non peccandum ex concupiscentia contra castitatem, sit venialiter illicitum?

Resp. DD. dividuntur: aliqui cum D. Augustino lib. de bono conjugii cap. 7. & serm. 63. de divers. cap. 13. D. Thomas in 4. dist. 31. quest. 2. art. 2. in corp. & ad secundum, dicunt, non carere culpa veniali: quibus adheret Campion. part. 2. instruc. cap. 51. num. 12. & Contenson, Theol. 1. part. 4. dissert. 4. cap. 1. prop. 5. affirmantes post lapsum fuisse Matrimonium, etiam ordinatum à Deo in relictum incontinentiam, tamquam finem se-

cundarium subordinatum primario; generationi nimirum filiorum; consequenter peccare venialiter conjuges exercentes copulam principaliter ad evitandam incontinentiam; & deducunt ex illo Pauli 1. ad Corinth. secundum indulgentiam dico; ubi autem nulla est culpa, nulla est indulgentia.

Alii sustinent in eo nullam esse culpam, ita Layman. l. 5. tract. 10. part. 3. cap. 4. plures referens, & Poncius disp. 49. quest. 2. conc. 3.

Qui omnes hoc idem concedunt, quod actus conjugalis careat veniali culpa, cum exercetur ad gignendos filios: quia etiam caret ex parte reddentis, dum debitum reddit alteri conjugi petenti, propter vitandam incontinentiam in illo, quia in eo sine invenitur fides conjugii, hoc est, satisfactio obligationis ex iustitia reddendi debitum; juxta August. lib. de bono conjug. cap. 7. ubi: reddere debitum conjugale nullius est criminis, exigero autem ultra generandi necessitatem culpa venialis; ipsum legas ibid. & cap. in adolescentia 33. quest. 2. & qu. 4. cap. Virum propria.

14. Sed quaeritur, an veniale etiam sit, copula conjugali uti solum propter sanitatem?

Resp. Affirmative, ibid. Contenson: eum D. Thomas, ad 3. aliique, & Cardenas num. 52. ratio est, quia omittitur finis primarius Matrimonii, hoc est, bonum prolis in ordine ad conservandam speciem, & rectam educationem, & assumitur medium ad id, de se non ordinatum. Verum, si cum fine primario intenderetur etiam sanitas, id sine culpa veniali esset. Nec est necessarium.

(Xxx) 3

quod

quod intentio ob finem primarium sit actualis, sed fat est virtualis, ut ibi Cardenas nu. 4. & DD. in tract. de Matrim. De copula conjugali habita ob solam delectationem, vide cit. cap. 7.

15. Quæritur, quid sit delectatio morosa, & an à desiderio distinguatur?

Resp. Est voluntaria complacentia de objecto cogitato, sine ordine ad opus exequendum: qui purè morosè delectatur, non intendit exequi id, de quo delectatur, & desiderium consummare in ipso opere externo. Appellatur *morosa*, non à mora temporis, qua quis in ea perseverat, quia momento perfici potest, sed à mora voluntatis, quatenus non illicò, & dum plenè advertit, eam non repellit, nec reprimere conatur, sed voluntariè admittit, etiam si per unicum instans.

16. Sed quæritur, an cogitatio morosa sit peccatum mortale?

Resp. Affirmativè, modò sit cum plena advertentia intellectus de re mortaliter mala, ut homicidio, ebrietate, fornicatione, &c. ratio est, quia apparet esse contra rectam rationem, quod appetitus delectetur de re turpi, inhonestà, & mala. Layman. lib. 1. tract. 3. cap. 6. num. 4. Quare ponderet Confessarius, quòd in genere omnis delectatio morosa de objecto, vel opere intrinsecè malo, mala est: ita ut si, opus sit solum venialiter peccaminosum, ut mendacium officiosum, etiam delectatio de eo sit venialiter mala; si verò opus sit mortale, &

delectatio de eo erit mortaliter illicita: quod, si opus sit licitum, licita erit, si indifferens, talis & ipsa.

17. Sed quæritur, an delectari de commestione carnis in Quadragesima sit peccatum mortale delectationis morosa?

Resp. Distinguendum est: vel ita delectaris, ut velis carnes comedere eo tempore prohibeas, vel delectaris præcise de ipsa substantia commestionis secundum se. Si primo modo, mortaliter peccas, quia, si, cognito Ecclesiastico præcepto, habes desiderium, & propositum comedendi carnes in Quadragesima, habes quoque voluntatem transgrediendi præceptum; nam tunc non solum delectaris, sed vis efficere actum malum, & prohibitum: quoniam eo tempore non possunt carnes comedi (intelligo à non infirmis, & sine licentia) absque transgressione præcepti. Si secundo modo, non peccas, nec legem jejunii transgredieris, quia lex carnis commestionem prohibens prohibet commestionem carnis in re, non verò delectari de ipsius esu secundum se: modò retineatur propositum efficax non comedendi. Layman. cit. num. 9. Anton. à Sp. Sanct. tr. 5. disp. 8. sect. 2. §. 2. nu. 53. disco tertio.

18. Sed quare etiam non potest, qui delectari de fornicatione secundum se, quin mortaliter peccet?

Resp. Quia cum fornicatio sit prohibita, quia mala, non potest ab ipsa propria malitia præseindi, sed semper debet, ut turpis cognosci; commestio autem carnis tempore Quadragesimali est solum mala, quia lege positiva prohibita.

hibita, & ideo potest intellectus eam voluntati secundum se presentare absque extrinseca prohibitione, & sub ea ratione delectari; potestque esse delectatio commestionis carnis secundum se, & non delectatio carnis, ut in Quadragesima, quia sic certe est mortaliter peccaminosa.

19. Quæritur, an in Confessione sit explicanda circumstantia persona, de qua delectari contingit, an sit Uxorata, virgo, libera, vel Monialis?

Resp. Vide dicta lib. 1. capitul. 18. & hic nota, delectationes morosas esse diversæ speciei ex diversitate objectorum, sic, ut delectatio de homicidio, & furto contineat malitiam injulitiae, & delectatio circa objecta venerea malitiam contra castitatem, diversam, juxta qualitatem objectorum, & personarum; circa quæ ego plura non addo; cum in hac materia melius, & tutius sit silere, quam loqui. Sed consulas DD. & tibi caveas, ne curiositate in peccatum traharis.

20. Quæritur, an liceat conjugibus delectari voluntariè de copula inter eos habita, vel habenda?

Resp. Communior opinio affirmat, secluso ulteriori periculo. Layman. nu. 12. Mastrius 195. De la Cruz art. 9. dub. 12. An. à Sp. Sanct. tract. 11. disp. 20. sect. 12. Campion. part. 1. Inst. ult. ad nud. Confess. cap. 3. num. 5. alique plures; ratio est, quia delectantur de actu licito, de copula nimirum conjugali, quæ illis ratione Matrimonii licita est: & per accidens est, quod ob absentiam non possit exerceri, ergo & delectatio de copula cogitata, cum talis sit delectatio, quale

est objectum: sed tutius est, ut abstinere.

21. Quæritur, an liceat vidua voluntariè delectari de copula præterita cum suo viro?

Resp. Negativè, sed mortaliter peccat; ratio est, quia pro tempore, quo delectatur, copula est ei prohibita, ergo quidquid ad eam conducit.

22. Sed quæritur, an sponsis liceat voluntariè delectari de copula futura?

Resp. Negativè, propterea eandem rationem, quia eis non est licitus, nec permissus actus externus, de quo delectatur. Layman. & De la Cruz cit. quibus neque licent tactus, oscula, & amplexus impudici: juxta dicta lib. 1. cap. 29. num. 7.

23. Quæritur, penitens se accusat, Pater, habui cogitationes impuras, super quo est à Confessario interrogandus?

Resp. I. An advertens se habere tales inhonestas cogitationes, voluntariè in illis perseveraverit, & commoratus sit: vel negligens fuerit in eis repellendis, & prohibendis; an vero totus fuerit in eis fugandis, & statim fecerit, quantum potuit, & debuit, ut eas rejiceret, divertendo intellectum ad alia objecta honesta, recurrendo ad orationem, &c. Si dicat eas sine mora rejecisse, ac prohibuisse, quævis alia interrogatio superflua est, cum tunc non peccaverit.

Si verò advertens eas non prohibuit, sed acceptavit, & admisit, etiam per instans, mortaliter peccavit; propterea debet aperire speciem cogitationum, delectationum, an fuerint circa perso-

nas nuptas, vel solutas, virgines, masculos, &c. & numerum exprimere: ut sexies habui cogitationes, & delectationes morosas, semel de nupta, de virgine bis, & ter de Moniali sum morosè delectatus.

24. Sed queritur, *pœnitens Confessario aperit, desideravi habere copulam cum Berta, si esset mea Uxor: & de copula sic per imaginationem proposita, morosè delectatus sum, peto, an mortaliter peccaverim?*

Resp. Affirmativè; ratio est, quia desiderium illud, & delectatio commovent, vel apta sunt commovere humores genitales in ordine ad voluptatem veneream in corpore, ergo licet ea conditione præscindatur, à copula malitia fornicationis, desiderium tamen illud adhuc delectativum, est secundum se mortiferum propter eam; etiamsi actu non excitetur delectatio sensitiva, nec commoveantur spiritus generationis infervientium, quia ad id tale desiderium est ex se ordinatum, & idoneum, *cit. à Sp. San. tract. 5. nu. 533. Ilung. tr. 4. disp. 1. art. 3. §. 4. num. 71.*

25. Queritur, *quando ut tu venereis censeantur esse mortalia?*

Resp. I. Cum à voluntate excitantur; hoc est, cum in ordine ad eos directè, & positivè applicantur media opportuna, & per se ordinata, ut si quis, data opera, ad eos excitandos velit cogitare de rebus venereis res turpes aspicere, osculari, de obscenis loqui, & alia similia agit: item cum, illis aliunde excitatis, voluntas consensum præbet; quoties enim voluntas, supposita intellectus advertentia, motus carnales, & delectationem veneream

sensibilem nec repellit, nec reprimere cœnatur, censetur consensum præbere, & mortaliter peccat; quæ vis enim delectatio, etiam minima, quæ in parte sensitiva percipitur ex voluntaria consideratione venereorum, secluso etiam consensu in opus externum illicitum, extra matrimonium, est mortaliter illicita.

26. Queritur, *an vir nobilis, seu divos manifestans in confessione, se deservisse virginem pauperem, sit à Confessario obligandus ad eam dotandam?*

Resp. Affirmativè, saltem quoad partem, licet ipsa spontè consenserit; ratio est, quia præsumitur eam, non tam ex levitate, quam ex necessitate id fecisse, adeoque cum tacita conventionem recipiendi, saltem partem dotis, qua alteri nubar. Quilici *Confess. manus qu. 7. art. 2. num. 12. Joan. de la Cruz direct. conf. 7. præcep. 9. nu. 2. dub. 4. conc. 5.*

Cum quibus DD. tradunt, eam, qui vi, dolo, fraude, vel minis Virginem violavit, trineri, per se loquendo, eam in uxorem ducere, *cap. si se duxerit de adulteriis*; ratio est, quia ei injuriam fecit: dixi per se loquendo, quia dantur plures casus, in quibus corruptor ad id non tenetur. 1. Si sint multum disparat. 2. Si gravia scandala ex matrimonio probabiliter timerentur. 3. Si vir interim sacris initiatur, vel intret Religionem, vel aliam in uxorem duxerit. 4. Si Pater puellæ recuset eam ipsi tradere. Sed tunc ex justitia tenetur dotare, vel dotem augere; ut possit eam bene nutrire, quam possit, si foret virgo: quod si ipsa æquè bene nupsisset, ac si esset virgo, & nulla infamia sit Patri, vel ipsi secuta, ad nil

nisi stuprator tenetur, cum tunc nullum intulerit damnum.

27. *Queritur, corruptor interrogatus Confessarium, an teneatur stare promissis cum Berta, quam defloravit sub promissione matrimonii, cui promississe affirmat, sed promissione ficta, & animo ipsam non ducendi?*

Resp. Tenetur eam ducere; ratio est, quia ea promissio est contractus cum virgine; quæ ratione ipsius permittit copulam cum gravi suo præjudicio, ergo sicut ipsa ex sua parte conditionem adimplevit, ita corruptor debet ex sua. Aliqui eum excusant si virgo poterat cognoscere promissionem non esse veram.

28. *Sed quid, si deflorator esset valde nobilis, & virgo plebeja?*

Resp. Quidam ipsam liberant, quia facile virgo poterat cognoscere, quod verè non promitteret. Sed id non admittitur à Poncio *dispnt. 52. qu. 7. num. 41.* eum illa disparitas non videatur sufficiens, ut id cognosceret: quando quidem, ea non obstante, posset verè promittere, ut alii nobiles sæpè fecerunt, ergo, nisi aliunde fictio appareat, manebit obligatio. Eiusdem opinionis est Quilici ubi supra *num. 17.* Quod totum intelligendum est, nisi imminant scandala, gravia damna, & contentiones inter consanguineos; quia eum iustitia non obligat ad illicitum, non potest in eo casu ad matrimonium obligare, quod ratione scandali, & damni foret illicitum; quare tunc teneretur ad compensanda damna; & sic vel ad dotandum, vel ad augendam dotem: vel ponere ipsam, quantum possibile est, in tam bono statu, quam fuit ante, in ordine ad ducendum.

Matthæus de Canele Confess.

endum maritum. Quæ etiam exequenda ab ipso forent, si post stuprum superveniret ipsi impedimentum dirimens matrimonium, ut si fieret affinis, vel aliam duceret, si sacros Ordines suscipere, &c.

Adverte; quod si femina decipiat virum fingendo se virginem, ad nihil vir tenetur, neque ad damna; nam ea sibi imputat mulier, quæ virum sub conditione virginittatis decepit, & vir sub eadem conditione promissit.

29. *Sed quid, si deflorator prius emisisset votum castitatis perpetua, vel Religionis, & virgo pateret deflorationem cum promissione matrimonii?*

Resp. Non tenetur eam ducere si puella scivit votum, quia promissio ratione voti fuit illicita; teneretur tamen ad damna compensanda, si sequantur, & ipsam dotare, vel dotem augere. Vid. *sup. cap. 16. num. 33.*

30. *Queritur, puella post occultam deflorationem obtinet dotem à Confraternitate N. qua solis virginibus ex dispositione testatoris debetur, petitur, an possit eam retinere?*

Resp. Negative; nam ei datur contra mentem testatoris, & in præjudicium puellæ revera virginis: & ideo, vel eam restituere debet, vel recurrere ad majorem Pœnitentiarium, cui in constit. Innoc. XII. *Romanus Pontifex, edita 9. Septemb. 1692. super facultatibus majoris Pœnitentiarum, datur facultas, ut infra. Cum puellis, qua virgines non sunt, & dotes petunt, seu obtinuerunt à Confraternitatibus, aut aliis locis, vel dispensatoribus piis, quibus injunctum est, ut illas virginibus tantum*
(YY) deat,

dent, seu distribuant, in occultis, & in foro conscientia tantum, quatenus illa in posterum honeste vivant, facultatem habeat dispensandi.

Nota, luxuriam esse vitium capitale, & quod ejus filia sunt, ac ex ea originem habent: *levitas mentis, precipitatio, inconsideratio, inconstancia, amor sui, & hujus mundi, odium Dei, & horrore futuri saeculi*; quia luxuriosi, veluti caeci, non percipiunt id, quod secundum rationem percipere deberent: imprudenter agunt; statim à bonis propositis deficiunt; inordinate propriam delectationem, & res hujus saeculi appetunt: Deum, tamquam concupiscentiae vindicem, odio habent: res aeternas fastidiunt, & contemnunt, ac ratione venerorum parati sunt beatitudini renunciare.

31. Quæritur, an præter luxuriam dentur alia peccata capitalia, & cur capitalia dicantur?

Resp. Affirmative. Celebris est divisio septembris peccatorum, in *Superbiam, Avaritiam, Luxuriam, Iram, Gulum, Invidiam, & Acediam*. Quæ capitalia dicuntur, quia ex ipsis, tamquam ex fonte multa vitia, derivantur, & originem habent.

32. Ex superbia nascitur. 1. *Presumptio*: qua quis animo elato præsumit obtinere aliquid temerè, vel quod est supra suas vires; de opposita spei *Theol. diximus lib. 1. cap. 1. 2. Ambitio*, inordinata nimirum cupiditas dignitatis, & honoris indebiti, vel debito majoris. 3. *Vana gloria*, hoc est, inordinata delectatio humanæ laudis, vel vana cupiditas æstimationis propriæ excellentiæ, sive veræ, sive

fictæ. 4. *Fastantia*, de qua supra cap. 17. in fin. 5. *Hypocrisis*, qua quis se justum simulat, vel justiore, quam sit, ut ibidem nu. 21. 6. *Inobedientia*, qua quis dedignatur aliis subesse, & ut plurimum contemptum inducit præcipientis, vel prohibentis. 7. *Pertinacia*, cum quis nimis suæ opinioni, & judicio innatur, nolens credere meliori sententiæ, vel consilio. 8. *Cursiositas*, qua quis studet altioribus studiis supra suum statum, & capacitatem. 9. *Ingratitudo*, dum beneficium acceptum vel contemnitur, vel oblivioni traditur. 10. *Arrogantia*, per quam quis sibi attribuit, quod non habet. 11. *Dissordia*, seu voluntatum divisio: inter superbos enim semper sunt jurgia.

33. Ex Avaritia procedit. 1. *Obduratio cordis*, impediens commiserationes erga pauperes indigentes. 2. *Inquietitudo*, seu nimia sollicitudo acquirendi divitiarum, & nimis metus eas perdere. 3. *Fraus*, sive dolus in factis. 4. *Fallacia*, seu dolus in verbis. 5. *Proditio* contra fidem datam. 6. *Neglectus* divinorum, & salutarium. 7. *Injustitia, mendacium, & perjurium*.

34. Ex Ira oritur, *tumor mentis*, in hoc consistens, quod quis morose delectetur, & excogitet diversas vias vindictæ: quibus cogitationibus dicitur animus tumescere; item *contumelia, blasphemia, maledictiones, indignatio, &c.*

35. Ex Gula descendit *mentis hebetudo, inepta læticia, multiloquium, scurrilitas, immunditia* (quæ consistit in vomitu) & similibus.

36. Ex Invidia, habetur *odium supra*

furratio, detrahitio, gaudium in adversis proximi, tristitia in prosperis, & iudicium temerarium.

37. Ex Acedia, venit 1. *Tepiditas*, seu parvus boni amor, & languor spiritualis ad bonum. 2. *Desperatio*, qua quis desperat consecutionem beatitudinis aeternae. 3. *Torpor*, & *pigritya*, qua quis negligit adimplere divina praecepta. 4. *Malitia*, qua quis odit bona spiritualia in se, poenitendo bene fecisse, & abstinuisse à mortalibus, optando non esse natum, aut baptizatum. 5. *Puallanimitas*, qua quis non audet aggredi viam perfectionis, quam Deus inspirat, & similia.

38. Sed quaeritur, *an omnia vitia capitalia sint ex genere suo mortalia?*

Resp. Negativè. Vide supra cap. 6. numero 4. & lib. 1. cap. 17. & ex ibi dictis hic discarras.

39. Et interea animadvertas, *superbiam esse ex genere suo mortale*; quia eum superbus inordinate appetat propriam excellentiam, ratione cuius velit super alios ire, & nolit subijci Deo, vel Superioribus, tenentibus vicem Dei in nostra directione, eosque contemnat, non potest habere charitatem cum Deo, vel proximo, quibus positivè non vult bonum suae subjectionis, illis secundum rectam rationem debitum: ad quam tenemur ex virtute humilitatis, ex D. Thom. 2. 2. qu. 161. art. 1. ad 5. quae idcirco sub mortali, saltem respectu principalis objecti, ad suos actus non obligat.

40. Sed potest esse *veniale, vel ex imperfecta advertentia, seu cum res, in qua primatum quaeritur, exigua est, vel cum*

quis plus iusto se magnificat sine aliorum contemptu.

De Luxuria diximus supra num. 9.

41. *Invidia* pariter est ex genere suo mortale, quia opponitur charitati, quae vult bonum proximo, & de bono proximi gaudet; invidus autem de bono proximi, ut diminutivo suae excellentiae tristatur. Vide supra cap. 3. num. 21.

42. *Accedia* tandem est ex genere suo mortale propter oppositionem, quam habet cum charitate; quia ipsa est tristitia, per quam tristatur de bono divino. Sed adverte, quod possum 1. tritari de bono, quod Deus in se habet. 2. tritari de spiritualibus, ut respiciunt Deum, non curando amicitiam ipsius, ut de Sacramentis, & lege ab ipso lata. 3. tritari de opere bono, quia laboriosum est, ut, de recitatione officii. 4. tritari non de opere bono, quia laboriosum est, sed de opere laborioso, quia bonum, seu divinum, ita ut mihi displiceat, quia tendit in gloriam Dei.

Tristitia in 1. & 2. sensu est Dei odium: in 3. sensu est *Acedia*, sumpta pro *pigritya*: quia *pigritya* apud Poncium disp. 2. 2. qu. 11. num. 104. est voluntarium tedium retrahens ab exercitio virtutis ob difficultatem; & est mortale, quando retrahit ab exercitio praecepto, aut constituit in magno periculo retrahendi, seu omittere rem praeceptam. Sub ista ratione *Campion. cit. cap. 14. num. 2.* affirmat, *Acediam* non esse per se prohibitam, sed per accidens, ratione nimirum rei praeceptae; adeo ut non sit necessesse, quod poenitens in confessione se acuset, non jejunasse, ex illo tadio laboris, sed sufficere, quod tale jejuniium
(Yyy) 2 omise-

omiserit; quo casu debet Confessarius interrogare ultimam circumstantiam peccati, an scilicet ad jejunium obligetur, ratione voti, vel præcepti Ecclesiastici, & quibus cibis violaverit.

43. In quarto verò, est propriè peccatum Acediæ, per se prohibitum, & mortale ex genere suo contra charitatem, non admittens parvitatem materiæ: adeò, si ex eo motivo omittam dumtaxat nomen Jesu invocare, sit mortale peccatum, esto nullam aliam habeam obligationem invocandi: modò talis tristitia sit voluntaria, & deliberata. Quòd, si ex illo motivo omitto id, ad quod aliàs sum obligatus, ut divinum officium, duplex peccatum committo, aliud Acediæ contra charitatem, & aliud omissionis recitationis contra Religionem: illud est contra charitatem, quia charitas vult Deum esse: tristari autem de rebus spectantibus ad Deum, ut in ipsius gloriam tendunt, est veluti tristari, quod Deus non sit Deus, quod gravissimum peccatum est.

44. Itaque quatuor hæc: Superbia, Luxuria, Invidia, & Acedia sub mortali ex genere suo obligant: non verò tria alia, Avaritia, Ira, & Gula. Non Avaritia, quæ opponitur liberalitati, quæ affectum moderatur ad suos actus, sed non sub mortali obligat, cum possimus habere charitatem erga proximum, etiam si non simus liberales; nam ex virtute liberalitatis nil alteri debemus: & dum liberalis alteri donat, non respicit necessitatem beneficiarii (quia ad hoc tenemur ex charitate) sed suam propriam electionem. Verùm Avaritia per accidens sit mortalis: cum ex amo-

re, & retentione pecuniæ vel violatur iustitia, negando, aut differendo mercedem operarii, non implendo legata, non solvendo debita: vel violatur charitas retinendo sua in extrema necessitate proximi, vel etiam in gravi, dum habet de superfluis statui. Avarus enim inordinatè appetit pecuniam.

35. Non Ira, quæ opponitur mansuetudini, moderanti passionem iræ, ne quis irascatur plus, aut minus, quam decet; verùm, quia ira est appetitus inordinatus vindictæ, ex parte objecti, mixtus est parvitas materiæ, vel in advertentia, est mortale, cum appetit vindictam injustam.

46. Nec Gula, quæ opponitur virtuti abstinentiæ, per se non obligans sub mortali ad suos actus: sed per accidens sæpè obligat. Vide cap. 6. n. 3. & 5.

Sed dices, ebrietas ex ibi dictis n. 8. est ex suo genere peccatum mortale, sed est contra abstinentiam: quæ civitas moralis moderans delectationes gustus, ne homo plusquam decet, cibo, aut potu utatur, ergo & gula.

Resp. Negando ebrietatem esse contra abstinentiam; nam, ut ibi notavimus n. 6. ebrietas opponitur sobrietati, quæ sub mortali obligat ad ipsam non ponendam, tamquam actum ei oppositum per excessum, & impossibilem cum charitate. Hinc notabis, quod moderari potum, non delectemur inordinatè in illo, spectat ad abstinentiam: moderari verò, ut non noceat injuriam, ad ebrietatem; quare abstinentia moderatur delectationem cibi, & potus, ut in edendo, & bibendo mensuram rationis homo non excedat, nec plus edat, nec bibat quam decet. Sobri-

brietas verò moderatur usum potus, ut ex immoderato potu non impediatur usus rationis per ebrietatem: abstinencia itaque impedit delectationem in cibo, & potu: sobrietas autem nocuummentum in usu rationis; quod nocuummentum repugnat charitati: & ideò sobrietas sub mortali obligat ad tale impedimentum non ponendum.

Denique non debet Confessarius omittere lecturam decreti Innoc. XI. editi die 28. Augusti 1679. contra errores Michaelis de Molinos, in quibus turpissimus Author laxavit habenas; & præsertim legat propositionem 41. 47. & 48. & omnino Molinismum à prænitentibus removeat.

CAPUT XXIX.

Prop. L. ab Innoc. XI. &c.

Adulterium.

1. PROP. 50. Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in confessione dicere se esse fornicatum.

Capite superiori vidimus adulterium numerari inter luxuria species, quod à DD. describitur: est copula illicita consummata cum aliquo, vel aliqua, conjunctis in matrimonio: de quo hic specialiter discutiendum est, & contra Auctores propositionis, & instruendus Confessarius super ipsius malitia.

2. QUÆSTIO. quoruplex malitia, & deformitas specie distincta sit in crimine adulterii?

Resp. Duplex: prima luxuria contra

castitatem: secunda injustitiæ contra fidem conjugalem.

Animadvertas ex c. omne itaque 27. q. 2. tria esse matrimonii bona; bonum prolis, fidei, & Sacramenti; per bonum prolis intelligitur ejus esse, & educatio moralis: per illud Sacramenti venit matrimonii indissolubilitas, & perpetuitas; per fidem verò matrimonii ex Augustino de bono conjug. cap. 4. duo importantur: unum, quòd conjux teneatur reddere conjugati debitum: & alterum, quòd neuter possit alteri, quàm suo conjugati, carnaliter commisceri: ad quod ex justitia tenentur; nam talis obligatio descendit ex contractu: omnis autem contractus obligat ex justitia ad observantiam; & ideò, qui fidem matrimonii frangit, contra justitiam peccat, prout DD. communitè.

3. Sed quid, si vir consentiat, ut femina alteri viro carnaliter commisceatur? videtur enim non esse adulterium, nec contra justitiam malitiam continere, cum juxta regul. 27. jur. in 6. scienti, & consentienti non fiat injuria, neque dolus; ergo, dum consentit, non est invitatus, ergo jus ipsius non læditur, consequenter, nec contra justitiam delinquitur.

Resp. Falsum est, talem mulierem non esse adulteram: lege decret. Innoc. & audi Paulum ad Rom. 7. igitur, vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro: propositio Apostoli est universalis asserens omnem faminam conjugatam, que vivente viro, fuerit cum alio viro, esse adul-

(YY) 3

teram;

scram; ergo contradicit Apostolo, qui ponit hanc propositionem particularem negativam: *aliqua femina conjugata, qua, vivente viro, fuerit cum alio viro, non est adultera*; sed de illa, quæ, viro consentiente, esset cum alio viro, verificaretur, quod, vivente viro, esset cum alio viro, ergo foret adultera.

4. Addo, maritus non potest cedere juri, quod habet, ne uxor alteri carnaliter commisceatur; nam lex conjugalis obligans, quod uxor unice viro suo adhaereat, & vir uxori, ac sint duo in carne una ad *Eph. 5.* nec divisi per commixtionem cum aliis, non dependet à voluntate mariti, ergo, quamvis ipse consentiat, uxor peccat contra legem matrimonii, & marito, ut subest statui matrimoniali injuriam facit; ob quem habet jus in conjugem, & debetur ei fides conjugii, nec juri cedere potest. Patet à simili de Petro, Clerico, qui non potest renunciare juri immunitatis Ecclesiasticæ, & propterea Judex Laicus excommunicatur, si Clericum ad suum tribunal, etiam ipso consentiente, trahat; nam semper ipsi, si non, ut Petro, tamen, ut subest statui clericali, injuriam irrogat: propter quem ei honor à laico est exhibendus, ut post Cardenas notavit Quilici *Confess. manud. qu. miscellan. num. 24.*

Nec obstat regula juris adducta, quia, ut optime Cajetanus in *D. Thom. 2. 2. ad qu. 154. nu. 6. ad 1.* Igitur dubium, notat, intelligenda est in iis, quorum homo est dominus secundum libitum suæ voluntatis, ut sunt bona fortunæ, & non in his, quæ, etsi nostra sint, non tamen possumus de illis ordinare, ut nobis pla-

cet; ut patet in naturalibus; nam licet manus tua sit tua, non tamen propterea potest de consensu tuo sine tua injuria à te tolli. Est in marito jus utendi sua uxore, juxta leges matrimonii, sed non est dominus tradendi alteri usum corporis illius. De quo Mayol. *Sum. p. 2. q. 1. art. 4. sex. & non præcep.*

Dices D. Augustinus *lib. 1. de sermone Domini in monte cap. 16.* de hujusmodi re dubitavit occasione historie, quam ibi narrat de muliere quadam Antiochena, quæ se, consentiente marito, alteri prostituit, ut eum à morte liberaret.

5. Resp. Negando D. Augustinum de veritate dogmatis dubitasse. Nam, ibi ait; *sed tamen, utrum quod ait Apostolus: Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir: Similiter, & vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier: Possit in tantum valere, ut permittente uxore, qua maritalis corporis potestatem habet, possit vir cum altera, qua nec aliena uxor sit, nec à viro disjuncta concumbere: sed non ita est existimandum, ne hoc etiam femina, viro permittente, facere posse videatur, quod omnium sensus excludit.*

6. Sanctus Doctor solum dubitavit de veritate historie, prout aperte testatur, cum ait: *nihil hinc in aliquam partem disputa, (an historia sit vera, nec ne) liceat cuique, estimare, quod velit: non enim de divinis auctoritatibus de prompta historia est.* Et secundum rectam rationem, & divinam legem similem concubitum non licere sequentibus tradit, subinfernens: *sed tamen, narrato factis, non ita respuit hoc sensus humanus, quod in illa muliere, viro jubente, commissum*

missum est, quemadmodum antea, cum sine ullo exemplo res ipsa poneretur, horruimus; sed in hoc Evangelii capitulo nihil fortius considerandum est, quam tantum malum esse fornicationis, ut cum tanto vinculo sibi conjugia constringantur, hæc una causa solutionis excepta sit.

7. Nec tamen ipsa fornicatio ita conjugia dirimit, ut mulier innocens, vivo marito, licet adultero, alteri nubere possit, aut copulari: *Siquidem mulier alligata est, quamdiu vir ejus vivit, hoc est, marito in corpore constituto. Si autem mortuus fuerit, hoc est de corpore exierit, soluta est à lege viri, juxta text. Apostoli ubi supr. Circa quem Augustinus lib. 2. de adulterio conjugis cap. 4. ait. Hæc verba Apostoli toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt. Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit. Esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir ejus.*

8. Atque ita cum adulterium sit alieni thori violatio, nec possit conjux operari, ut suus thorus non sit comparatione cujuslibet tertii alienus, est certum, non posse conjugem ullo suo consensu operari, quod accessus cujusvis tertii ad suam conjugem non sit violatio alieni thori; atque adeo adulterium.

Unde consensus non modo uxorem, ejusque amicum à crimine adulterii non liberat; sed ipsum maritum criminis complice, & reum lenocinii constituit, secundum illud Apostoli ad Romanos 1. *Qui talia agunt, digni sunt morte: & non solum, qui ea faciunt, sed*

etiam, qui consentiunt facientibus: ut bene Natalis Alex. Theol. dogmat. tom. 2. lib. 4. cap. 8. art. 2. regul. 1.

9. Quæritur, uxor cum alio viro commiscetur, à qua pro mercede accipit quinque aureos: petitur, an possit eos in conscientia retinere?

Resp. Dubium apud neminem excitatum, & resolutum vidi. Circa quod negativè respondeo juxta dicta cap. 9. n. 14. Nam uxor non est domina usus sui corporis, quia ex allegatis verbis Apostoli vir habet potestatem corporis propriæ uxoris; atque adeo hæc non potest illum usum vendere, & dum conatur vendere, injustè vendit, quia vendit rem non suam; consequenter pretium non potest justè recipere, nec post receptionem retinere: quemadmodum vendens equum non suum, vel ad vecturam concedens pretium non potest retinere, ut potè pretium rei non suæ, & quæ semper pro domino clamat.

10. Nec debet pretium dare marito, quia maritus est dominus usus corporis mulieris, ut eo utatur secundum leges legitimi Matrimonii, non verò, ut possit ipsum alteri concedere; & comparari potest usuatio, quæ tenet, & habet usum rei pro se, & non potest illum dare alteri: per Dianam coord. to. 7. tr. 3. resol. 13. nu. 1.

11. Restituendum est itaque ab Adultera pretium receptum; sed non viro, cum quo peccavit, in pœnam delicti, & quia turpiter, & contra justitiam dedit, volens emere, quod non poterat; Ideo consilio Confessoris est erogandum pauperibus. Imputet autem sibi hæc femina, quod omnia perdiderit, ut loquitur

tur

tur Mendo apud Dianam *Coord. tom. 8. tr. 7. resol. 8. nu. 3.* de famina, que copiam sui corporis fecit Religioso non potenti quidquam turpiter infumere.

12. Dicitur restituendum est ab Adultera, quia ubi agitur de pretio dato meretrici à potente alienare, licet sit illicitum dare, vel recipere illud ante fornicationem commissam, quia tam datio, quam acceptio includit consensum in fornicationem, tamen post peccatum commissum dare, & accipere illud esse potest absque peccato; si nimirum detur, & accipiatur, non ex complacencia peccati, sed ratione obsequii, vel laboris alteri præstiti. Verùm Toletus *lib. 5. cap. 21. nu. 7.* allegat. à Diana *cit. resol. 59. nu. 4.* tradit, quòd datio, & acceptio pro actu fornicatio est mala, quia pro re turpi, & ob peccatum, sed non contra iustitiam; & ideo meretrix non tenetur restituere. Lege ibi Dianam, & quæ dixi *cap. 23. §. 1. nu. 58.*

13. Queritur, an uxoratus habens copulam carnalem cum conjugata unum, aut duplex adulterium committat?

Resp. Duo: utrumque in Confessione explicandum, quia duobus injuriam facit; & propria uxori, & marito conjugata, cum qua peccavit.

Hinc Confessarius audiens Confessionem mulieris se accusantis de copula carnali cum viro, ab ipsa petat. I. An sit conjugata, & vir uxoratus: quia tunc est duplex adulterium. II. An ipsa sit nupta, & vir cum castitatis voto; nam tunc copula continet, etiam malitiam Sacrilegii. III. An fuerit virgo; quia tunc in casu habetur etiam malitia stupri.

14. Queritur, Berta interrogat Con-

fessarium, an sit validum matrimonium, quod contraxit cum Cajo, cum quo, vivente primo marito, adulterium commisit: quid Confessarius diciturus erit?

Resp. Videat. I. An post adulterium ipsa per se, vel consilio, aut mandato proprium maritum, vel Caji uxorem occiderit, ea intentione, ut cum Cajo contraheret; vel, si non ipsa suum virum: propriam uxorem ipse Cajo interfecerit. II. An ante, vel post adulterium promiserit, vel promissionem acceptaverit, se mortuo proprio viro, Cajo ducere. III. An scienter adulteraverit, & ante mortem sui viri contraxerit cum Cajo, non ignorante adulterium committere. Dum competat alterum ex præfatis concurrere, matrimonium nullum esse significet; quia etiam committentis adulterium, & interficientis conjugem animo contrahendi cum adultero dirimit matrimonium, *cap. super hoc de eo, qui duxerit Sc. & cap. si quis vivente 31. qu. 1.* quemadmodum ipsum dirimit adulterium, præmissa mutua promissione, de contrahendo cum adultero, ita quod adulterium procedat in vim illius *cap. significasti, & cap. si quis, cit. tit.* maxime, si promissio ante facta non fuerit ante adulterium retractata; quia tunc adulterium promissioni conjungitur, ut notat Contenson. *Theol. de impediment. matrim. lib. 1. par. 4. dissert. 4. cap. 2.*

15. Nullum quoque erit matrimonium: si adulteri, vivente adhuc legitima uxore, vel viro respectivè, matrimonium contrahant: exemplum: Titius, uxore sua vivente, adulteratus est cum Berta.

Berta, & cum ea matrimonium contraxit (quod utique non potest esse nisi invalidum) contingit postea, ut vera Titii uxor decedat: quaeritur, an possit Titius verum matrimonium inire cum ipsa Berta: negatur posse; prout statuitur, *cap. cum haberet, & cap. si quis sit. alleg.* Verum, ad hoc impedimentum requiritur, ut uterque sciat se adulterium committere; unde, si in casu proposito Berta ignorasset Titium esse uxoratum, posset, mortua ejus uxore, ipsum compellere ad contrahendum secum validum matrimonium, ut expressè textus in *cap. de eo cit. titul.*

16. Sed quid, si allegaret, adulterium commisi ante mortem mei viri, quem non ego, nec meo consilio, aut mandato, sed me ignorante, ipse Cajus ad finem matrimonii occidit?

Resp. Et tunc quoque, postea invalidè contraxit cum Cajo: quia ad impedimentum occisionis cum adulterio, sufficit, si una pars, altera etiam non consentiente, vel ignorante, occiderit ad finem matrimonii, *cap. significasti, & DD. communiter*: afferentes discrimen inter crimen occisionis, cum adulterio, & crimen solius homicidii (quod est etiam impedimentum dirimens matrimonium, cum occiso est ad finem matrimonii cum conjugè occisi) quòd in primo adest occisio cum adulterio: in secundo sola occisio; in primo sufficit, quòd alter conspiceret, vel alterius conjugem occidat: in secundo neesse est, ut ambo ad occidendum conspirent, & secuta occisionis sint consensu, *cap. laudabilem de conversis infidelium.*

Matibanc. Cantela Confess.

17. Sed quid, agendum Confessario, cognita invaliditate matrimonii?

Resp. Possent huc reduci dicta supra *capit. 7. num. 5.* Injungat mulieri, ut & virum moneat de nullitate matrimonii: quòd separentur à Thoro, & cohabitatione, quia quoad vinculum ligati non sunt, propter impedimentum dirimens; quòd, si separari absque gravi scandalo non possint, dispensationem petant à Sac. Pœnitentiaria, & interim ab omni copula abstineant, quia quælibet foret fornicaria; nec absolvi debet nisi post dispensationem obtentam.

18. Quaeritur, adulter suscepit de Berta Uxore Titii filium spurium, petitur, an teneatur restituere expensas à Titio factas in educatione prolis, de qua ad minus probabile est, quòd sit adulteri filia?

Resp. Affirmativè, quia fuit causa injusta illarum expensarum. Poncius *disput. 32. quest. 7. num. 43.* Quilici ubi supra *quest. 7. art. 2. num. 20.* Joan. De la Cruz *direct. conc. 7. precept. quest. 7. art. 6. dub. 7.*

Et procedit, etiamsi fuerit ab adultera invitatus, quia tunc etiam injuriam marito infert, causa injusta damni reputatur, & pater prolis præsumitur: cui propterea ad minus juxta majorem, vel minorem certitudinem incumbit, de alimentis providere. Per quæ veniunt apud Tambur. in *decalog. lib. 5. cap. 3. §. 1. num. 2.* victus, vestitus, domus, lectus, medicina, impensæ funeris, &c. quæ debentur, non solum secundum naturam, verum etiam secundum statum, & conditionem, adeo ut filio nobili debeantur alia, quàm plebejo.

(Lzz)

19. Sed

19. Sed quid, si proles Hospitalis exponatur?

Resp. Debet adulter, potens ipsam alere, restituere expensas educationis: tum, ex quo parentes teneantur filios alere: tum quia defraudantur pauperes, pro quibus similia hospitalia sunt instituta. Quilici, & De la Cruz cis.

20. Sed quid, si adultera à duobus cognoscatur, ita ut, quamvis esset certum filium adulterinum, unius ex duobus esse filium, dubium tamen esset, quis eorum determinata esset pater prolis?

Resp. Uterque ex æquo debet concurrere ad sustentationem filii, & ad restitutionem faciendam marito; ratio est, quia cognoscitur certo, quod filius non sit legitimus: & quia aliquis debet, & neuter potius, quam alter, ideo uterque partialiter tenetur. Quilici, & Poneius.

21. Quæritur, quid agendum Confessario cum muliere, qua prolem suscepit ex Adulterio, propter quod legitimi filii damnum reportant; nam, cum & ipsa filius verus credatur, ceteri vel hereditate privantur, vel in bonorum divisione tantum non recipiunt, quantum habuissent, si ipsa inter filios non computaretur?

Resp. Debet videre, & mulierem interrogare, an ex revelatione fructus expectetur: profutura sit: & verisimile sit filium esse crediturum; qui propterea integram hereditatem aliis, & legitimis hæredibus relinquet, vel religionem intrabit, vel modo æquivalenti ad damnus non inferendum operabitur: in casu, quo affirmet, obliganda est ad frau-

dem ipsi detegendam. Verum, quia non est ita facile præsumendum, filium crediturum, immò potius verisimiliter timendum, ex revelatione scandala, & homicidia oriri posse, nec sine periculo infamiae, & vitæ, crimen posse manifestari; ideo videat, an mulier sit dives, & habeat, unde satisfacere ex propriis bonis possit eis, ad quos bona mariti pervenissent: & si potens inveniat, eam obliget ad resarcienda omnia damna ex adulterio provenientia, relinquendo legitimis bona propria, ne damnus in hereditate patiantur; si vero pauper, vel impotens sit, & periculum infamiae, ac vitæ ex revelatione imminet, injungat, ut de peccato doleat, cum proposito satisfaciendi cum primùm poterit, ac moneat, ut filio ingressum Religionis suadeat: at non eujuscumque, sed *Minor. de Obser. vel Capuccinorum*: quia Aliæ, etiam Mendicantes succedunt in bonis, ex *Tit. sess. 23. de Regul. cap. 3.* propterea per ingressum in alias, non ellet latis prolium damnus.

Dum similes casus occurrunt, est magna prudentia, & non minori cautela procedendum. Considerandum damnus, quod oritur ex jactura bonorum fortunæ, minus esse, quam damnus in bonis vitæ ex morte proveniens; nam, sicut bona fortunæ sunt inferioris ordinis ad bonum vitæ, in ejus conservationem illa ordinantur, sic discurrendum de damnis correspondentibus. Hinc, si ex revelatione imminet periculum vitæ, & jactura rerum dumtaxat, si taceat: minus malum eligi debet, juxta regulam communem, malis physicis aptabilem.

de duobus malis minus est eligendum, cum utrumque vitari non possit.

22. Sed quaeritur, an Adulter teneatur concurrere cum Adultera ad satisfaciendum?

Resp. Affirmativè; dum sibi probabile est, & motivum habet credendi prolem esse suam, quia fuit causa injusta damni; unde si adultera, utpotè impotens, non restituit, adulter tenetur; dum verò ipsa satisfacit, debet ipse ei partem satisfactionis restituere, juxta regulam alibi ponderatam, quòd dum plures idem damnum inferunt, uno in integrum restituente, tenentur alii suas partes pro rata illi reddere; videndus Quilici, & Poncius ubi supra. Matrius Theol. moral. disp. 9. qu. 4. art. 1. nu. 54. & Fagnan. in 5. decretal. ad cap. officii de pecuniis. & remiss.

23. Quaeritur, an pro injuria, & dedecore, in maritum redundante ex Adulterio conjugis, debeat ab Adulteris aliquid restitui?

Resp. Si Adulterium sit notorium, debent veniam ab ipso petere, & honorem coram aliis exhibere in compensationem contemptus; si verò sit occultum, tenentur majora obsequii signa ostendere (sed non, ut possit in cognitionem criminis devenire) satisfactionem injuriae. Illung. tract. 4. disput. 3. quæst. 1. art. 2. §. 4. num. 95.

24. Sed quaeritur, an Adulter ob solam, & nudam injuriam marito exhibitam, teneatur ad restitutionem pecuniarum?

Resp. Negativè, (de damnis aliis emergentibus diximus supra) Adulterium, ut dixit Matrius cit. non ideò dicitur contra justitiam, ut obliget adulterum ad ali-

quam compensationem pecuniariam, sed contra justitiam asseritur, ratione in urix irrogata, quatenus violatur jus, quod maritus solus habet in usum corporis Uxoris; & hinc cum pecunia, & injuria irrogata sint in diverso genere bonorum, per pecuniam non satisfit.

25. Quaeritur, an Uxor peccet negando debitum marito, sibi noto Adultero?

Resp. Negativè; nam adulterium est sufficiens causa separationis, quoad Thorum, & habitationem cap. ex literis de divor. (sed non debet separatio, quoad habitationem fieri sine judicio Ecclesiae cap. porro ibid.) ergo etiam ad negandum debitum; nam cum Adulter, admisso adulterio, privetur jure petendi debitum, jus exigendi non habet: & quemadmodum ipse adulterando fidem Uxori fregit, sic videtur Uxorem non teneri ad debiti solutionem: nam frustra quis fidem exigit servari ab eo, cui fidem à se datam non servat; Poncius disp. 49. quæst. 6. nu. 46. Du-hamel. to. 2. dissert. 3. cap. 5. num. 10. Layman. lib. 5. tract. 10. cap. 7. num. 17.

Verùm id intelligitur, si Uxor sit innocens; quia, si ipsa quoque esset adulterio consentiens, vel Adulterium commisisset, reddere teneretur: quoniam paria delicta mutua compensatione tolluntur, cap. tua fraternitas de Adulteriis. Item, dum ipsa innocens condonat marito injuriam, deberet reddere; nam, tunc censetur renunciare juri, quod habet negandi debitum: sive condonatio fiat tacite, quod contingit, dum Uxor, cognito viri Adulterio, ei debitum reddit, vel id ab ipso petit: sive expressè, ut, si verbis injuriam, & Adulterium

rium expresse condonet, ut post Layman lib. 5. tract. 6. part. 3. cap. 6. num. 14. dixit Engel. colleg. jur. Canon. lib. 4. tit. 19. num. 18.

26. Sed quaeritur, an Uxor teneatur in conscientia, cognito adulterio mariti, debitum petenti negare?

Resp. Negative, arg. ex doctrina Augustini relati in cap. Idololatria 28. quast. 1. ubi: Dominus autem permisit causa fornicationis, Uxorem dimitti, sed quia permisit, non iussit. Vide dicta num. 17.

Tutius itaque, & melius erit, ut Uxor viro debitum reddat, ad evitandum majus malum, & nova Adulterii crimina, quia quanto frequentius ad Uxorem accesserit, tanto minus alias quaeret.

27. Quaeritur, an adulter peccet debitum exigendo ab Uxore innocente, & criminis inscia?

Resp. Pro negativa videntur esse, quotquot tradunt privationem juris petendi ab Adultero non incurri, nisi, dum Uxor Adulterium cognoscit, quia cum illius privatio poena quadam sit, incurri non debet, nisi ab Uxore (qua in hoc obtinuit, quasi locum Judicis) imponatur. Gobat. experien. Theol. tract. 10. casus num. 600. Nicol. Flosculi ver. debit. conjug. num. 4. Tambur. in decalog. lib. 7. cap. 3. §. 3. num. 5. Cabalut. lib. 3. cap. 28. num. 3.

Pro Affirmativa vero est Navarrus in summa à Tambur. ibid. allegatus, ubi dixit, Adulterum amittere per leges jus exigendi debitum conjugale ab Uxore; & cum ipso debent esse, qui dixerunt absolute ex Adulterio amitti jus debitum exigendi. Ex quibus videtur concludi, Adulterum, commisso adulterio, peccare,

si sua conjugii conjugatur, quia sine jure conjugitur.

Prioris sententiae probabilitas auctoritati DD. innititur. Verum secundam etiam rationi magis conformem judiciorum privatio juris effectus reputatur, non cognitionis, vel voluntatis Uxoris laesae, sed fractionis fidei conjugalis, ergo, posita ab Adultero ipsa fidei fractione, illic privatio oritur, & exigere non potest, ut sibi Uxor fidem seruet, non negando debitum.

Itaque Adulter, assentientibus etiam Gobat, & Felice ex amen. tit. 1. nu. 429. solum potest ab Uxore innocente petere debitum rogando, non tamen cogere, & exigere, tamquam ex iustitia sibi debitum, vel intentione ipsam obligandi ex iustitia ad copulam Matrimoniale, etiam, ipsa invita, uti, sicut antea poterat; ad differentiam de casti assinitatis, & voti, quibus stantibus, nullo modo reus, vel voto ligatus, potest petere debitum sine dispensatione: obtinenda juxta dicenda lib. 2. cap. ult.

CAPUT XXX.

Prop. LI. ab Innoc. XI. &c.

Famuli inserviente. Luxuria.

I. PROR. 51. Famulus, qui, submissis humeris, scienter adjuvat hominum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam & aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti: puta, ne à Domino male

mole tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

Similes actiones sunt contra sextum præceptum decalogi, & castitatem: proximè cooperantes, & adjuvantes Dominum ad exequendam libidinem, actusque venereos; in qua re nec paritas materiæ admittitur ad excusandum à mortali, ut alibi diximus; unde nec metus, etiam mortis, potest eas cohonestare, quin in illis circumstantiis, & scienter exercite, sint de se, & ab intrinseco illicitæ, ac sub mortali prohibe; de quo post Decretum Innoc. non est amplius dubitandum, vide Cardenas *dissert. 31 prop. 51.*

2. Sed quaeritur, quæ actiones comprehendantur sub illis verbis, aut quid simile cooperando?

Resp. Omnes, quæ de facto proximè adjuvant, & conducunt, ad cooperandum ad exequendam luxuriam, quamvis ab illis circumstantiis abstractæ essent indifferentes, ut sunt. I. Deferre scienter concubinam ad domum heri, ad effectum luxuriæ: sive famulus eam deferat in sella gestatoria, sive eam comitetur. II. Scienter ferre literas provocatorias Luxuriæ, & amorem impurum foventes, ab heri ad concubinam, vel ab ista ad illum, aut eas scribere. III. Vocare concubinam ad domum, vel cubile heri, aliumve locum ex commissione Domini. IV. Deferre munera Domini ad concubinam. V. Assistere januæ concubinæ, ne Dominus impediatur à copula. VI. Exercere lenocinium. VII. Pergere jussu Domini ad sequendam mulierem, ut sciat, ubi habitet, ut id Domino referat, ad effectum Luxuriæ, &c.

3. Quaeritur, an liceat famulis cooperari cum Domino peccatis Luxuriæ, si grave damnum eis verisimiliter imminuat?

Resp. Negative; nam, etiam in illis circumstantiis, sunt mortaliter illicitæ: cum proximè adjuvent, & cooperentur ad luxuriam Domini, quæ in nullo casu est licita; idè nec metu mortis exerceri debent, cum debeamus potius omnia mundi mala toletare, quam peccato mortali consentire, *cap. itane 32. qu. 5.*

4. Sed quid, si affirmet, se non intendere Domino ad peccatum cooperari, vel ipsum adjuvare, sed solum periculum mortis vitare?

Resp. Non propterea excusandi sunt à mortali; nam protestatio est contraria facto; quia scienter faciunt actiones, ex operis natura ad pravum finem ordinatas; & idè ab intrinseco illicitas, ut dixit etiam Ledesma apud De la Cruz 6. *præcept. art. 1. dub. 3. in fine*, quod totum meo videri evidens est.

Sicut non excusatur à mortali procurans in se pollutionem, quamvis protestetur, se non delectationem veneream, sed sanitatem intendere, quia similis ab ea inseparabilis est, & ex natura operis ad eam sequitur. Sic mortaliter peccat, qui mulierem, data opera, morosè osculatur, quamvis non intendat, immò protestetur se non velle delectationem illam sensibilem, quæ ex osculo sequitur, quia talis delectatio est ab osculis morosis inseparabilis, ut diximus *lib. 1. cap. 29.*

5. Quibus addas ex Felice *tot. 1. num. 2202.* oscula alia esse pressa, morosa, studiosa, ac ob delectationem: alia mode-

ita; instantanea, & superficialia, quæ ex urbanitate dantur, juxta morem Patriæ, aut in signum puri, & honesti affectus, ac amicitie: ista possunt esse licita, & solum mala ex fine operantis: ut, si non sine honesto; sed ob delectationem sensibilem fiant; vel ratione periculi delectationis sensualis, quam quis sepe in eis experitur, & ideo tunc abstinendum.

Illa vero sunt ab intrinseco mala, quia ad ipsa sequitur connaturaliter delectatio sensibilis, quæ mala est, cum ex natura sua sit alterativa, & excitativa partium generationi inservientium; ex qua alteratione confurgit connaturaliter delectatio sensualis, per se, & ex natura sua proxime, & immediate ordinata ad feminis emissionem. Nullus enim negabit, quin expresso, & firmo contactu labiorum viri ad labia, vel genas mulieris oriatur delectatio sensibilis, & existat non procedatur ad sensualem, & veneream, quæ percipitur: vel ipsa feminis decisione: vel ex per se ordinatis ad illam, ut ex pudendorum commotione; sive hæc contingat osculis, tactibus, amplexibus, & aspectibus, sive librorum lectura, & obscærorum audita, sive cogitatione, aut delectatione morosa, & impuro desiderio. Vide dicta loco cit. & audi August. de amicitia tom. 6. cap. 4. ubi: ipsum osculum tanta turpitudine fadant, ut sic osculari nihil aliud sit, quam adulterari.

CAPUT XXXI.

Prop. LII. & LIII. ab Innoc. XI. &c.

Præceptum servandi Festa, & audiendi Missam.

1. PROP. 52. Præceptum observandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

PROP. 53. Satisfacit præcepto Ecclesie de audiendo sacro, qui duas ejus partes, immo quatuor simul à diversis celebrantibus audit.

Quod præceptum de observandis festis sub mortali obliget, est communis DD. opinio, & Ecclesie sensus, de quo post decret. Innoc. nefas est dubitare; quamvis apud Cardenas differ. 32. cap. 1. quibusdam scribere placuit ipsa præcepta Ecclesie non obligare conscientias sub mortali; & esse dumtaxat penalia, solumque per accidens sub mortali obstringere: ratione nimirum scandali, vel inobedientie: & contemptus; prout in perniciem salutis animarum dixerunt primæ propositionis Authores.

2. Et quia in Ecclesiastico præcepto de Festorum observatione continetur præceptum affirmativum, seu præceptivum, in integra Missa in die festo audiatur, cap. omnes fideles, & cap. Missas de consecrat. dist. 1. & negativum, seu prohibitivum, ut integro die festo servilia opera non exerceantur, ex cap. licet de feriis, & B. Pio V. infra citando. De utroque agendum est, ut satis Confessarius instructus, in transgressio-

nis, vel observantia iudicio, sine errore procedat, sed

I. Notetur, quòd præter Dominicam diem, sabbato Iudæorum, in memoriam Resurrectionis Christi, *capit. quod die Dominico 75. dist.* ab Apostolis substitutum (quæ in Evangelio prima, & una Sabbati nominatur, ut expressè dixit August. *psal. 93. Una sabbati dies Dominicus est* etiam alia Festa in honorem Dei, & Sanctorum Ecclesia instituit; eaque celebrare præcepit *cit. cap. licet.*

II. Quòd iuxta consuetudinem in Ecclesia receptam, Festa, quantum ad abstinentiam à servilibus operibus, computantur à media nocte ad alteram mediam noctem Layman. *lib. 4. tract. 7. cap. 2. num. 1. Engel. jur. can. lib. 1. tit. 9. §. 2. num. 4.*

3. Quæritur, *quanam sint opera servilia, quorum exercitium est die Festo sub mortali prohibitum?*

Resp. Opera corporalia, ad quæ deputantur servi: & propterea dicta servilia. Quæ describi possent, edesse, quia, quia, vel immediate in utilitatem corporis, vel corporis potius, quam animi viribus efficiuntur, vulgaribus communiter hominibus committi solent. Hujus generis reputantur arare, fodere, serere, ligna, lapides cadere, fabricare, fabrilia agere, & opera tonsoris, ac alia artis mechanicæ; quæ corporis laborem, vel solium vel principaliter requirunt: & sunt propria ancillarum, rusticorum, servorum, & artificum.

Ex opposito opera liberalia dicuntur, quæ ad artes liberales pertinent, & à liberis exercentur ut plurimum ad illu-

minandam, & instruendam mentem, oblectandumque animum: cujusmodi sunt, studere, concionari, docere, discere, cantare, organa musica pulsare, & similia: quæ diebus festis non censentur prohibita, pro ut DD. communiter. Layman. Engel. Tambur. *in decalog. lib. 3. cap. 3.* Etiam si pro pretio exercentur; quia pretium non facit opus esse servile, si ex se tale non sit; sicut è contra, non cessat esse servile opus, quod eodem genere est tale, etiam si gratis fiat, Duhamel *Theol. rom. 2. in decalog. dissert. 4. cap. 4. n. 3.*

Præter opera servilia, & liberalia, dantur alia, de quibus DD. dubitant, an liberalia, an verò servilia sint, adeòque an prohibita diebus festis: ut piscari, venari, transcribere libros, ordinare characteres typographicos &c. igitur.

4. Quæritur, *an diebus festis liceat pingere, piscari, vel venari?*

Resp. Quòd ad primum, affirmat Layman *cit. à num. 2.* Ilung Tambur. Sanchez, Anton. à Spirit. San. *direct. confess. in decalog. tract. 5. sect. 7. num. 56.* quia pingere ad exercendum magis ingenium (quod est, quid liberale) quam ad laborandum, referatur; modò non cum magno apparatu fiat, hoc est, ut non conterantur, nec misceantur colores, gypso non aptentur telæ, & penicilli non efformentur, cum hæc sint famulorum ministeria.

Negat Sum. Leandri *ver. festorum observatio num. 20.* tam gratia lucri, quam recreationis causa, quia probabilius est, quod pingere sit opus servile. Et hæc est tutior opinio. Quam postea docuit Author mille interrogas: *interrogat. 705.*
non

non excusans à mortali Pictores, & Typographos, proprias artes in diebus Festis exercentes, nisi ratione modici temporis, & operis.

Idem videtur dicendum de piscatione, & venatione. Verùm quò ad piscari scias, in alleg. cap. licet non permitti diebus festis, nisi quò ad quædam genera piscium, qui solent certo tempore piscari & illicò fugiunt; sed nec id in solemnioribus.

5. *Quæritur, an ex causa possint opera servilia diebus Festis absque mortali exerceri?*

Resp. Affirmativè, pro ut DD. communiter, & expressè S. Rituum Cong. quæ censuit: licere diebus festis dare operam rebus ad vitam necessariis, ac tempore perituris, præsertim tempore vindemiarum, & messium, ac collectionis fructuum, vel, si necessitas urgeat, ac suadeat pietas. Caterum; quoniam verendum est, ne privati affectibus, domesticarumque rerum studio aliqui cò perducantur, ut hæc Sacrorum Canonum indulgentia in aliis, etiam casibus abutantur, idem Patres Eminent: adjiciunt ad Ordinarii cujusque judicium, ac censuram pertinere, ut dignoscatur, num verè ulla ex causis supra scriptis subsit, propter quam liceat diebus Festis rebus servilibus vacare, ut, nec dierum festorum observantia ulla in re violetur, nec opera illis diebus summa cum ratione permessa impediatur. Plac. prax. par. 2. cap. 3. art. 3. num. 33. & ego in ple offic. Cur. tom. 2. cap. 1. num. 4. Unde præter causam rationabilem pietatis, & necessitatis debet quoque accedere consensus Episcopi, vel Parochi, ubi illius

propter distantiam commode haberi non potest, & periculum est in mora. Engel, num. 13.

Quare excusantur à peccato. I. Qui pro mortuis sepeliendis sepulchra diebus Festis effodiunt; qui Campanas pullant, Templum ornant, dum ante non poterunt.

II. Coquentes, & parantes cibos necessarios, ac Pharmacopolar, necessarios medicinas.

III. Agricolar, & laborantes, quando ratione pluviarum in messe, vino, oleo, & fano probabile damnum timeatur.

IV. Coquentes tegulas, vitrum, calcem, dum incepta decoctio nequit sine notabili damno intermitteri.

V. Ementes, & vendentes panem, vinum, carnes, fructus, & alia necessaria ad humanum victum.

VI. Resicientes vias publicas, & Pontes, dum deferri non potest.

VII. Qui se, & suam familiam sufficienter alere non possunt: sed id faciunt, audita Missa, & secretò, ad vitandum scandalum, & laborem non protrahant ultra id, quod exigitur ad necessitatem, pro eo die sublevandam. Sed in hoc videntur fraudes, & commodum ficto necessitatis titulo non pallietur.

Plures ex consuetudine excusantur Barbitonsores, tametsi integro die, vel per notabile ejus tempus barbas, & capillos radant, quod in praxi, nec probabile, nec tutum apparet, cum potius abusus ipsa sit, & corruptela.

6. *Quæritur, an diebus Festis licite exercentur mercatus, & nundinae?*

Resp. Negativè, pro ut eadem Sac. Cong.

Cong. in una Recanaten, apud alleg. Pia-
sec. & Quaranta Sum. Bull. verb. dies Fe-
stus, ut infra: Præceptum de Dominicis, &
Festis diebus sanctificandis, & observandis,
sub pretextu mercatum, nundinarum, &
ferrarum nullatenus esse violandum. Cete-
rum his diebus licere agros, ac aliis ju-
mentorum vectores, seu mercium conducto-
ribus, bajulis, & aliis hujusmodi servientibus,
ac ministris, sarcinas, & onera, nundina-
rum causa, exonerare, & deponere, in captum
que iter, Missam tamen prius audita, transien-
do proseguere, & continuare. Non tamen debere
sarcinas componere, & jumentis onerare, ad iter
de novo incipiendum. Neque Mercatoribus,
aut aliis civibus & viatoribus his diebus, etiam
elapsis apothecis, merces vendere, emere, aut
asportare licere, nisi tantum ad vicium neces-
saria, aut alia minuscula, & modici momen-
ti opera, jam confecta, & elaborata, pro
transiendum hospitium, advenarum, & exte-
riorum urgenti, & presentanea necessitate, &
opportunitate &c.

Idem disposuerat B. Pius V. Constit.
cum primum Kal. April. 1566. & infra.
Cum vero dierum Festorum observatio ad Dei
cultum &c. mandamus &c. ut ab omni illi-
cito, & servili opere abstineant. Mercatus
non fiant, profana negotiationes, & judicio-
rum strepitus conquiescant.

7. Advertat itaque Confessarius, die-
bus Festis, non modò opera servilia, &
nundinas prohiberi, verum etiam placi-
tum cap. omnes tit. sup. cit. per quod intel-
ligitur omnis actio, & strepitus judicia-
lis, tam in civilibus, quam criminalibus:
tam ad penam, quam ad mortem: tam
pro foro civili, quam Canonico: tum
quoad initium, tum quoad terminum,
& finem causæ.

Matthæus Cantola Confess.

8. Ad initium actionis judicialis spe-
tat citatio rei, vel partis; hæc enim est
basis, & fundamentum judicii; ad me-
dium examinare testes, eorum deposi-
tiones, & juramenta recipere. Ad ter-
minum tandem pertinet, sententiam
pronunciare, vel ipsam exequi; quæ om-
nia, & singula in cit. cap. Conquestus, ir-
rita, & nulla declarantur. Super quibus
Judex à Confessario interrogandus est.
In alleg. cap. 1. & ult. tit. cit. excipitur à
prohibitione casus necessitatis, & pieta-
tis, in quibus possunt omnia prædicta li-
citè, & validè fieri.

9. Non prohibentur tamen actus ex-
tra-judiciales, etiam si sint actus jurisdi-
ctionis fori externi: ut, visitare Eccle-
sias, vel Clericos, modo Religioso, &
sine strepitu Judicii. Item excommu-
nicatio, & ab eadem absolutio potest die
Festo dari, eo quod non necessariò requi-
rant judicialem cognitionem causæ.

10. Quæritur, an præceptum de abstinen-
do ab operibus servilibus in die Festo ex genere
suo obliget sub mortali?

Resp. Affirmativè; nam est obliga-
tio instituta ad Dei cultum, & veneratio-
nem Sanctorum, adeoque pertinet ad
virtutem Religionis: virtus autem Re-
ligionis ex alibi dictis ex genere obligat
sub mortali: Sed ex parvitate materiæ
erit veniale, juxta operis qualitatem, &
moram temporis.

11. Sed quæritur, quantum temporis
requiratur, ut quis dicatur per notabile tem-
pus, in die Festo opus servile exercuisse?

Resp. DD. dividuntur. Marchant,
resolut. Pastor. cap. 2. tres horas ad mor-
tale requirit: alii quatuor: quidam o-

(A 222)

cto.

cto. Quibus omnibus, ut nimis laxè loquitis non assentimur.

actus virtutum Theologicarum. Vide lib. I. cap. 1.

Tambur. cit. §. 2. *num.* 1. Cum Diana, Sum. Leandr. ubi supra *num.* 36. & Ilfung. §. 1. 168. excusant à mortali laborantem eodem die per duas horas integras, dummodò illas non excedat; quia, cum hæc sit duodecima pars diei, parva quantitas reputatur respectu totius diei: sed hi etiam nimis laxè procedunt.

Layman. *cap.* 4. *num.* 1. ex Suarez, tradit laborem unius horæ, secluso scandalo, & quod opus non sit nimis servile, defatigans corpus, ad culpam mortalem non pertingere: ex quo una hora, comparatione 24. horarum, exigua pars reputetur. Bonac. *de legibus disp.* 5. *qu.* *num.* *punct.* 3. *num.* 2. cum Reginaldo, & Azorio, censet spatium unius horæ esse tempus notabile. Quod confirmat Joan. De la Cruz 3. *præcept. dub.* 1. *conc.* 2. referens à viris doctis laborem unius horæ reputari gravem materiam. Et Facundez dixit excedere per quadrantem unam horam; esse excessum notabilem, & sic peccatum mortale. Sed, quia S. Cong. Conc. apud Fagnan. in 3. *decret. ad cap. nulli de rebus Eccles. non alienan.* à *num.* 26. aliàs respondit, non esse tutum in universali definire, quæ res sint exiguæ: ideò Confessarius sciens, quod parvus labor notabiliter non præjudicat observationi Festorum: & quod ex parvitate materiæ possit homo laborans excusari à mortali, in iudicio non sit laxus, sed Bonaccinæ, & De la Cruz adhæreat.

An verò diebus festis teneatur ad

12. *Quæritur* Petrus in Confessione aperit. Pater, duodecim conduxit operarios, quorum singuli successivè ad meam mandatum per modicam horam (audita Missa) laborarunt, ita ut totus dies fuerit ab ipsorum labore occupatus, peccato, an peccaverim mortaliter?

Resp. Bonac. & Portellus apud Tambur. cit. & Sam. Leandr. ibidem, Petrum à mortali excusant, quia unius opus cum illo alterius non connectitur; cum sit à diversis: qui habent diversas obligationes, quarum una ab alia est distincta; & aliunde nullus ex eis mortaliter peccat: quia supponitur, nullum horam excedere, ergo non adest caput colligendi, unde Petrus mortaliter peccet?

Quibus tamen non adhæremus: & Petrum peccare non dubitamus. Nam ei moraliter imputatur labor, ab operariis in ejus commodum factus; qui secundum se, & ut à Petro intentus, non modicæ horæ, sed integri diei opus servile est, in fraudem legis ordinatum. Nec excusantur operarii, si iniquæ commissionis sint conscii; ut *cap.* 21. diximus de simul conspirantibus ad vineam devastandam, licet singuli racemum unum surripiant. In eo enim peccato Petri cooperantur, & singulæ operæ moraliter connectuntur in unam; nam tunc, non ut plures numero distincti laborant, sed ut unus moraliter laborat, legem transgrediuntur. Idque debent in confessione aperire; quemadmodum Petrus tenetur explicare ipsorum numerum, & modum, quo operarios ad operandum indu-

induxerit, & legem Ecclesiasticam violaverit.

13. Sed quid, si *Hebræus, vel Turca, aut alii non baptizati, opus servile pro integro festo committeret?*

Resp. Illicite, ubi supra §. 1. numer. 166. eum mortaliter non peccare tradit, quia legibus Ecclesiasticis ipsi non subduntur. Sed peccare resolvitur cum Tamb. §. 1. num. 16. & cit. à Spiritu Sancto fest. 7. num. 60. nam, tamen si non baptizatus ex se sine peccato diebus festis laborare possit, quia non est legibus Ecclesiasticis subditus, fidelis tamen nunquam ei poterit sine culpa laborem injungere; ratio est, quia jam, altero homine laborante, ipse moraliter laboraret, & consequenter non modo humano, & morali festum sanctificaret; in quo opera servilia, non modò immediatè per nos ipsos exercenda, sed etiam mediatè, & per alios homines prohibentur.

14. Quæritur, an peccet mortaliter, qui opera servilia, octo non continuatis vicibus, in eodem festo exercet, si in singulis per semiquadrantem operetur.

Resp. Affirmativè; ratio est, quia licet illa sint discontinuata, quoad tempus, continuantur tamen in contrarietate ad præceptum, cujus una, & eadem est obligatio, quæ durat tota die. Sum. Leand.

15. Quæritur etiam, an toties quis mortaliter peccet, quoties in eodem festo per tempus notabile, pluribus interruptis vicibus, opus servile exercet?

Resp. Affirmativè: à simili de comedente in die jejunii pluries carnes juxta dicta lib. 1. cap. 16. num. 9. tam enim est negativum præceptum non comedendi

carnes, quam præceptum non laborandi; & sicut comedens post primam manducationem, potens est ad iterum non manducandum, & observandum præceptum negativum, sic laborans post primum laborem exercitum, potens est ad non laborandum in futurum.

16. Quæritur, *Cæsus fuit apud Turcas decem annis captivus, quo tempore, Domino jubente, omnibus diebus festis in agro laboravit: petitur, an mortaliter peccaverit?*

Resp. Interrogetur, an Dominus in contemptum Ecclesiæ, vel Festorum, laborem præceperit, & quatenus affirmet, non est dubium gravissimè deliquisse: non modò contra legem Ecclesiasticam, qua Festa præcipiuntur, verum etiam contra jus divinum, & naturale, dum Christum, & Ecclesiam contempsit; & idè obedire non tenebatur. Quod si non in eum finem fuerit præceptus, & laboraverit ad evitandum damnum grave, quod in persona, vel rebus timebat, à DD. à mortali excusatur.

17. Quæritur, quando quis censeatur cum contemptu transgredi præceptum observandi festa?

Resp. Cum præceptum non implet, quia non vult subijci legi Ecclesiasticæ id injungenti.

Unde notet Confessarius, quod quis potest peccare, vel cum contemptu materiali, vel cum formali ipsius Dei, & legis. Cum contemptu materiali Dei, & legis peccat, dum non facit opus præceptum, vel facit prohibitum (iste extat in quolibet peccato mortali imbibitus, quatenus, dum quis peccat, legem transgreditur: & in eo videtur ipsam materialiter contemnere) Cum contemptu

(Aaaa 2)

verò

verò formali peccat, cum non vult se præcepto, vel Deo, aut Legislati sub-
jicere: furatur Petrus centum, violat
septimum præceptum Decalogi, com-
mittens peccatum furti, sed non con-
temnit formaliter præceptum, nec Deum
aut Legislatorem. Furatur ipsa centum,
quia non vult subijci Decalogo, vel Deo
præcipienti, tunc formaliter Deum, &
præceptum contemnit, duoque peccata
committit, alterum furti, & alterum in-
perbia. Ita, non jejuno ob gulam, pec-
co contra abstinenciam: trango jeju-
nium, quia nolo subijci præcepto jeju-
nii, pecco & contra obedientiam, & con-
tra abstinenciam, de necessitate in con-
fessione explicandum. Ita in casu, facio
opus servile die festo, pecco contra
Religionem; & contra ipsam legis obe-
dientiam, si serviliter operor, quia re-
pugno obedire, & nolo præcepto subji-
ci. Vide Ilfung. tract. 2. disp. 2. art. 3.
num. 26. Et in hoc formaliter contemno
potestatem Ecclesiæ, quæ à Deo est: &
in quo parvitas materiæ à mortali non
excusat.

Et hæc satis, quantum ad præceptum,
prohibens opus servile in festis. Nunc
de præcepto audiendi Missam agen-
dum est.

18. Et supponendum dari præceptum
Ecclesiasticum de audienda Missa, non
modò diebus Dominicis, sed etiam aliis
festis, obstringens omnes fideles, post-
quam ad plenum rationis usum pervene-
rint, ita ut bonum à malo valeant suffi-
cienter discernere, Deum Orationibus
colere, ac mortaliter peccare. Quod
regulariter solet accidere circa septen-
nium, aut paulo post, juxta communem

DD. quia post eum quisque fidelis capax
est præcepti Ecclesiastici, ergo & præ-
cepti audiendi Missam. Layman. cit. cap.
3. num. 1. Sum. Leandr. verb. Missa audi-
tio num. 115. & per dicta ibi. 1. cap. 11.
Quod præceptum ex genere suo obliga-
t sub mortali, sic communis sensum fide-
lium, & praxis Ecclesiæ.

19. Queritur, quid sit Missam audire?

Resp. In hoc DD. concordant: quod
non sit determinatè sensum verborum
intelligere, cum rudes non possint: nec
Sacerdotem celebrantem videre, cum
cæci nequeant: neque sacrificantem au-
dite, cum surdi non valeant: sed, quod
fideles sint sacrificio præsentés, eique
modo humano assistant, hoc est, animo,
& corpore, ut possint Sacerdotem vide-
re, vel audire, aut ad ministerium, & sa-
cras actiones attendere, & percipere:
animo sunt præsentés, qui voluntariè
non distrahuntur ad alia objecta: cor-
pore verò, qui sunt præsentés in loco,
in quo Missa celebratur. Quod potest
physicè, & moraliter accidere: physicè
contingit, dum existis cum proprio
corpore in eo loco: moraliter verò, cum
es præsentés ratione conjunctionis cum
multitudine, cum qua constituit unum
corpus morale, Sacro assistens; quod
per DD. verificatur de eo, qui ob con-
titudinè fidelium, quos Ecclesiæ cape-
re non potest, extra Ecclesiam Missam
audit.

20. Sed queritur, an audiens Missam
sue domus sinistra, extra Ecclesiam consti-
ta, satisfaciatur præcepto?

Resp. Affirmat Tambur. citat. cap. 2.
§. 1. num. 14. & Gobat. experien. Theol.
tract. 5. cas. 6. alios plures referens
apud

apud quem negat Suarez, & Portell. Filiiuc. & Diana, & post eos Felix cit. num. 1790. Et istis adhaerendum censo: cum de eo dici non possit, esse physicè præsens, ut est certum; nec moraliter: quia in prudenti hominum existimatione non censetur pars multitudinis existentium in templo.

21. Quæritur, an, si quis toto Missæ tempore confabularetur, vel litteras, aut librum profanum legeret, aut scriberet, & per intervalla adverteret, quid in Altari ageretur, satisfaceret præcepto audiendi Missam?

Resp. Negativè, nam similis actio externa non reputatur compossibilis cum morali præsentia: cum animum abstrahat ab advertentia, sive attentione ad sacrificium. Illung.

22. Sed quæritur, quam attentio requiratur ad implendum præceptum?

Resp. Sed nota: quod duplex est attentio, interna, & externa. Externa est privatio, seu exclusio actionum exteriorum impediendum attentionem internam ad Sacrum: ut est confabulatio, scriptio, pictatio, ludus &c. Interna verò est ipsamet animi, seu mentis, ac intellectus applicatio, & advertentia ad Sacrum; & hæc per Cabalut. *prax. lib. 2. cap. 32.* & Sum. Leand. num. 160. vel est ad verba, & actiones, quas Sacerdos facit, & dicit: vel ad intelligentiam, & sensum verborum, vel ad Deum ipsum; cui sacrificium offertur: aut divina Mysteria, quæ in sacrificio significantur: vel ad divina beneficia, quæ per illud conferuntur.

Sufficere meram externam dicit Tambur. num. 20. & Illung, apud quos plures; resolveres Ecclesiam præcipere au-

ditionem externam; & idem, eum præcepto satisfacere, qui, licet interius voluntariè, & liberè distrahatur, Missæ tamen assistit sine exteriori distractione, & non occupatus externo negotio, vel actione, moraliter incompossibili cum interna attentione. Contra quos dicimus cum Mastro *disp. 12. art. 1. num. 36.* Sum. Leand. aliisque, quos ipsi referunt, ad satisfaciendum præcepto de audiendo sacro, esse necessariam attentionem internam; ratio est, quia, dum Ecclesia præcepit auditionem Missæ, non præcepit ipsam actionem materialiter tantum, sine intentione colendi Deum, sed ipsam, ut est instituta in cultum Dei, qui ei sine interna attentione non exhibetur. Immo Campion. *instruè. ad confess. audien. pag. 1. cap. 38. num. 16.* dixit, non posse nos obedire præcepto Ecclesiastico audiendi Missam in die festo, nisi credamus Christum verum Deum esse sub hostia ritè consecrata, quam audientes Missam adoramus; quamvis obligatio credendi in casu sit solum per accidens, ratione scilicet præcepti Ecclesiastici audiendi Sacrum.

23. Sed quæritur, an attentio debeat esse actualis, vel virtualis.

Resp. Actualis, qua quis in actu exercito advertit, est optima, & debet consuli, sed non est necessarium, ut semper duret, sed sufficit virtualis, quæ ex vi actualis, quæ præcessit, perseverat in actuali assistentia, & præsentia sacro, licet, propter involuntariam mentis distractionem, actu quis non advertat. Sed tenetur mentem ad actualem advertentiam revocare, dum suam distractionem

(Aaaa 3)

perci-

percipit, juxta dicta lib. 1. cap. 25. num. 7. 8. 9. & 10.

Quod diximus de attentione, quæ est actus intellectus, dicendum est, proportionem servata, de intentione, quæ est actus voluntatis, sed vide ibidem num. 12. & 13.

24. Queritur, an omittens partem notabilem Missæ peccet mortaliter?

Resp. Affirmativè, prout DD. communiter, scribentes, fideles teneri Missam integram audire ex alleg. cap. Missæ.

25. Sed difficultas est, quenam dicenda sit pars notabilis?

Resp. Est controversia inter DD. diverso modo sentientes. Sed communior est docentium, omissionem auditionis à principio usque ad Epistolam exclusivè, non esse partem notabilem, sed, si ipsa quoque omittatur Epistola, (neque ulla excuset necessitas) peccari mortaliter. Cabafut. citat. num. 7. allegans Tabienam, Navarrum, Suarez, Grassium, Henriquez: videndus Gobat ubi supra cap. 4. num. 135. Idem apud Sum. Leand. num. 132. dicitur, si, audita Missa usque ad communionem inclusivè, cætera omittantur? sed quidam volunt esse Evangelium S. Joannis audiendum. Verum semper penitentes monendi sunt, ut integram Missam audiant.

26. Sed quid, si quis accedens ad Ecclesiam, inchoata jam Missa, ceteris quæ remanent, ut consecrationi, usque in finem intersit, & postea ab alio aliam Missam usque ad consecrationem audiat, & postea discedat?

Resp. Præcepto non satisfacit, quia audiens duas, vel plures partes Missæ simul à diversis Sacerdotibus non satisfacit,

ut dixit Innoc. contra 53. prop. Sed nec eadem satisfacit, quamvis non simul, sed successivè à diversis celebrantibus duas partes, vel plures audiat. Matr. cit. num. 33. Ilung. §. 2. num. 161. Felix num. 2799. apud quos plures; ratio est, quia præceptum obligat ad audiendum unam Missam integram, sed illæ duæ medietates diversorum sacrificiorum, neque ex natura sua unum integrè sacrificium constituunt, cum sint partes independentes, quarum una ad aliam non ordinatur; nec constat de Privilegio, vel indulgentia Ecclesiæ, partes successivè disparatas pro integro sacrificio recipientis, ergo eas audiens, integram Missam non audit, sed plures partes plurius Missarum.

28. Queritur, an tempore auditiæ Missæ recitans officium divinum, vel penitentiam à Confessario injunctam, satisfaciatur obligationi de Missa audienda?

Resp. Affirmativè, ex dictis cap. cit. num. 26. ratio est, quia hæc Orationes non impediunt præsentiam, & attentionem sufficientem ad utrumque: quinimò Oratio reddit mentem magis attentam ad Deum, & impedit involuntarias distractiones, ac magis devotio excitatur. Cabafut. cit. num. 3. cum Toletio, Suarez, Bonac. &c.

29. Sed quid de eo, qui tempore auditiæ Missæ peccata sua sacramentaliter Sacerdoti confitetur?

Resp. Non satisfacit præcepto audiendi Missam; ratio est, quia colloquia quæ fiunt inter Sacerdotem, & penitentem ad explorandas peccatorum circumstantias, aliam exigunt attentionem quam quæ in Missa est necessaria; nam

confessio non est Oratio, sed accusatio, & actus iudicii, exigentis discussionem cause, quæ certè attentionem ad Sacrum impediunt. Felix num. 2803.

Ex supra resolutis Confessarius habet ad satisfaciendum præcepto audiendi Missam, quatuor esse necessaria. 1. Est auditio, seu actio, qua quis est animo, vel corpore physicè, aut moraliter præfens sacrificio. 2. Intentio, saltem virtualis audiendi Missam. 3. attentio interna, ad minus virtualis, ad verba, vel actiones Sacerdotis. 4. Integritas, ut tota audiatur, & notabilis pars non omittatur.

30. Quæritur, quid agendum penitenti dubitanti, an hodie detur præceptum audiendi Missam?

Resp. Inquirat veritatem, vel Missam audiat, ne mortaliter peccet; cum non sit licitum absque peccato cum dubio in re gravi operari.

31. Quæritur, an discedens à loco ubi festum particulare celebratur accessurus, ad alium, ubi non est festum, teneatur ante discessum Missam audire?

Resp. Negavit Bonac. cum aliis, quia præceptum audiendi non est affixum determinatæ horæ, sed extenditur usque ad meridiem, & ideo non tenetur prævenire. Contra quos affirmamus peccare mortaliter, si non audiat; ratio est, quia tunc adest obligatio præcepti, & potest implere, ergo debet; aliàs præsumitur transgressionem velle. Est enim regula generalis apud Mastrium disp. 11. quest. 4. art. 2. num. 80. quod dum quis prævidet aliquod impedimentum, vel periculum, propter quod non valeat præceptum existens adimplere, teneatur ad impletio-

nem tempore habili prævenire. Tametsi enim præceptum audiendi Missam absolute, & per se loquendo, non obiget pro brevi illa hora matutina, sed pro tempore matutino usque ad meridiem, tamen in casu, quo prævideatur impedimentum futurum adimpletionis præcepti, per accidens, & supposita illa prævisione, etiam illa hora obligat; & tenetur, quis adimpletionem prævenire, ne malitiosè, & cum dolo videatur prætermisisse.

Et idem dicendum est de accedente ad locum, in quo festum locale celebratur, ut tradit Joan. De la Cruz 3. præcept. art. 2. & Marchant. ubi sup. cap. 3. quar. 7. si ibi moram, executioni præcepti proportionatam trahat: ut, si usque ad meridiem ibi manet; ratio est, quia Statutum illud locale videtur pro eo tempore ipsum obligare: similia namque statuta ad bonam gubernationem loci conducentia censentur, obligare omnes, qui ibi inveniuntur, & qui moraliter præceptum implere possunt. Quinimò consuetudo legum interpres, ita recepta est, etiam inter doctos, ut si aliquandiu manerant in loco, ubi festum particulare celebratur, obligari se putent, licet exteri sint: & hæc est sententia tutior.

32. Quæritur, quot peccata committat, qui die Dominico, in quo venit festum S. Joannis, Missam non audit?

Resp. Vide lib. 1. cap. 18. num. 22.

33. Sed quid, si die Festo, omittat quis Missam, quam audire tenetur, etiam ex voto?

Resp. Duo peccata committit; quia violatio voti est distincta species à violatione præcepti; nam prima est contra fidem,

dem, quam dedit Deo observandi votum, & altera est contra præceptum præcipiens cultum, Deo debitum in auditione Missæ; idè debet in Confessione utrumque explicare; sicut qui peccat contra votum; quod juramento se observaturum confirmavit, debet id exprimere, quia & facit contra fidem, quam Deo dedit observandi votum, & contra obligationem non adducendi Deum in resem falsitatis.

34. *Quæritur, an dentur causa excusantes ab auditione Missæ præcepta?*

Resp. Affirmative: sed causa debet esse justa, & rationabilis; idque ex Clementia Ecclesiæ, quæ Missam audire non tanto rigore præcepit, ut voluerit, rationabili causa existente, obligare. Sic DD. communiter, revocantes eas ad septem, apud *San. Leandr. num. 161.* apud quos plura referuntur exempla.

35. *Excusantur itaque:* I. Impotentes impotentia Physica: ut graviter infirmi, & detenti in carceribus.

II. Impotentes impotentia morali, seu cum gravi difficultate potentes audire: vel quia grave damnum timeant, aut in salute, aut in bonis fortunæ, si e domo exeant, & ad Ecclesiam accedant: in dubio est consulendus medicus, vel Parochus.

III. Qui ob notabilem distantiam non potest propter pluviam accedere ad Ecclesiam.

IV. Mulier honesta, & nobilis carens vestibus, quibus possit decenter juxta suum statum in publico apparere. Verum debet curare accedere, valde mandè, quando populi concursus esse non solet, si id sine gravi suo incommodo, aut notabili confusione facere possit.

V. Pastores, qui non possunt gregem sine damno relinquere. Verum, si sint duæ Missæ, & duo Pastores: unus audiat unam, & alter alteram; si verò sit unum tantum, alter eorum alternatim illam audiat.

VI. Ministrans graviter infirmo, dum prudenter periculum timeretur, & non est, cui relinquatur.

VII. Puerperæ, per dies Purificationis abstinentes ab ingressu Ecclesiæ, juxta *cap. volens, de Purif.*

VIII. Mater, quæ non habet, cui relinquat infantulum, cui, domi relicto, periculum imminet, & secum non potest ducere.

IX. Gravidæ, uterum ferentes ex crimine occulto, ex auditione Missæ alius manifestando.

X. Qui sine peccato Sacro interesse non possunt, ut denunciati excommunicati, & interdicto Ecclesiastico subiecti.

XI. Ignorantes, vel invincibiliter non advertentes esse diem Festum &c.

36. *Quæritur, super quibus interrogandi sunt penitentes circa præceptum observandi Festi?*

Resp. I. An aliquod opus servile absque necessitate & licentia in Festis exercuerint; quot Festa inobservaverint, & an cum scandalo?

II. An fuerint causa, cur alii ea opera exercuerint?

III. An Missam audierint à principio usque ad finem: vel, an partem notabilem omiserint?

IV. An in majori parte Missæ voluntariè divagati fuerint?

V. An impedièrint aliquem, ne Missam audiret &c.

CAPUT XXXII.

*Prop. LV. ab Innoc. XI. &c.**Excusati à recitatione Breviarii.*

1 Prop. 54. *Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.*

Author propositionis fuit Navarrus in 4. cap. quando de consecrat. dist. 1. apud Cardenas differt. 53. & Joan. De la Cruz 3. præcept. art. 3. du. 17. ex regula illa, quod major pars trahit ad se minorem: ergo, concludit, impotens recitare majorem partem Officii, non tenetur minorem. Verum allata regula nil Navarro favet, cum efformata sit ex cap. Cum in cunctis, de his, que sunt à major. par. cap. ubi textus loquitur de majori parte personarum, in aliquod unum consentientium, & statuit standum esse pro majori parte. Et ita à majori parte personarum communi voluntate consentientium in aliquod, fit transitus ad majorem partem objectorum terminantium diversam obligationem; & ideo paritas non currit. Multa enim deducerentur absurda, si valeret: nam sequeretur, quod debens mille aureos non peccaret contra justiciam, non solvendo centum, vel quinquaginta, quæ posset, dum esset impotens ad majorem summam solvendam: & quod volens dare in elemosynam centum, non peccaret contra Religionem non dando decem, tametsi hæc posset, quia impotens foret ad nonaginta; & quod impotens ad jejunandos triginta dies in Quadragesima, non peccaret contra abstinentiam, non jejunando reliquos alios, quos posset: quas illationes credo nullum concessurum, secluso etiam decreto Innoc. damnantis propositionem. Quæ licet, ut jacet, agat solum de recitatione Officii, ex ea tamen omnia illa, & alia plura incommoda colliguntur.

Ratio autem cur pars minor Capituli differens majorem sequi debeat, est, quia hujus judicia, consilia, & resolutiones præsumuntur meliora, prudentiora, atque utiliora Republicæ, ut expressè indicatur in allegato cap.

2. De obligatione, aliisque necessariis spectantibus ad Horas Canonicas diximus lib. 1. cap. 25. ad quem locum Confessarium remitto, cum hic agendum sit dumtaxat de causis excusantibus à recitandis Horis Canonicis, vel à toto, vel in parte. Has DD. generaliter ad tres reducunt, I. Ad impotentiam physicam: ut, dum quis caret Breviario, vel est omnino cæcus, vel viribus destitutus. II. Ad impotentiam moralem: ut, cum quis sine magna difficultate, vel corporis periculo, Horas recitare non potest. III. Ad dispensationem justa causa, & urgente necessitate obtentam.

3. Nota, materiam præcepti aliam esse dividuam, seu divisibilem, & aliam individuam, seu indivisibilem: dividua dicitur, quæ habet plures partes, ad quarum singulas præceptum obligat: ut præceptum jejunandi in Quadragesima, quæ continet plures jejunii dies, in quorum singulis seorsim præceptum obligat divisibiliter; quemadmodum abstinentia à carnibus, & unica refectio constituentes jejunium, divisibiliter præcipiuntur sic, ut,

dragesima, non peccaret contra abstinentiam, non jejunando reliquos alios, quos posset: quas illationes credo nullum concessurum, secluso etiam decreto Innoc. damnantis propositionem. Quæ licet, ut jacet, agat solum de recitatione Officii, ex ea tamen omnia illa, & alia plura incommoda colliguntur.

Ratio autem cur pars minor Capituli differens majorem sequi debeat, est, quia hujus judicia, consilia, & resolutiones præsumuntur meliora, prudentiora, atque utiliora Republicæ, ut expressè indicatur in allegato cap.

2. De obligatione, aliisque necessariis spectantibus ad Horas Canonicas diximus lib. 1. cap. 25. ad quem locum Confessarium remitto, cum hic agendum sit dumtaxat de causis excusantibus à recitandis Horis Canonicis, vel à toto, vel in parte. Has DD. generaliter ad tres reducunt, I. Ad impotentiam physicam: ut, dum quis caret Breviario, vel est omnino cæcus, vel viribus destitutus. II. Ad impotentiam moralem: ut, cum quis sine magna difficultate, vel corporis periculo, Horas recitare non potest. III. Ad dispensationem justa causa, & urgente necessitate obtentam.

3. Nota, materiam præcepti aliam esse dividuam, seu divisibilem, & aliam individuam, seu indivisibilem: dividua dicitur, quæ habet plures partes, ad quarum singulas præceptum obligat: ut præceptum jejunandi in Quadragesima, quæ continet plures jejunii dies, in quorum singulis seorsim præceptum obligat divisibiliter; quemadmodum abstinentia à carnibus, & unica refectio constituentes jejunium, divisibiliter præcipiuntur sic, ut,

Mattheus Cautela Confess.

(Bbbb)

ut,

ut, qui repetita refectioe egot, debeat à carnibus abstinere: & qui jejuniū frangit, carnes in prima refectioe comedendo, debeat postea ab alia refectioe, & esu carniū abstinere per dicta lib. 1. cap. 16.

Individua verò illa est, quæ vel non habet plures partes, ut Communicatio in Paschate; vel si habet, præceptum non obligat ad singulas seorsim, sed ad omnes conjunctim: sic Confessio annua, quam Ecclesia præcipit, continet tres partes, cordis contritionem, oris Confessionem, & operis satisfactionem, sed Ecclesia non præcipit unam seorsim ab aliis, sed omnes tres conjunctim, ad unum Sacramentum conficiendum.

4. Quæritur, an præceptum recitandi Officium Canonicum respiciat materiam dividuam, & divisibilem, ita ut obliget, etiam ad recitandas singulas Horas seorsim ab aliis?

Resp. Affirmativè, prout expressè Innoc. Qui in decreto dixit, obligationem præcepti recitandi Horas Canonicas extendi ad recitandas reliquas Horas, ab eo, qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas; sed hoc est, materiam præcepti de recitandis Horis esse dividuam, & divisibilem. Ided, qui non potest recitare omnes Horas, tenetur vi præcepti eam recitare, quam potest: nam quævis Hora per se est Canonica Oratio, & præcipitur divisibiliter. Laym. lib. 1. tract. 4. cap. 19. num. 7. & lib. 4. tract. 1. cap. 6. num. 2. Ilung. tract. 5. disp. 1. quest. 1. art. 6. à num. 41.

5. Quæritur, an carens Breviario teneatur recitare eam partem Breviarii, quam tenet memoria?

Resp. Affirmativè; quia, qui tenet memoria totam, vel partem Breviarii, is amplius non habet impotentiam physicam, vel moralem, ergo non excusatur est communior sententia. Layman. cit. à num. 6. Gobat. experient. Theol. tract. 5. num. 717. Ilung. ibidem & Cardenas dissert. 33. cap. 5. num. 26.

6. Sed quid, si carens Breviario, memoriter sciret omnes psalmos nocturni sine lectionibus?

Resp. Suarez apud Cardenas negat eum obligari ad recitandos Psalmos, eum non potest, & Lectiones; quia, ut sic, Psalmi illi non sunt Matutinum nec integra Hora, cum hæc constet Psalmis, Antiphonis, Versiculis, Lectionibus, & Responsoriis, quæ videntur indivisibilitate præcipi, ita ut præceptum respiciat omnia illa per modum unius.

Affirmat cit. Layman. Ilung. & Cardenas cap. 4. num. 30. Ratio est, quia licet Psalmi non possint integri Hora nominari, tamen sunt pars notabilis unius magnæ Horæ; ergo, sicut impotens recitare Matutinum, & alias Horas, non deobligatur à recitando v.g. Completorio, quod potest, nec major pars trahit ad se minorem; ita, impotens recitare Lectiones non excusatur à recitandis Psalmis, quos vel memoriter scit, vel commodè potest in Libro, diurnali occupato: nec pars minor debet ad se majorem trahere. Istis assentior. Observat Cardenas ibidem præceptum recitandi singulas Horas terminari ad illas divisibiliter ita, ut quis obligatus maneat ad recitandam Horam taliter, quod si non possit totam recitare, tenetur ad ipsius partem notabilem. Quod est

est cultui Dei, & Religioni favorabilis: in cuius favorem, semper est pronuntiandum, cum ex opinionum varietate dubium oritur.

Et id maximè procedit, quando quis potest tantum Horæ recitare, quantum sufficeret ad peccatum mortale, si omitteretur, ut optimè Layman. & Ilfing. Quænam autem dicenda sit pars notabilis in omissione recitationis. Vide lib. cit. num. 4.

7. Sed quaeritur, an qui non potest recitare secundum, & tertium Nocturnum ex Matutino, possit autem primum, teneatur ad istum.

Resp. Affirmativè; ratio est, quia præceptum Ecclesiæ, ut terminatur ad Nocturnos, continet materiam dividuam. Olim enim tres Nocturni dicebantur separatim in tribus vigiliis noctis, ut refert Durantus de ritib. Eccles. lib. 3. cap. 3. sub. num. 1. & cap. 5. ergo præceptum obligat ad quemlibet Nocturnum per se, etiam independentè ab alio: certè omittens Nocturnum Paschatis, & Pentecostes à mortali non excusatur; ergo Nocturnus cadit per se sub præcepto.

8. Sed quid, si quis foret impotens ad recitandum Matutinum, & potens ad Laudes?

Resp. Teneretur Laudes recitare, quia Laudes sunt pars notabilis divini Officii, per se sub præcepto; quæ olim separatim à Nocturnis dicebantur, ut idem Durantus ubi supra testatur, in quarta scilicet vigilia Noctis. Recitatis Nocturnis, primo, in prima: secundo, in secunda: tertio, in tertia: in quarta Vigilia Laudes dicebantur, ut ibid. cap.

5. ostendit (modo, etiam in nocte Nativitatis separantur à Matutino) ergo, quod conjunctim cum Nocturnis recitentur, non facit, quin secundum se sub præcepto cadant; ergo impotens recitare Nocturnos, debet Laudes, dum potest.

Hæc, servata proportione, possunt applicari laborantibus cæcitate.

9. Quaeritur, quid agendum agrote, habente certitudinem de impotentiâ recitandi integrum Officium, & dubitante, & possit sine lesione unam parvam Horam recitare?

Resp. Tenetur recurrere ad consilium timorati Medici, vel Confessarii, aut alterius prudentis viri, & prudenti consilio parere; vel rogare Prælatum habentem facultatem pro commutatione. Vide Cardenas cap. 3. num. 22. Layman. etiam lib. 4. tract. 1. cap. 4. num. 22. & Fellic. tom. 1. exam. num. 456. Quod si dubium non deponat, debet recitare: quia cum dubio practico nunquam licet operari.

Circa occupationem, propter quam excusatur quis à recitatione Officii illud notandum est; quod debet esse gravis moraliter, necessaria, & talis, ut sine scandalo, vel notabili detrimento, proprio, vel alieno omitti, aut differri non possit, & cum recitatione moraliter consistere nequeat, ut, si alias quis non posset se sufficienter parare ad concionem, coram frequenti populo habendam, vel in Hebdomada sancta audire penitentes ad Confessionale confluentes, & alia Parochiæ ministeria exequi. Verum, quando potest recitatio intra eundem diem naturalem anteponi, vel postponi, debet, ut scripsit Layman.

(Bbbb 2)

man.

man. cit. num. 1. Nec studium literarum est sufficiens excusatio, ut quis per se ipsum non recitet: vel satisfaciatur, si recitet per alium: obligatio enim est personalis vide prop. 21. ab Alex. VII. damnatam lib. 1. cap. 14. num. 16.

Circa dispensationem verò etiam sciendum est. Quòd dispensatio non tenet, nisi iusta accedat causa, vel necessitas ad dispensationem sufficiens; idèd Beneficiarius, qui à Papa dispensationem obtinet super recitatione Officii, si causa exposita in supplici Libello non sit subsistens, nulla est: quia dispensatio non datur, nisi propter causam; & tenetur restituere fructus beneficii.

10. An verò Prælatis Regulares possint cum suis subditis dispensare? Videant ipsi quid potestatis ex consuetudine, vel ex privilegio ad dispensandum cum ipsis habeant. Hoc unum observo ex Illung. ab Julio III. sub 22. Octob. 1582. fuisse concessum Præpositis Generalibus Societatis Jesu, ut ii, quibus ipsi communicassent suam auctoritatem, possent cum infirmis, qui propter infirmitatem viderentur excusandi à recitatione Officii, infirmitate durante, in aliud Opus pium, seu leviozem Operationem commutare. Quod privilegium per communicationem ad alios Regularium Prælatos videretur extendi.

11. Quæritur, an Moniales excusentur à privata recitatione Horarum, dum Choro desunt?

Resp. Vide lib. 1. cap. 25. num. 2. & ex ibi dictis nega.

12. Quidam volunt excusari Clarissas propter disposita ab Eugenio IV. Non. Febr. 1456. const. incipit. Ordinis tui, apud

Confess. de privileg. Mend. In qua, promisso, quod in Regula prima B. Clara continerentur centum, & tria præcepta Regularia; infra subdit: *Declaramus, & volumus, quod in nullius prædictorum transgressione, præterquam eorum quatuor, quæ concernunt principalia vota, obedientie scilicet, paupertatis, castitatis, & clausuræ, & super electione Abbatisse, & depositione, peccatum mortale incurram.* Et cum unum ex illis præceptis sit divinum recitare Officium, idèd Clarissæ non videntur sub mortali ad illud obligari privatim.

Propter quæ tamen non debent Clarissæ deobligari à debito recitandi privatim Horas Canonicas, nec excusari à mortali, si non recitent; nam declaratio Eugenii solum tangit præcepta, consuetudines, & obligationes Clarissis proprias quibus ultra vires erant gravate, ut innuunt illa verba, *præcepta regularia, non verò consuetudinem cunctis Religiosis utriusque sexus, Choro addictis communem, ut est illa de recitandis Horis privatim, ex dictis ubi supra.*

CAPUT XXXIII.

Prop. LV. & LVI. ab Innoc. XI. &c.

Præceptum Communionis.

1 Prop. 55. Præcepto Communionis annua satisfiat per sacrilegam Dominum educationem.

Prop. 56. Frequens Confessio, & Communio, etiam in his, qui gentilitate vivunt, est nota prædestinationis.

2. Præceptum annua Communionis habetur cap. Omnis utriusque; xxi. cap. nis. & remiss. ubi hæc sunt: *Suscipiens reverenter, ad minus in Pascha Eucharistia Sacramentum; & in Trid. sess. 13. can. 9.*

ut infra: Si quis negaverit omnes, & singulos Christi fideles, utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad Communicandum juxta præceptum S. Matris Ecclesie, Anathema sit. Ubi ponderandum illud reverenter, per quod ostenditur obligatio recipiendi Eucharistiam, ad minus in Pascha, imposita ab Ecclesia, esse de illa recipienda dignè, & cum debita interna dispositione. Quod etiam præcipitur a Trid. cit. cap. 7. illis verbis: Cavere ille debet, ne absque magna reverentia, & sanctitate ad id percipiendum accedat. Ubi immediatè declarat, quam probationem adhibere debeat suscepturus Eucharistiam, ne accedat extra statum gratiæ, & conscius peccati mortalis: ergo cum substantia Communionis, præcipit etiam internam animæ dispositionem; cum non præcipiat solummodò physicam, & materialem manducationem, sed moralem, includentem physicam: moralis autem manducatio, physicam includens, est sumptio Corporis Christi per modum cibi, non autem per modum veneni: hunc autem modum continet sacrilega manducatio, ut constat ex verbis Pauli 1. Cor. 11. *probet autem se ipsum homo &c. & sic de pane illo edat, & de Calice bibat: qui enim manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat (quo mortis damnationem incurrit) non disjucans Corpus Domini: hoc est, non discernens, quod caro Christi est cibus, & vita animæ, non mors, non venenum.*

Hinc notandum, duo copulativè Ecclesiam præcipere, & quod fidelis accipiat Eucharistiam ad minus in Pascha, & quod illam non accipiat indignè, & sine

debita dispositione: ergo, qui Eucharistiam accipit in Paschate sine dispositione debita, non implet præceptum Ecclesie, sed peccat gravissimo sacrilegio; & tenetur iterum satisfacere præcepto, iterumque dignè Eucharistiam suscipere, ut ex Innoc. patet, qui præactam § 5. affirmativam propositionem damnavit.

De præcepto Confessionis egimus lib. 1. cap. 10. ibi videas. Et hinc alia plura occurrentia circa illud Communionis Paschalis animadvertas.

3. Quæritur, an Petrus omittens Communicare in Paschate, teneatur postea, ex vi præcepti Ecclesiastici Communicare ante alterum Pascha?

Resp. Negant multi; & à simili probant, quod reliqua præcepta affirmativa, elapso tempore, non amplius obligant: ut sunt præcepta audiendi Missam, jejunandi, & Horas Canonicas recitandi. Si hodie Breviarium non lego, non teneor postea alio die legere ad satisfaciendum pro hodierno Officio omisso: si in Quadragesima non jejunò, non teneor postea supplere; ratio est, quia sunt obligationes tali tempore affixæ.

Communior tamen, & tutior sententia est, ut teneatur, quàm primùm potest, communicare. Layman. lib. 5. tract. 4. cap. 5. num. 8. Mastr. disp. 12. art. 2. num. 45. & art. 3. num. 54. Ilfing, Marchant, Felix, De la Cruz, Antonius & Spiritu Sancto, alique. Ratio est, quia præceptum affirmativum communicandi singulis annis, saltem in Paschate, includit hoc negativum, ne differatur Communicatio ultra tempus Paschale (vel, ut alii volunt, ultra annum) sed qui impeditus in Paschate non communi-

(Bbbb 3)

cavit,

cavit, præcepto de non differenda Communione ultra Pascha obstringitur, donec satisfaciatur, ergo. Nam non desinit obligari, qui præscripto tempore, quod debet, non solvit, sed potius, cum solvendi dies exierit, ad solvendum arctius obligatur; ut patet in contractibus diem solutionis præfinitibus: *text. in cap. cum dilecti Filii, de dolo, & contum.*

4. Communio itaque Paschalis non est onus illi dumtaxat temporis alligatum, sicut recitatio Breviarii, jejuniium Vigiliae, vel auditio Missæ certæ diei, & in cultum talis Sancti; sed determinatur tempus, in quo debitum Communionis solvendum est: quo tempore sine solutione exeunte, solvendi debiti obligatio magis urget: *legendus text. citat.*

Hujusmodi est usus, & consuetudo Ecclesiarum, quæ censura adstringit non Communicantes, ad statim debitum solvendum, quin aliud expectent Pascha.

5. Quantum temporis comprehendat tempus Paschale, habes *lib. & cap. cit. num. 12.* & ibid. videas annum, in quo Ecclesia Communionem præcipit, esse Ecclesiasticum, & computari à Paschate in Pascha, & non ab Januariario, in Januarium. *Mastr. cit. art. 2. num. 42.*

6. Sed cur statim, post Pascha est præceptum implendum?

Resp. Quia in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsentis die debetur, *ff. de regul. jur. lib. 14.* hic autem non ponitur ullus dies post tempus Paschale, ergo in quolibet est debitum implendi, dum potest *Gobat. tract. 4. cap. 3. num. 6.* Ex his patet, tempus Paschale non esse impositum ad finien-

dam obligationem, sed, ne differatur impletio præcepti.

7. Sed quaeritur, an Confessarius possit causam differre ad tempus Communionis Paschalem?

Resp. Affirmative, ut expressè textus in *alleg. cap. omnis*, ubi hæc sunt: *nisi forte de proprio Sacerdotis* (hoc est Confessarii) *ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ob hujusmodi præcepto duxerit abstinendum.* *Vid. Fagn. in 5. Decretal. ad alleg. cap. num. 46.*

Causa rationabilis esse potest, quia penitens propter occasionem proximam absolvi non potest, & experiendus est in suo proposito. Cæterum Confessarii, non Parochi, deberent Penitentes dirigere ad suos respectivè Parochos, ut possent isti scire, à quibus deberent in Paschate exigere testimonium factæ Communionis, & à quibus deberent id ad tempus limitatum expectare.

8. Quaeritur, an providens impedimentum futurum Communicandi in Paschate, teneatur Communicare ante Pascha?

Resp. Negant Poncius *disp. 44. quæst. 11. num. 102.* Layman *num. 8.* & *Mastr. art. 3. num. 5.* ratio est, quia præcepta limitata ad tempus non obligant ante tempus; patet in præcepto audiendi Missam die crastino, quod ad audiendum hodiè non obligat, etiam si hodiè prævideatur impedimentum cras audiendi; & maxime, quia ea Communionem anticipata non satisfaceret præcepto, quia, cessare impedimentum, teneretur adhuc Communicare in Paschate.

Affirmat *Contenton. Theol. lib. 1. par. 2. dissert. 4. cap. 1. speculat. 1.* & *Suzer. apud Tambur. Method. Com. cap. 4. §. 4. num. 38.* Quibus adhærendum est; *ra-*

tio est, quia intentio Concilii, verbis illis expressa; *Salem in Paschate: ad minus in Pascha*: est, Communionem non esse differendam ultra tempus Paschale; qui autem prævidens impedimentum, Communionem non anticipat, eam ultra tempus Paschale, sciens, & volens differt; ergo tenetur anticipare; quemadmodum prævidens eodem die feito non posse ultimam sacramentum audire, tenetur audire unum ex antecedentibus.

9. Sed quid, si tempore Paschali prævidens impedimentum communicandi cesset?

Resp. Tenetur communicare, ut per se præceptum Paschalis Communionis impleat; juxta receptam praxim Ecclesie: quam videmus exigere Communionem in Paschate ab illo quoque, qui infra annum, etiam pluries, communicavit. Tambur. ubi supra.

10. Sed queritur, an ad satisfaciendum præcepto Ecclesiastico sufficiat communicare in Ecclesia Regularium, vel sit exequendum in Parochia?

Resp. In Parochia exequendum est, aut alibi de licentia Parochi, & non in Regularium Ecclesia, prout censuit Sac. Cong. Conc. in una Mechlinen. 31. Januarii 1682. Vide cap. cit. num. 21.

11. Queritur, Confessarius audis confessionem mulieris, quam in capite absolutio ob proximam occasionem reperit, & propterea in absolutam dimittit, interim accedit ad celebrandum, & ipsa cum ceteris ad recipiendum Christi Corpus se accommodat, petitur, an debeat, & possit Eucharistiam negare?

Resp. Sed præmitto communes regulas apud Authores, Cabasut. prax. jur. canon. lib. 3, cap. 7. Layman. citat. cap. 6.

num. 10. Joan. De la Cruz. quest. 3. de sumpt. Eucharist. dub. 2. num. 4.

Prima est, quod publico peccatori, si ve publicè, si ve privatim petat, est denegandum Corpus Christi; ratio est, quia jus non habet ad illud, quousque publicè pœnitent; & Sacerdos, cum sit mysteriorum Dei dispensator, totus esse debet, ne bona, quæ dispensanda, recipit, in immeritos, & indignos dissipet.

Secunda, quod peccatori occulto non est deneganda Communion, si publicè petat. Sumitur ex cap. si Sacerdos de Offic. Jud. ord. Ubi legitur, Christum Judæ, tunc occulto peccatori, suum dedisse in ultima cœna Corpus, & Sanguinem: & ex cap. non prohibeat de consecr. dist. 2. Decet enim, ut actus publicæ gubernationis, & dispensationis exerceatur secundum publicam notitiam, & non secundum privatam scientiam Gubernantis, & Dispensantis; ratio est, quia, aliàs gravia nascerentur scandala, odia, rixæ, & jurgia, cum infamia illius, qui probus ab adstantibus reputaretur.

Tertia, quod Sacerdos, qui scit intra Confessionem Sacramentalem occultum alicujus delictum, tenetur eidem petenti concedere, quantumvis occultissimè petat; ratio desumitur ex illa indispensabili, & stricta obligatione observandi secretum, & sigillum de auditis in confessione. De quo loquitur c. Sacerdos de pœnit. dist. 6. & c. omnis utriusque; ubi supra; & ibi: caveat autem omnino, ne verbo, vel signo, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem. Sacerdos autem negando Communionem virtualiter, & indirectè delictum proderet, atq; exprobraret auditum in confessione illius peccatum, quod est

est omni jure interdictum, semperque penitens adverteret causam repulsæ esse peccatum in confessione expositum.

Ex quibus facilis est responsio. Vel peccatum mulieris est publicum, vel occultum: si publicum, ei denegare tenetur juxta primam regulam; si verò occultum, procedere debet secundum notata in 2. & 3. regula.

12. Sed quaeritur, unde Confessarius publicos peccatores ab occultis discernet?

Resp. Ex notorietate peccati; eosque publicos, & manifestos dixerit, qui cum scandalo peccant; vel quorum peccata innotuerunt, vel per evidentiam facti: ut sunt publici usurarii, publici concubinatii, publicæ meretrices; vel per publicum, sive Ecclesiasticum, sive Seculare judicium: modò emanati non fuerint; vel, si ipse peccator de suo crimine jactet, & passim, ac manifestè illud coram sibi occurrentibus cum publico scandalo confiteatur.

13. Sed quid, si excipiat confessionem meretricis, quam à multo tempore non peccasse reperit?

Resp. Lib. 1. cap. cit. num. 28. diximus Meretrices absolvendas non esse, nisi prius removeant pericula, & occasiones iterum relabendi: nisi habitum meretricium deponant, & alium ædificationis assumant: nisi domum peccati relinquunt, & ad aliam honestam accedant: ac, nisi bono exemplo ædificent existentes in vicinia, & de nova ipsarum vita constet. Propterea, neque ad Communionem sunt admittenda, nisi ipsarum conversio publica sit, & vita exemplaris; quæ ex Coninch. apud citat. Cabasut. num. 7. ut publico peccatori prudenter

Communio regulariter dari possit, necesse est, ut publicè constet ipsam esse emendatam.

14. Sed quid: accedit Hebræus occultus, & in confessione aperit duo peccata contra legem naturæ, v. g. furtum, & homicidium: deinde aperit se esse Hebræum, & solum extrinsecè Christianam Religionem profiteri, eamque simulare, & velle in Paschate communicare, ne Hebræus deprehendatur: quid Confessario agendum?

Resp. Ei nullo modo debet Eucharistiam præbere: sed est monendus, ne accedat ad Mensam Angelorum, quia ei omnino negabitur Communio; & si pertinax erit, & accesserit, manifestabitur ut Hebræus.

15. Sed quid, si Hebræus insitet: Pater, tu non potes revelare confessionem, & tamen non infamare proximum?

Resp. Utrique teneor ad sigillum confessionis Sacramentalis, nec ipsum, etiam ad evadendum evidens mortis periculum frangere possum. Sed nego te esse Sacramentaliter confessum: duo mihi aperuisti, 1. Furtum, & homicidium, quæ sunt contra bonum privatum. 2. Simulationem Christianæ Religionis, & Hebræismum, quæ sunt contra bonum publicum. Primum, teneor celare ex obligatione secreti naturalis; neutrum autem ex sigillo confessionis. Hæc oritur ex sola confessione Sacramentali, qualis tua non est, cum Baptismo careas, qui est janua Sacramentorum. Deinde, sigillum obligat, quando quis Confessionem non simulat, & peccata exponit in ordine ad absolutionem, quamvis confessio ob indispositionem penitentis, vel sit sacrilega, vel absolutio non detur: quod tu non fecisti.

Quantum ad alterum, quod opponis: scias bonum publicum fidei, & Christianæ Religionis, contra quod est delictum tuum, prevalere bono privato tuæ famæ. Immo teneor te Sancto Officio revelare, & quamprimum exequar, ut commeritas tuæ fraudis, & erroris pœnas recipias.

16. Sed quid dicendum, dum Parochus vocatus ab infirmo Hæretico, qui confitetur unum, vel alterum peccatum, & statim subdit: Ego non credo Sacramentum pœnitentiæ esse in Ecclesia Christi. Et monitus, ut respiciat, resistit; petitque communicare, ne apud adstantes bonum nomen amittat?

Resp. Eum non potest communicare; nec negando Communionem sequitur revelatio confessionis; quia in casu nulla habetur obligatio sigilli; cum hæc ex dictis oriatur ex sola Confessione Sacramentali, quæ per eum non fit, cum accusatio non fit in ordine ad absolutionem Sacramentalem; quandoquidem non credat Sacramenti pœnitentiæ virtutem, & existentiam.

17. Sed quid, si pœnitens Confessario verè in ordine ad absolutionem Sacramentalem confiteatur cum dolore peccatorum, sed non credens Sacramentum Eucharistiæ continere verum Corpus, & Sanguinem Jesu Christi?

Resp. Apud neminem casum reperi. Sed, ut mihi videtur, negare Communionem non potest, dum petat; ratio est, quia cum hic habeatur confessio Sacramentalis, & accusatio in ordine ad absolutionem, adest vera obligatio sigilli: quod negando Communionem frangeretur. Legas Carenam Tribunal. S. Offic. pag. 2. cap. 9. §. 5. num. 20. asserentem cum communi, Confessarium non posse reve-

Matthæucci Cautela Confess.

lare hæreticum, quem talem scit ex confessione ipsius Sacramentali. Et num. 21. ubi ex Genuen. in praxi tradit, quod, si Hæreticus accederet ad Confessarium, non animo confitendi peccata, sed pervertendi Confessarium, & iuducendi ad hæresim, tunc Confessarius teneretur illum denunciare: quia talis non est Sacramentalis Confessio, sed modus occultè dogmatizandi, vide lib. 1. cap. 4. num. 7.

18. Quæritur, quor peccata committit, qui tempore Paschali sacrilegè communicat?

Resp. Duo, unum commissionis contra reverentiam Sacramento debitam, & alterum omissionis contra adimpletionem præcepti Ecclesiæ; ac alia duo, si sacrilegè confiteatur.

19. Quæritur, quanam dispositiones requirantur, ut quis sacrilegè non communitur?

Resp. Duplex, una ex parte animæ, alia ex parte corporis. Ex parte corporis dispositio necessaria est, ut communicaturus sit perfectè jejunus jejunio naturali, hoc est, ut à media nocte nihil cibi, potus, aut medicinæ, vel aliud, etiam minimum, aut inadverteñter, & casualiter sumat, & in stomachum actione vitali demittat: habetur cap. nihil 7. qu. 1.

20. Nota generalem regulam ex Layman. cit. Jejunium naturale ab Ecclesia ante sumptionem Eucharistiæ præceptum, cap. Sacramenta Altaris, de consecrat. dist. 1. institutum non esse obtemperantiæ virtutem, sed ob Sacramenti reverentiam, ut sacra Hostia ante omnia ab extrinseco in stomachum deveniat. Unde communicare non potest,

(Cccc)

quæ

qui comedit, vel deglutit aliquid, etiam minimum (quamvis nec per se, nec per accidens nutrit, vel habere rationem medicinæ possit) ut chartam, ceram, frustum ligni, osiculum, frustum, monetam auream, globulum plumbeum, filum ex serico, lana, vel lino, paleam, faenum, terram, carbonem, tabachum, &c.

Dixi ab extrinseco. Quia non censetur jejunium violari, si immixtus saliva in stomachum sanguis ex gingivis, vel cerebro proveniens, descendat, quia per modum saliva in stomachum defluit. Illung. tract. 6. disp. 4. art. 5. §. 5. à num. 121. Cabasut. lib. 3. cap. 5. num. 7. Lege Rubricas Missalis tit. 9. de defectib. disposit. in corp.

21. Quæritur, an non jejuno liceat unquam communicare?

Resp. Affirmative. DD. plures casus assignant. I. In mortis articulo, si commodè sumi Eucharistia non possit à jejuno; sive mors imminet ex morbo, sive ex Judicis sententiâ; ratio est: quia quilibet tenetur in periculo mortis ex divino præcepto communicare; ut communit DD. ex illo Joan. 6. nisi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis. Quod est fortius, & gravioris momenti, quam lex Ecclesiæ, prohibens non jejunis communicare.

II. Ob perficiendum sacrificium; ut, si Sacerdos loco vini consecrati, aquam sumpsit, debet consecrare vinum, & sumere.

III. Si Sacerdos post consecrationem recordetur se jejunum non esse; tunc debet progredi in sacrificio. Quamvis,

si recordetur ante, tutius sit omittere, si possit absque scandalo.

IV. Si Sacerdos post consecrationem deficiat, ut non possit sumere, & sacrificium proficere. Nam tunc debet alius Sacerdos substitui, etiam non jejunus, quando alius non sit, qui Eucharistiam sumat, & sacrificium perficiat. Quorum omnium una est ratio, quia præceptum non relinquendi sacrificium imperfectum, fortius est, ut potè divinum, quam sumendi Eucharistiam jejuni, quia Ecclesiasticum. Vide DD. de sacrificio. Miss. & rubricas Missal. ut. de defectibus in ministr.

V. Si penitens stet ad locum recipiendæ Communionis, & recordetur se non esse jejunum: modò absque grati ignominia, & scandalo recedere non possit. Tambur. cit. §. 8. num. 33. & Lerman. cap. 6. num. 22. quia leges positiva non tam severe obligant. Sed casus rarus est, idèd cautè procedendum, & reverentia vitanda.

Ex parte animæ, necessaria est talis præparatio, & dispositio, ut communicaturus, indignè non communit. Ad quod necesse est, ut tres sequentes regulas servet. 1. Ut diligenter se examinet, an aliquod peccatum mortale commiserit, de quo ritè confessus non fuerit. 2. Ut, advertens in se aliquam culpam mortalem, non accedat ad Communionem, quantumvis se contritum existimet, nisi præmissa confessione sacramentali. 3. Ut, qui officio celebrandi urgetur, & Confessarii copiam non habet, præmitat contritionem: & post celebrationem, quam primum poterit, confiteatur. Quæ per DD. à Trid.

Trid. sess. 13. cap. 7. præcipitur speciatim celebrantibus ex officio, necessitate urgente; nam alii possunt à celebratione cessare. Vide lib. 1. cap. 28.

22. Quæritur, quid facere debet is, qui dum stetit genua ad Altare recepturus Eucharistiam, recordatur alicujus peccati lachrymabili in confessione?

Resp. Si sine gravi scandalo recedere potest, & confiteri, tenetur hoc facere; si autem imminet scandalum (ut solet contingere in publicis Communionibus, quæ fiunt cum frequentia populi) debet dolere, quantum potest, procurando se disponere per actum contritionis, cum proposito confitendi quamprimum. Sed videat, ne periculum scandali, & infamiae fingat. Gobat. cit. cas. 16. num. 256. & 257.

23. Sed quæritur, an sufficiat attritio cognita?

Resp. Negativè; quia confessio est dispositio peccati requisita, ergo, cum ista deest, ponendus est dolor, qui in casu Confessionem suppleat, consequenter contritio. De la Cruz, & ex dicendis cap. 35.

24. Sed quæritur, Petrus existens in opido rurali, ubi cum Parocho est alius Sacerdos, non Confessarius, expectat implere præceptum Paschale in Dominica in Albis, in qua in aurora, repentino casu, Parochus moritur, à supervivente Sacerdote potest Eucharistiam accipere, sed non ipsi confiteri; petitur, an possit sine Confessione Eucharistiam sumere, ut satisfaciat præcepto Communionis Paschalis, tunc obliganti?

Resp. Negativè; quia præceptum præmittendi Confessionem ante Communionem, quæ potest divinum, fortius est

præcepto communicandi in Paschate. De la Cruz ubi supra dub. 1. conc. 2. & Suarez apud Tambur. ib. §. 6. num. 32. Nec pro tunc videtur adesse necessitas communicandi, non præmissa Confessione; quia adstantes intelligent, quod non communicat, quia ex defectu Parochi non potuit confiteri; & ideo scandalum cessat. Quinimodò, per accidens loquendo, pro tunc censetur, quod lex Communionis non obliget, tum ratione defectus Confessarii, tum, ex quo non possit debito, & legitimo modo, ac juxta praxim Ecclesiæ impleri; ideo debet alio die præcepto satisfieri. Licentia communicandi, non præmissa Confessione, non est tam facile extendenda, ut optimè notavit Bonaccina.

25. Dubitatur, quæ etate pueri, & puellæ admittendi sint ad Sacram Eucharistiam recipendam?

Resp. Certum est ex Trid. sess. 21. can. 4. parvulis, antequam ad annos discretionis perveniant, non esse necessariam Eucharistiæ Communionem; & quod expectandus sit annus discretionis, antequam papis Angelicis eis detur: habetur ex alleg. cap. omnis, & Trid. locis supra cit. In quo DD. concordant; ratio est, quia ad sumendum SS. Christi Corpus, & Sanguinem in Eucharistia debet homo se ipsum probare, an dignus, vel indignus sit; sed pueri, & puellæ ante annum discretionis nequeunt hujusmodi probationem præmittere, neque dignitatem, vel indignitatem cognoscere. Siquidem annus discretionis dicitur ex eo, quod in ipso discernatur, quodnam sit bonum, vel malum; maximè etiam, quia, ut dignè recipiatur Sacramentum, (Cecc 2) requi-

requiritur magna reverentia, & devotio, quæ ante discretionis annum in parvulis non præsumitur: in quo nulla est discretio.

Sed discordes sunt in assignando, & taxando discretionis anno, in quo admittendi sint ad Communionem. Alii volunt admittendos esse anno sexto, vel septimo: alii octavo: alii nono: alii decimo: alii undecimo: & quidam quartodecimo; verum non potest certa mensura pro omnibus definiti; sed cuiusque pueri indoles est consideranda; quia alii tardius, alii citius perfectionem, & maturitatem iudicii assequuntur, quo habiles sunt, & possunt actum fidei, & devotum aliquem affectum circa hoc Sacramentum elicere.

26. Eorum habitus, & discretio quoad hunc effectum in eo consistit: I. Ut sciant discernere, & distinguere hunc cibum Sacramentalem ab aliis: II. Ut credant, quod sub hostia à Sacerdote rite consecrata, illi porrigenda, verè, & realiter est totus, & integer Christus, secundum Corpus, Sanguinem, animam, & divinitatem, ex Trident. *sess. 13. cap. 3.* & quod jam non sit amplius ipsius panis substantia. III. Ut intelligant, devotè, & reverenter esse suscipiendam Eucharistiam, ut loquitur Lateranense *in cit. cap. Omnis*: prævio jejunio naturali, & Confessione Sacramentali, si peccati mortalis culpa conscientiam gravet. IV. Ut mente retineant; post Communionem gratias Deo esse agendas pro tanto munere, & seiplos offerendos ad obedientiam divinatorum mandatorum. Quæ omnia diligenter iisdem pueris, & puellis debent decla-

rari, ut super illis instructi, acquirant discretionem, habilitatem, & discretionem necessariam accedendi cum fructu ad mensam. Videndus *Mastrus disp. 118. num. 65.* referens aliquando graviter peccare Parocho, Parochos, & Confessarios, qui ex incuria, instructione omissa, primam Communionem puerorum nimis differunt; idem dicit Clericatus.

27. Circa propositionem 56 id observandum est, quod Authores ipsius contradicunt testimonio Petri 2. *cap. 1. Sperate, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis*, ergo opera bona, & diuturna observantia mandatorum Dei sunt nota prædestinationis, seu signum, ex quo conjecturaliter colligi potest aliquem esse electum ad æternam beatitudinem; non verò frequens Confessio, & Communio, nisi cum simili observantia jungantur; sed certum est, frequentem Confessionem, & Communionem eorum, qui gentiliter vivunt, cum ea observantia non conjungit; nam, ut notat Cardenas *differt. 35. num. 7.* qui gentiliter vivit, depravatis moribus vitam continuat; ergo ejusdem frequens Confessio, & Communio non associatur cum diuturna observantia divinatorum mandatorum. Quinimò videntur Authores ipsi pertinaciter propugnare, præbendam esse Communionem quotidianam omnibus indistinctè, dummodo non habeant conscientiam peccati mortalis.

Contra quos S. Cong. Concilii de mandato Innoc. XI. *sub die 12. Febr. 1679.* Decretum edidit, incip. *Cum ad aurum* ab eodem SS. approbatus, quod inter

alia exhibet: ad Sacram alimoniam percipiendam accessus, Confessariorum secreta cordis explorantiam, iudicio est relinquendus: qui ex conscientiarum, puritate, & frequentia fructu, & ad pietatem processu, Laicis negotiatoribus, & conjugatis, quod prospicient eorum salutem profuturum, id illis prescribere debent: & infra.

Moniales quotidie sacram Communionem petentes, admonendæ erunt, ut in diebus ex earum Ordinis instituto præsinitis communicent; si quæ verò puritate mentis emittantur (nota) & fervore Spiritus ita incaluerint, ut digna frequentiori, aut quotidiana Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis à Superioribus permittatur.

28. Quæritur, an Communionis quotidiana sit de iure divino?

Resp. Negativè, ut ibidem decretum: Episcopi, & Parochi, seu Confessarii redarguant asserentes Communionem quotidianam esse de iure divino.

29. Quæritur, etiam an plures particule possint in Communione communicaturo trahi?

Resp. Negativè, alleg. Decretum; Insuper admovent nulli tradendas plures Eucharistia formas, seu particulas, neque grandiores, sed consuetas.

30. Quæritur, cui virtuti opponitur violatio præcepti communionis?

Resp. Virtuti Religionis, per quam tenemur exhibere cultum debitum Deo per dignam susceptionem Sacramenti Eucharistia: sive violamus præceptum, peccato commissionis, sive omissionis. Peccatum commissionis est, cum, præcepto obligante communicare dignè, indignè suscipimus; peccatum verò o-

missionis, cum, obligante communicare, non communicamus: per omissionem violamus præceptum affirmativum, communicæ: per commissionem violamus præceptum negativum, ne indignè communicæ. Dum communionem omittimus, peccatum irreligiositatis patramus; dum verò indignè communicamus, sacrilegium propriè committimus.

CAPUT XXXIV.

Prop. LVII. ab Innoc. XI. &c.
Contritio, & Atritio.

1. Prop. 57. Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

Sacramentum penitentia fuit à Christo Domino institutum ad remissionem peccatorum, post baptismum commissorum, ut fideles in ea lapsi ipsi Deo reconcilientur, ex Trid. sess. 14. cap. 1. & 3. & can. 1. Quod describi potest: est Sacramentum nova legis à Christo Domino institutum, reconcilians cum Deo hominem baptizatum, penitentem, virtute absolutionis à peccatis, ab eo post baptismum commissis, prolata à Sacerdote jurisdictionem habente cum debita intentione, de quo lib. 4. cap. 5.

2. Eius forma sunt ipsa verba, ego te absolvo, &c. ex Trident. cit. cap. 3. de quo cap. sequen. Sed materia est duplex, proxima, & remota: remota sunt peccata post baptismum commissa. Quæ item duplex est, necessaria, & sufficiens, seu libera: necessaria sunt peccata mortalia post baptismum (vel in ipsa receptione baptismi) commissa, nunquam ritè confessa, nec directè absoluta; dicuntur mate-

(Cccc) 3

mate-

materia necessaria, quia de necessitate sunt confitenda,

3. Nota, per contritionem perfectam extra Sacramentum non dimitti peccata, nisi sub onere, & obligatione subjicendi ea clavibus, cum primum potest, seu cum voto, & proposito confitendi, quod in ipsa contritione includitur, adeoque cum ordine ad claves, & absolutionem. Vide Trid. sess. 6. cap. 14. de justif. Sufficiens, seu libera, sunt venialia, & etiam mortalia, alias ritè confessæ dicuntur materia sufficiens: quia sufficiunt pro materia absolutionis: & libera, quia non tenetur fidelis ad ipsorum Confessionem.

4. Materia necessaria subdividitur: ut alia sit necessaria sufficiens, alia necessaria, sed non sufficiens; necessaria sufficiens sunt mortalia certò post baptismum commissa, nunquam ritè confessæ; necessaria non sufficiens, sunt mortalia dubia, post baptismum patrata: dicuntur necessaria, quia sunt de necessitate in Confessione aperienda: at non sufficiens, quia, nisi, cum mortali dubio exponatur etiam aliquod mortale, vel veniale certò commissum, non possumus ab illo absolvi, & Sacramentum exponitur periculo nullitatis, ob defectum materie certæ.

5. Peccata non dicuntur materia ex qua, cum ex eis hoc Sacramentum non componatur; nec materia in quam introducat forma; sed materia circa quam destruendam, versatur dolor, & absolutio. De peccatis diximus lib. 1. cap. 17. & de peccato philosophico dicendum lib. 3. cap. 2.

6. Materia proxima sunt tres actus penitentis, oris confessio, cordis contritio, & operis satisfactio, ex Trident. sess. 14. cap. 3. De duabus posterioribus egimus lib. 1. cit. de Confessione cap. 7. & 10. de satisfactione cap. 11. idè in presenti dumtaxat agendum est de contritione, itaque

7. Queritur, quid sit contritio?

Resp. Est animi dolor, ac desectio de peccato, cum proposito non peccandi de futuro. Trident. ibidem cap. 4. Ad veram contritionem requiritur ordium, seu complicitia peccati, ut est offensa Dei, propositum confitendi, propositum satisfaciendi, & propositum emendandi vitam. Ex Trid. sess. 6. cap. cit.

8. Sed queritur, quotuplex sit contritio?

Resp. Duplex, perfecta, & imperfecta: perfecta, quæ absolute contritionis nomen retinet, est dolor, seu desectio peccati, ut est offensa Dei super omnia summe dilecti, seu, ut est summum, & infinitum bonum super omnia dilectum, cum proposito emendandi vitam; de isto infra cap. 37. Imperfecta verò, quæ attritio dicitur: est dolor, & desectio peccati, ut est offensa Dei, propter timorem Gehennæ, vel amissionis beatitudinis, aut turpitudinem, & faduram peccati; involvens propositum, saltem implicitum, non peccandi cum spe veniæ.

9. Advertendum est, quod dolor contritionis, ut sit dispositio sufficiens ad justificationem, debet esse super omnia alia mala, quæ non sunt peccata mortalia; quatenus est dolendum de offensa Dei magis, quam de quocumque alio malo, quod non est Dei offensa.

10. Sed queritur, an debeat esse super omnia appetitive, vel intensive?

Resp. Non intensive, sed appetitive, quatenus magis detestandum, & fugiendum est peccatum, & malum culpæ, quam malum pœnæ. Ita, qui se disponit ad justificationem, & de peccatis dolet, debet esse in tali animi dispositione, & præparatione, ut si occurreret occasio iterum peccandi mortaliter, potius eligeret quamlibet pœnam, quam mortaliter delinquere; alias, si potius vellent, & paratus foret Deum offendere læthaliter, quam pœnam aliquam subire, jam haberet affectum ad peccatum mortale, & sic non doleret de offensa Dei super omnia; quandoquidem huiusmodi dolor talis non fit, nisi omnem talem affectum excludat.

Dixi non intensive, quia quamvis monendi sunt penitens, ut intense doleant, quantum possunt, de peccatis, tamen intensio doloris in tali, vel tanto gradu non videtur absolute necessaria, & esse in præcepto; quinimò videretur res plena scrupulis, quia anxii semper penitentes forent, an dolorem de peccatis elicerent in eo gradu intensioris, in quo sit sufficiens dispositio ad justificationem, vel, an magis intense dolerent de amissione boni temporalis, quam de offensa Dei. Debent itaque dolere super omnia, sic, ut excludatur affectus ad quodcumque mortale, & parati sint, quodcumque aliud malum pœnæ & incommodum subire, quam mortaliter peccare, vide supra cap. 5. num. 5.

11. Queritur, in quo contritio perfecta, & attritio, qua sunt dispositiones ad justificationem, conveniant, & differant?

Resp. In hoc conveniunt: I. Quod utraque versetur circa peccatum detestando illud, ut est offensa Dei. II. Quod utraque excludit voluntatem peccandi. III. Quod utraque sit supernaturalis, non elicitæ ex solis viribus naturæ, sed cum auxilio divinæ gratiæ, ut definitur in Trid. sess. 6. can. 3. de justific. IV. Quod utraque sit regulata per fidem divinam, & ex motivo à Deo revelato Ecclesiæ Catholicæ.

In hoc vero differunt: I. Quod contritio est dolor de peccato procedens ex sua natura ex motivo charitatis: ut, quia Deus est infinitum bonum, summè dilectum; attritio vero est dolor de peccato procedens, ex imperfectiori motivo, v. g. ex timore pœnarum Inferni, vel amissionis beatitudinis, aut ex turpitudine peccati. II. Quod contritio est dispositio sufficiens ad justificationem extra Sacramentum penitentiae, in voto tamen Sacramenti, cum proposito nimirum subjiciendi peccata clavibus. Attritio vero se sola non sufficit extra Sacramentum, in re susceptum, cum sit dispositio solum ad justificationem in Sacramento obtinendam, de qua Trid. sess. 14. cap. 4. ubi: *Et quamvis sine Sacramento penitentiae, per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen cum ad Dei gratiam in Sacramento Penitentiae impetrandam disponit. DD. communiter.*

12. Formula actus contritionis: *Mi Deus, & Domine Jesu Christe, qui a summum & infinitum bonum es, & te super omnia diligo, super omnia doleo, & me penitet, quod te offenderim; veniam à te spero, & amplius non peccare cum tuo divino auxilio in futurum propono.*

13. Formula verò attritionis : *Ad Deum, & Domine Jesu Christe, quia timeo à te aeterna beatitudine privari, vel panis inferni puniri, ex corde doleo, & mihi super omnia displicet, quod te offenderim: veniam à te spero, & in futurum te auxiliante emendationem propono.* Vide Tambur. *Method. Confess. lib. 2. cap. 2. §. 6.*

14. Nota, quod, cum de attritione dicitur, ut sic dolor de peccatis ob penas inferni, sensus non est, quod quis taliter doleat ob tales penas, ut, si non essent penae, non doleret, nec detestaretur peccata; nam iste dolor esset malus, quia in eo duraret affectus ad culpam. Sed dicitur esse ob penas inferni, in quantum timor penarum inferni, per fidem cognitarum, est occasio detestandi culpam. Et ita eo attritionis actu principaliter culpa detestatur: etsi ista detestatio fiat ex motivo penarum.

15. Quæritur, in quo perfecta contritio formalis, & formalis dilectio Dei super omnia differant?

Resp. In hoc, quod dilectio habet pro objecto quod immediato, & directo Deum ipsum, in quem formaliter, & explicitè tendit. Contritio verò pro objecto quod directo habet peccatum detestandum; nam, qui verè contritus est, culpam ipsam expressè odio habet, ut est offensa Dei: qui verò actum dilectionis Dei elicit, ipsum expressè diligit in objecto tamen formali motivo, & quo conveniunt; nam Deum super omnia amamus, quia est summum bonum propter se amabile, & de peccato dolemus, quia est offensa Dei summi boni. Du-hamel *tom. 3. dissert. 2. de penit. cap. 1. num. 5.*

16. Quæritur, an dolor de peccatis in pa-

nitente, ut sit dispositio sufficiens ad justificationem, debeat esse formalis, & explicitus?

Resp. Dixerunt quidam sufficere a morem Dei super omnia, qui est virtualis detestatio peccatorum, eminenter continens perfectionem doloris: qui enim Deum super omnia diligit, implicitè, & virtualiter detestatur omnia, quae ipsi displicent. Sed nos id negamus cum Florentino, & Trident. ac commun. Theologorum. Florentinum in decreto unionis ait: *primam partem, quasi materialem Sacramenti penitentiae, esse veram contritionem, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero; & Trident. sess. 14. cap. 3. sunt, quasi materia hujus Sacramenti, ipsius penitentis actus, contritio, confessio, & satisfactio.* Quae verba sine ullo fundamento non intelligerentur in sensu proprio, & formali: ergo per se ad valorem, & essentiam Sacramenti pro parte materiali ipsius, in eo, cui post examen, occurrunt memoria peccata commissa, requirunt dolorem formalem; ergo iste determinatè per se exigitur. Quemadmodum ad essentiam, & valorem baptismi, aqua formalis requiritur, etiam si alius liquor haberi possit, qui esset eminentialiter aqua, vel, qui eminenter serviret ad abluendum corpus, ut vinum. Dixi per se, & cum post examen occurrunt memoria peccata commissa: quia, si peccata alicui non occurrant, & statim rapiatur ad martirium, & pro Christi fide mortem sustineat, hoc est virtualis displicentia, contenta in actu dilectionis Dei super omnia. De la Cruz de penit.

17. Quæritur, an sufficiat illa contritio

pro omnibus peccatis, ad memoriam per examen conscientia revocatis, an verò sint necessaria tot contritiones numero distincta, quot sunt peccata, adeout, si hæc sint centum, centum contritiones sint necessaria?

Resp. Quamvis optimum sit dolere particulariter de singulis, unica tamen formalis sufficit respectu omnium; sed debet esse dolor universalis de omnibus, hoc est, dolor de illis propter motivum formale, quod sit omnibus universale, & sub quo omnia comprehendantur. Sic, cum doleo, quod Deum offenderim, quia est summum bonum: vel, quia Deum offendens infernum, & privari cælesti beatitudine promerui, doleo sub motivo, omnibus peccatis communi: quia omnia peccata sunt offensa Dei summe boni, & omnia mortalia cælesti beatitudine privant, & infernum peccanti acquirunt. DD. communiter.

18. Sed quaeritur, accedit Casus, hæc aperiens Confessorio. Pater: in Confessione præterita oblitus sum confiteri duo peccata, sed inculpabiliter; nam diligentiam adhibui, ut omnium recordarer, sed ex decem, quæ commisi, octo dumtaxat memorie occurrerunt, de quibus dolorem particularem habui, de his solùm dolendo: peto, an ab omnibus decem fuerim absolutus?

Resp. Negativè, à nullis absolutionem obtinuiti: non à duobus invincibiliter oblitis, quia de illis nullum dolorem habuisti; nec potes à peccatis absolvi, quæ non retractas, & detestaris; quia circa ea, quæ non detestaris, affectum retines. Nec ab octo confessis, quia Deum veniam non dimidiat; sed mortalia omnia dimittuntur, vel nulla; nam

Masbanus Cancellarius Confess.

unum sine alio non dimittitur. Si de illis octo sub isto formali motivo doluisses, doleo, quod his Deum summum bonum offenderim: vel, quia per illa gehennam promerui: ab omnibus, etiam oblitis, absolutionem obtinuisses: quia, etsi materialiter explices solùm octo peccata in particulari, dolor tamen formaliter est universalis, quia ratio formalis, sub qua doles, est communis ad omnia peccata mortalia. Verum si de illis octo doleres, cum expressa intentione non dolendi de oblitis, si quæ essent, nec de illis octo doleres super omnia, quamvis ex illo motivo doleres.

10. Sed quid, Petrus commisit duo peccata, unum homicidii, alterum fornicationis, postea, pramisso examine sufficienti, obliviscitur fornicationis, & propterea confitetur solum homicidium, de quo etiam dolet ob turpitudinem particularem ipsius, nimirum, quia est contra pulchritudinem justitiae, à Deo revelatæ, petitur an ab utroque absolvetur?

Resp. Hoc argumento utuntur plures ad probandum posse Sacramentum Pœnitentiæ esse validum, & informe. Nam, ut ajunt, Petrus de homicidio expressè, & formaliter dolet, & aliunde alterius inculpabiliter obliviscitur, ergo validè confitetur, & absolvitur: ergo Sacramentum est validum, sed gratiam non recipit, quia habet obicem peccati, cuius est oblitus, de quo non habet dolorem virtuales, aut formalem: non formalem, ut certum est, quia de illo non cogitat: nec virtuales, quia nullum habet dolorem, nisi illum, quem habet de homicidio ob imalitiã particularem ipsius: nullum autem peccatum dimittitur

(D ddd)

abs-

absque aliquo dolore, vel formali, vel virtuali de ipso, ergo Sacramentum est informe, & sine fructu.

20. Sed negamus validè confiteri; quia, ut validè confiteatur, debet dolere de omnibus peccatis commissis aliquo modo, nullo autem modo dolere de peccato fornicationis, cum ratio particularis, propter quam dolet de homicidio, non sit communis fornicationi, quæ non est contra iustitiam, ut homicidium, sed contra castitatem. Itaque, quia dolor, etiam ex motivo formali, est particularis, non destruens omnia mortalia, sed solum ea, quæ sunt contra iustitiam, ad oblitum nec virtualiter extenditur, & idè indirectè ab eo non absolvitur. Nec dolor, quo dolet, est contritio, de qua Trident. loquitur cap. 4. sess. 14. ubi de contritione, quæ est actus penitentis, hæc habet: *hanc contritionem, non solum cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odium continere: veteris autem odium non continet, si etiam de oblitis non dolet in universali.*

21. Hinc Confessarius totus esse debet in inducendis penitentibus, ut doleant de omnibus peccatis vitæ suæ, specificando, quod etiam doleant de oblitis, & curare, quod doleant ex motivo universali, communi omni peccato.

22. Queritur, *Petrus non habet, nisi duo venialia, ambo confitetur, sed de uno tantum dolet, petitur, an validè absolvetur, & gratiam recipiat?*

Resp. Affirmativè; ratio est, quia dum de uno dolet, jam ponit materiam remotam, & proximam, & totum quod ex parte materiae sufficit ad valorem Sa-

cramenti, & nil habet, ut suppono, quod obstat receptioni gratiæ; alterum veniale, non obstat, quia: sicut potest ipsum non confiteri, ita non tenetur de eo dolere, dum confitetur illud, de quo dolet.

23. Sed quid, si tantum unum veniale confiteatur, & de ipso non doleret?

Resp. Tunc committeret Sacilegium, ob gravem injuriam Sacramenti, quod esset invalidum ex defectu partiali, nempe materiae proxima. Idè quoties quis unicum tantum veniale confitetur, de ipso dolere debet, ne materiam insufficientem apponat ad Sacramentum conficiendum.

24. Queritur, *an dolor de peccatis, qui in penitente est dispositio ad justificationem, debet esse naturalis, vel supernaturalis?*

Resp. Supernaturalis: naturalis non sufficit, ut patet ex Decreto Innoc. & habetur ex Trid. sess. 6. canon. 5. & sess. 14. cap. 4. ubi definit, *Attritionem, quæ ad Dei gratiam in Sacramento Penitentia impetrandum disponit, donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum*: sed dolor naturalis de peccatis non est donum Dei, neque Spiritus Sancti impulsus, ergo huiusmodi dolor naturalis non disponit ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam: Minor patet, quia donum Dei, & impulsus Spiritus Sancti est quid supernaturalis: dolor autem naturalis supernaturalis non est, ut ex terminis patet. Ratio etiam esse potest, quia juxta commune dictum: dispositio ad formam debet esse in eodem genere, & ordine cum forma, ergo dolor, qui est dispositio ad gratiam sanctificantem, quæ est supernaturalis, & ipse esse debet, alius

quæ proportio esset, ut ad ipsam dispo-
neret?

25. Sed unde poterit Confessarius cognoscere, quod dolor in penitente sit supernaturalis?

Resp. Ex eo poterit moraliter colligere, si erit regulatus lumine fidei divinæ, vel conceptus ex motivis, quæ docet fides; quia fides est principium supernaturalitatis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad consortium filiorum ejus pervenire, estque humanæ salutis initium: fundamentum, & radix omnis justificationis; ut loquitur Trid. sess. 6. cap. 2. de justis. & D. Thomas 2. 2. q. 16. art. 1. in corp. dixit: prima subjectio Hominis ad Deum est per fidem, secundum illud ad Hebr. 11. sine fide &c. Vid. dicta cap. 14. à num. 9. & cap. 15. num. 4.

26. Sed, unde colliget, quod dolor in penitente sit regulatus lumine fidei?

Resp. Ex eo, quod sit dolor de peccatis ex motivo aliquo supernaturali à Deo Ecclesiæ Catholicæ revelato. Cui Deus revelavit peccatum esse offensam Dei summi boni super omnia dilecti: propter peccata Homines celesti beatitudine privari: & pœnis Inferni puniri. Ideò, qui dolet se offendisse Deum, quia est summum bonum propter se infinite amabile, & summè dilectum: vel, quia timet ab ipso pœnis inferni puniri, aut celesti beatitudine privari, dolet dolore fidei Divinæ regulato, quatenus dolet ex motivo, non humano, sed supernaturali, hoc est, ad Deo revelato Ecclesiæ, & fidei divinæ cognito.

27. Sed quaeritur, an sufficiat si doleam, me offendisse Deum, quia timeo puniri ab ipso malis temporalibus, ut infirmitate, peste, fame, bello, &c.

Resp. Plures apud Cardenas differ. 2. cap. 5. art. 2. dixerunt, attritionem, seu dolorem de peccatis, conceptum ex timore pœnarum temporalium, quæ à Deo, tamquam à delictorum vindice, infliguntur in pœnam peccati, sufficienter disponere ad impetrandam Dei gratiam in Pœnitentiæ Sacramento. Apud quem alii negant. Et cum istis dicendum, dolorem de peccatis ob timorem pœnæ temporalis non sufficere; ratio est, quia non est regulatus lumine fidei, nec ex motivo supernaturali; nam fides divina non docet peccatoribus imminere mala temporalia, sed æterna, & pœnas inferni. Quas nobis sæpissime proposuit Deus in Scriptura, ut earum consideratione illas timeremus, & illo timore concussi applicaremus media, quibus eas vitarem, dolendo de peccatis commissis, & abstinendo ab eis in futurum.

28. Opinionem oppositam non esse practicè probabilem, &, dum asserit esse licitum confiteri advertenter cum ea attritione, contineri sub damnatione ab Innoc. edita contra primam propositionem, ibid. Cardenas tradit: quod ex his concluditur. Illa opinio subjacet illi damnationi, quæ versatur circa valorem Sacramenti, & est minus tuta, sed opinio, quod talis attritio sufficiat, versatur circa valorem Sacramenti, & est minus tuta; nam, si coram Deo non est vera, Sacramentum frustratur, ergo.

Contritio itaque, sive attritio, supernaturalis esse debet, non modò ex parte principii effectivi, auxilii nimirum divini, juxta Trid. sess. 6. can. 3. de justis. Verum etiam ex parte objecti, seu motivi

(Dddd) 2 for-

formalis supernaturaliter, seu per fidem divinam cogniti.

29. Sed quaritur, an attritio, concepta ex consideratione turpitudinis peccati, sit sufficiens dispositio ad justificationem in Sacramento?

Resp. Distinguas duplicem turpitudinem in peccato, unam naturaliter cognitam: ut est turpitudine vilitatis, & indignitatis apud homines, quæ est in furto; & turpitudine immunditiei in peccato carnis, & inhumanitatis in homicidio, &c. & aliam supernaturaliter cognitam, seu per fidem, & à Deo Ecclesiæ revelatam: ut est turpitudine peccati opposita alicui divinæ perfectioni (quæ non sit bonitas, quia hæc est motivum contritionis perfectæ) ut turpitudine inobedientiæ, ingratiitudinis, irreverentiæ, & offensæ, contra Deum, finem supernaturalem; vel alicui virtuti morali per legem divinam, & à Deo Legislatore supernaturali præcepta, & revelata: ut turpitudine contra iustitiam in furto, & contra castitatem in fornicatione, &c. Dolor, ob turpitudinem peccati, primo modo considerata, insufficientis est, quia naturalis; ille vero conceptus ex consideratione turpitudinis, secundo modo inspectæ, optimè sufficit, quia supernaturalis, ex motivo, per fidem noto, à Deo Ecclesiæ Catholicæ revelato. Hinc, si doleas te Deum offendisse, quia tuis peccatis inobediens fuisti ejus mandatis; quia eum Legislatorem offendisti, cum proposito cavendi in posterum à peccatis omnibus, cum spe veniæ, dispositus es, per attritionem supernaturalem, si cætera non desint, ut in Sacramento Pœnitentiæ justificeris. *Mastr. disp. 21. art.*

2. quæst. 2. num. 41. Felix examinatorum. num. 3068. cum Brancato, & aliis. Sed dolorem de peccatis sub motivo universalis concipere debes.

30. Quaritur, Pœnitens bona fide confitetur, existimans se habere dolorem de peccatis, quem revera non habet, petitur, an validè & effectum Sacramenti recipiat?

Resp. Negativè, & Confessio est nulla; nam Sacramentum non fit sine dolore peccatorum. Si Confessarius loco verborum ego te absolvo, profertur ista, ego te judico, putans per ea à peccatis absolvi, revera non absolvet; sicut Sacerdos consecrans aquam, putans esse vinum, non consecraret: non alia ratione, nisi, quia materia, & forma Sacramentorum non dependent à nostro iudicio, sed à Christi determinatione, ergo, qui aliis utitur, quàm à Christo institutis, Sacramenta non conficit; ergo, quia dolor ex Tris. est pars materialis Sacramenti Pœnitentiæ, si ipse revera non ponatur, nec Sacramentum fit. Quod bona fide accesserit, probat tantum, quod accedendo non peccaverit: sed Confessionem debet repetere.

31. Sed quid, si cognoscat se esse inculpatum attritum?

Resp. Si cætera non desint, & in re confiteatur, justificatur; ratio est, quia Trid. cit. non distinguit inter attritionem cognitam, & non cognitam, sed statuit attritionem esse dispositionem ad impetrandam gratiam in Sacramento. *Gobar. tr. de cas. 4. num. 50.* Intellige semper de attritione ex motivo supernaturali.

32. Sed quid censendum de illo, qui dicit, doleo ex animo, quod non doleam, sicut deberem?

Resp.

Resp. Vel talis vult indicare se carere vera detestatione, & displicentia peccatorum, vel solum se de his quidem criminibus dolere, sed non cum vehementi affectu, ut vult; in primo sensu loquens, veniam delictorum non obtinet, quamvis confiteatur: quoniam hæc non acquiritur per dolorem opratum, nec per negationem doloris, sed per re ipsa existentem dolorem de criminibus: loquens verò in secundo sensu veniam obtinere potest; nam ille reverà dolet, & sufficienter dispositus ad justificationem censetur, si ita de omnibus peccatis efficaciter doleat, ut excludat affectum ad omne peccatum.

33. Nota, quòd, ut contritio sit materia Sacramenti Pœnitentiæ, debet esse sensibilis, quia quodlibet Sacramentum est signum sensibile quoad materiam, & quoad formam: sensibilis autem dicitur contritio, consistens in actu interno voluntatis, si conjungatur cum aliquo actu externo virtutis pœnitentiæ, ut sunt gemitus, lachryma, percussio pectoris, Confessio vocalis, &c. Per aliquem ex his actibus contritio reddita sensui subiecta, fit materia Sacramenti.

34. Quæritur, an dolor de peccatis, ut sit dispositio ad justificationem in Sacramento debeat elici ex intentione confitendi, & Confessio fieri in virtute illius doloris?

Resp. Affirmativè; nam tutior opinio est, quòd dolor antecedens Confessionem, ad Confessionem referatur, aliàs non apparet, quomodo dolor, & Confessio in ordine ad Sacramentum, etiam moraliter, conjungantur. Opinio id negans exponit Sacramentum frustrationi; nam, si coram Deo vera non ef-

set, Sacramentum esset nullum, juxta dicta cap. 1.

35. Sed quæritur, quando censetur Confessio fieri in virtute doloris antecedentis?

Resp. Regulariter id contingit, cum quis recogitat peccata sua, in ordine ad confitendum illa, & de illis dolet.

36. Sed quæritur, an qui uno, vel duobus diebus ante Confessionem recogitat peccata sua, & de iis dolet in ordine ad confitendum, si postea non eliciat actum doloris, validè confiteatur?

Resp. Tamburinus dixit, dolorem per quatuor, aut quinque dies antea conceptum, sufficere ad valorem, & fructum Confessionis. Leander validam esse Confessionem, etiam si longissimo tempore dolor antecedat: dummodò, postquam semel habitus est, nec expressè, nec implicite retractetur; quia tunc virtualiter perseverat, & moraliter conjungitur cum sequenti Confessione.

Sed eos nimis laxè loqui, non est dubium, nam non apparet, in quo dolor ille virtualiter permaneat. Virtualis permanentia alicujus actus tunc præsumitur durare, cum dantur aliqui effectus, qui processerunt ab illo actu; patet exemplo: in sendo dignitatem consequi à Pontifice: hæc intentio perseverat virtualiter in itinere, quod ad Curiam suscipio, in allocutione cum Ministris Papæ, & in præparatione aliorum, ad eum finem conducentium; quia hi omnes sunt effectus illius intentionis. Nullus autem datur effectus, qui, intermedio illo tempore, procedat ab eo dolore, cum tali intentione habito, & in quo virtualiter dicatur permanere; quinimò propter diuturnam temporis

(Dddd) 3 distan-

distantiam, videtur quòd dolor non possit influere in Confessionem faciendam, & quòd hæc potius sit historica narratio, quàm accusatio dolorosa, & Sacramentalis. Idèd præfatorum opiniones, admittentium dolorem cum ea temporis distantia, videntur exponere Sacramentum periculo nullitatis, & comprehendendi sub damnatione primæ propositionis ab Innoc. reprobare, propterea sunt relinquendæ; & dicendum quòd dolor habitus vel immediatè ante Confessionem, vel ad summum die antecedenti, cum relatione ad Confessionem. (si hæc in virtute illius procedat) vel in ipso actu Confessionis, sit dispositio sufficiens ad justificationem; teneas semper tutiora: Vide *Campion p. part. cap. 13. à num. 3.*

37. *Quæritur, an dum quis de novo confitetur peccata, jam ritè confessa, debeat de his iterum dolere?*

Resp. Affirmativè, quidquid alii dixerint; nam alias validè non absolveretur, ex defectu partis essentialis, requisitæ ad valorem Sacramenti, & exponeret Sacramentum periculo frustrationis, & nullitatis, in casu, nimirum, quòd opinio negans requiri novum dolorem, non esset vera apud Deum. Quare nostra, ut potè tutior, est sequenda: & instruendi sunt pœnitentes, ut novum dolorem eliciant; & quòd damnatio Innoc. de qua *cap. 1.* non solum comprehendit opinionem, quæ dicit, dum agitur de valore Sacramentorum, licere in administratione sequi minus probabilem, relicta probabiliori, & tutiori, sed eam etiam, quæ asserit, id licere in receptione; ratio est,

quia tota ratio damnationis in eo stat, quòd dicatur licitum esse exponere Sacramentum nullitati, sed hæc nullitas æquè haberi potest ex parte recipientis invalidè, ac invalidè ministrantis, ergo, &c. *Cardenas cit. cap. 4.*

38. *Quæritur etiam, an dolor debet precedere confessionem, an sufficiat, quòd procedat absolutionem?*

Resp. Lis est sub Judice: hinc inde sunt DD. Sed in praxi consulendum, dolorem debere precedere confessionem, id enim est tutius, & semper tutiorum essentialibus Sacramentorum sunt sequenda. *Quilici Confess. mand. fundament. oper. num. 12.* Et sequitur, ex quo inter conditiones bonæ confessionis una sit quòd sit lachrymabilis, hoc est, dolorosa, & non pura historica narratio: non videtur autem, quòd possit dolorosa esse, nisi à dolore informetur, vel fiat in virtute doloris præhabiti.

39. *Quæritur, an præceptum contritionis perfecta obliget per se in articulo mortis?*

Resp. Affirmativè; quamvis etiam habeatur copia Confessarii, & quis confiteatur: non, quòd attritio non sit sufficiens cum Sacramento, etiam pro rone ad gratiam recipiendam, sed, ut Deus super Omnia ametur, dolendo, etiam de offensa ipsi facta, ut est summum bonum: & alii possibiles defectus, potentes Sacramentum reddere invalidum, si fortitales inadvertenter, vel occultè intervenissent, suppleantur per contritionem, ita quis suam salutem assecuret. *Gobst. tract. 6. num. 138. cas. 7. Illung. tract. 3. num. 72. vide supra cap. 1. num. 12.*

CAPUT XXXV.

Prop. LVIII. ab Innoc. XI. &c.
Absolutio Sacramentalis.

1. Prop. 58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alienius consuetudinem.

Authr propositionis fuit Joannes Sancius in *select. disp. 9.* contra quem est decretum Innoc. & DD. communiter affirmantes non posse Confessarium absolutionem indispositis impendere. Super quo ipse se certiorare non potest, nisi sibi interroganti penitentes teneantur respondere.

De absolutione itaque Sacramentali licet, & validè à Confessariis penitentibus impendenda, occasione thes. præactæ agendum est, ut ipsæam, quibus neganda est, non impendant, quibus concedenda, non negent, & quibus differenda, videant.

2. Nota 1. quod Confessarius in Tribunali penitentia triplex munus exercet, *Judicis, Medici, & Doctoris*; Officium Doctoris exercet instruendo penitentes de necessariis ad suscipiendum Sacramentum, & salutem. Illud Judicis, cognoscendo in causa, interrogando reum, & ferendo sententiam absolutionis. Et illud Medici, dum penitentia medicinales, & præservativas imponit, datque remedia pro tollenda occasione proxima, &c. & consilia præbet, quæ conducunt ad emendationem vitæ in futurum. Legas textum in *cap. omnis de penitent. & remis.* Idè jus habet interrogandi penitentem, ut, videat, quorum ignoran-

tia laboret, quorum instructione egeat, & an aliquid desit ex necessariis ad validè in causa pronunciandum, ac sibi satisfaciatur de dispositione penitentis, an sit absolutionis capax, ergo penitens teneatur respondere, & sine injuria Confessarii non potest negare, nec debet interrogationem eludere, ac, dum Confessarius petit, an habet consuetudinem peccandi, v. g. fornicandi, pejurandi, &c. respondere. *Pater, hoc non spectat ad rem, quidquid sit de hoc, jam spero cum gratia Dei cavere lapsus in posterum; ut malè dixit Poncius curs. Theol. disp. 45. qu. 3. conc. 4. num. 32.*

3. Item, quod forma Sacramenti penitentia sunt verba, quæ Confessarius profert, ex definitione Trid. *sess. 14. cap. 3.* ubi hæc sunt; docet præterea *S. Synodus Sacramenti penitentia formam, in qua præcipue ipse vis sita est, in illis Ministris verbis positam esse, ego te absolvo, &c. quibus quidem de Ecclesia Sancta more præces quadam laudabiliter adjunguntur: ad ipsum tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsum Sacramenti administrationem sunt necessaria.*

4. Sed quaeritur, *quam ex his, ego te absolvo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen, pertineant ad essentiam formæ; & sint necessaria ad valorem Sacramenti?*

Resp. Quamvis Doctores inter se pugnent, & alii scripserint, hæc à peccatis tuis, esse solum necessaria necessitate præcepti, & ad essentiam formæ non spectare, ac sufficere tradant ista *absolvo te*; tamen negari non potest major probabilitas sententiæ dicentium, verba illa à peccatis tuis spectare quoque ad essentiam

sentiam formæ. Nam ea est plurimum opinio; & colligi videtur ex Trid. cit. per clausulam, & cetera, quam non apponeret, nisi ad substantiam formæ exigere, etiam à peccatis tuis. Maxime, quia illa verba *absolvo te*, etiam, quando proferuntur in confessionali, sunt indifferentia ad absolutionem à peccatis, & censuris: ergo, ut significant determinatè absolutionem à peccatis, debent determinari per hæc, *à peccatis tuis*. Tutior itaque est sententia, quod ista etiam sint necessaria. Qui ea omittit, exponit Sacramentum probabili periculo nullitatis, ergo nunquam omitti debent, quia, dum agitur de valore Sacramentorum, semper sunt tutiora sequenda, juxta dicta capit. 1. Gobat. experien. Theol. tract. 7. cas. 4. num. 149.

5. Sed quid, si Confessarius hac relinquat; in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen?

Resp. Sacramentum conficit, quia non sunt essentialia, ex Marchant. Hort. Past. Candelabr. myst. tract. 5. lect. 10. Ubi tradit esse essentialia in baptismo, quia in baptismo fit professio peculiaris fidei, SS. Trinitatis. Sed si esset necessitas omittitur, mortaliter peccaret. Idem dixit Felix examen Confess. Quem admodum mortaliter delinqueret, si ex contemptu, vel cum scandalo penitentium, omitterentur preces, *miseretur, &c. Dominus, &c. Passio, &c.* quæ ex consuetudine Ecclesiæ adjunguntur. Sum. Leandr. verb. absolut. num. 1.

6. Quæritur, an sit de essentia absolutionis, ut detur per verba formalia, voce, & ore prolata?

Resp. Affirmativè, habetur ex Florent.

in decret. union. ubi dicitur: *forma verborum Sacramenti sunt verba absolutionis, quæ Sacerdos profert, cum dicit, ego te absolvo, &c.* Quæ ad sensum improprium non debent extorqueri, sed de verbis propriè dictis intelligenda.

7. Sed quæritur, an si quis esset in extrema vita periculo constitutus, nec adisset Sacerdos, nisi, qui loqui non valeret, possit à isto validè absolutionem recipere in scriptis, vel nutibus, aut verbis solum mente prolatis?

Resp. Negativè, contra Ponticum cit. disp. 46. quest. 2. num. 9. & Feliceum tom. 1. num. 3111. Sententia enim absolutionis per verba, propriè dicta, ore prolata, juxta Christi institutionem, & definitiones Conciliorum conferri debet: maxime etiam, quia forma Sacramenti debet esse sensibilis.

8. Sed quæritur, an absolutio à peccatis possit conferri absentis, qui per epistolam, vel Nuncium confiteretur?

Resp. Negativè, cum communitati Theologorum, ut expressè Clement VIII. in suo decreto edito 16. Junii 1602. in quo damnavit opinionem assertentium, licere per literas, seu internuncium Confessario absentis peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere. Et sub excommunicatione ipso facto incurtenda, Romano Pontifici reservata, prohibuit, ne ullus deinceps talem propositionem, tamquam in aliquo casu probabilem, defenderet, doceret, impingeret, aut ad praxim aliquo modo deduceret.

9. Quæritur, quid requiratur, ex parte Ministri, ut validè absolvat?

Resp. Necesse est: 1. Ut sit Sacerdos, seu habeat potestatem Ordinis. 2. Ut habeat

habeat potestatem jurisdictionis, seu jus in subditos ad exercendam potestatem absolvendi, quam ex vi Ordinis habet. 3. Ut sciat formam, & eam ore proferat, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. Quolibet ex his deficiente, absolutio est invalida; & ubi penitens noverit defectum, tenebitur eadem peccata confiteri alteri Sacerdoti, qui habeat omnia, & singula enunciata.

10. Sed quaeritur, an valide absolvat Sacerdos ab Epi copo approbatus, sed nondum habens jurisdictionem?

Resp. Negative; vide dicta lib. 1. cap. 9. num. 2. & num. 11. discrimen inter jurisdictionem ordinariam, & delegatam. Ut ordinaria illa sit, quae competit ei, qui ex suo officio habet administrare Sacramentum penitentiae, ut Pontifex in toto orbe, Episcopus in sua Diocesi, Parochus in sua Parochia, Generalis in sua Religione, & Provincialis in sua Provincia, quoad suos subditos. Delegata verò illa, quae obtinetur ad habentem potestatem concedendi licentiam audiendi confessiones. Er est in Regularibus, & aliis Confessariis, non Parochis, approbatis.

11. Sed quaeritur, Episcopus ordinat Petrum in Sacerdotem, sed statim post consecrationem Calicis apoplexia desicit, interim Petrus cum aliis discedit; in via invenit hominem in extreme vita periculo constitutum, qui Confessarium petit, alius non est, Petrus eum audit, & absolvit, petitur, an valide?

Resp. Putarent aliqui posse, quia est Sacerdos, & in eo articulo quilibet, etiam non approbatus, in approbati defectum Matthaei Cautela Confess.

absolvere potest. Trid. sess. 14. cap. 7. de cas. reservat. & cit. lib. & num. 14.

Sed negandum est. Et observandum, quod ordinatus in Presbyterum, duplicem potestatem Ordinis recipit; primam in Corpus Christi physicum, in ordine ad consecrandum panem, & vinum, in Corpus, & Sanguinem Christi: secundam, in Corpus Christi mysticum, hoc est, erga Fideles, ad ipsos absolvendum; in casu autem Petrus, propter subitam Episcopi mortem, secundam potestatem Ordinis non recipit; ideo in nullo casu potest absolvere. Vide Poncium disp. 48. q. 3. n. 18. Felicem ex am. ordinand. 10. 3. num. 170. & lib. 4. cap. 7.

12. Quaeritur, quid in Sacerdote necessarium sit, ut licite absolvat?

Resp. Ad absolvendum licite (necessariis ad valide in eo suppositis) requiritur, ut sit in gratia. Trid. sess. 14. c. 7. & can. 10. ut minimum antequam absolvat, ne sacrilegium absolvendo committat. Quilici Confess. manud. q. 2. art. unic. n. 2.

13. Sed quaeritur, an administrans in mortali, tot mortalia committat, quot penitentes absolvit?

Resp. Affirmative, quia tot Sacramenta conficit, quot sunt penitentes, quos absolvit.

14. Sed quaeritur, an prater statum gratiae, ut licite absolvat exigatur in Confessario, etiam scienti?

Resp. Affirmative, debet habere scientiam, quam vocant discretionis, ut sciat discernere inter lepraem, & lepraem, Praecipue haec scire tenetur, ut sit idoneus Minister: 1. Differentiam mortalis, & venialis in singulis peccatis, saltem, quae communiter reputantur mortalia, & venia-

(Eece)

venia-

venialia. 2. Species, numerum, & circumstantias peccatorum. 3. Quanam peccata habeant annexam reservationem, & censuram. 4. Quanam habeant annexum debitum restituendi reu, vel famam. 5. Quæ spectant ad materiam, & formam hujus Sacramenti. 6. Quæ dispositio sit necessaria in penitente, tam ex parte doloris, quam propositi, ac examinis. 7. Quæ sit occasio proxima peccandi. 8. Quanam credenda necessitate mediæ, & præcepti. In difficilioribus sufficit, ut sciat dubitare; & si sit periculum errandi, libros & doctiores consulat.

Quorum ratio est, quia in hoc tribunali Confessarius est Judex, Doctor, & Medicus: ut Medicus tenetur scire infirmitates, ut eis remedia apta adhibeat: ut Doctor ea, super quibus debet ignorantes instruere: & ut Judex alia, quæ necessaria sunt, ne in ferenda sententia erret.

Hinc sequitur, Sacerdotem cognoscentem, vel debentem cognoscere, suæ scientiæ insufficientiam, peccare mortaliter, si extra casum necessitatis Confessiones excipiat, quia exponit se periculo faciendi Sacramentum nullum. Quod validè ministrat, est per accidens. Unde peccat toties, quoties confessiones audit, committens tot sacrilegia, quot penitentes absoluit; & si propter ignorantiam eos à debito restitutionis deobliget, tenetur ipse restituere, & ad damna, quæ sequuntur, quia est causa injusta damni in proximo. Ponc. disp. 46. quest. 11. num. 151.

Propterea Confessarii propter obligationem, quam habent, non otio vacent, sed moralis Theologiæ studio incum-

bant, sæpè Bullam Cænæ, confit. Clementis X. *Superna*, in ea parte, quæ tangit Sacramenti penitentiae administrationem, edictum S. Officii, propositio in materia morum damnatas, legant, ponderent, & memoriæ retineant.

15. Sed quæritur, an penitent, qui, data opera, ad Confessarium ignorans in rebus ad Confessionem spectantibus accedit, validè confiteatur, & absolvatur?

Resp. Negativè; non quia scientia in Confessario sit necessaria ad validitatem absolutionis: sed quia ipse, sic accedens, peccat mortaliter, cum præsumatur accedere, ne Confessarius ob ignorantiam peccata intelligat: & non intelligens, non præscribat, quæ necessariò præscribenda essent; & ira indispositus est, ac peccato, etiam Confessarii cooperatus. DD. communiter.

Dixi data opera, quia, si bona fide accedat, & ex parte sua nil ad validitatem committat, remanet absolutus. *Campian. p. 1. instr. ad Conf. c. 3. num. 16. Anton. à Sp. Salsito rr. 5. disp. 7. sect. 2. n. 1413.*

16. Quæritur, an Confessarius excommunicatus validè absolvat?

Resp. Sed prius nota: quod alii sunt excommunicati vitandi, & non tolerandi, & alii non vitandi, ac tolerandi. Illi dicuntur omnes, qui publicè, & nominatim fuerunt depuncti excommunicati: nec non ille, qui est publicus, & notorius Clerici percussor, sic, ut nulla possit eversio fatione celari: isti omni jurisdictione privantur, & vitari debent, juxta *Constitutionem. Canonem ad evitanda apud Piassec. prax. par. 2. cap. 4. art. 13. num. 22. à Martino V. approbatum, teste Cabellut. prax. jur. can. lib. 5. cap. 11. num. 3.*

„ Ad evitanda , inquit , scandala , &
 „ multa pericula , quæ conscientis ti-
 „ moratis contingere possunt , Christi
 „ fidelibus , tenore præsentium , mise-
 „ ricorditer indulgemus , quod nemo
 „ deinceps à Communione alicujus , Sa-
 „ cramentorum administratione , vel
 „ receptione , aut aliis quibuscumque
 „ divinis , intus & extra , prætextu cujus-
 „ cumque sententiæ , tenetur abstinere ,
 „ vel aliquem vitare , &c. nisi censura ,
 „ vel sententia hujusmodi fuerit illata
 „ contra personam , Collegium , &c.
 „ vel locum certum , aut certam , à Ju-
 „ dice publicata , vel denunciata , specia-
 „ liter , & expressè , &c. salvo , si quem
 „ pro sacrilega manuum injectione in
 „ Clericum , sententiam latam in Cano-
 „ ne , adeò notoriè constiterit incidisse ,
 „ quod factum nulla possit tergiver-
 „ satione celari , nec aliquo suffragio ex-
 „ cusari ; nam à communione illius ,
 „ licet denunciatus non fuerit , volumus
 „ abstinere , juxta Canonicas Sanctio-
 „ nes , &c.

Juxta quæ dicimus , quod , si excom-
 municatus fuerit denunciatus , vel publi-
 cus Clerici percussor , invalidè absolvit ,
 utpotè jurisdictione privatus , juxta di-
 cenda lib. 4. cap. 5.

17. Sed quid , si penitens id invincibiliter
 ignoraret ?

Resp. Etiam invalidè absolvitur , ratio
 est ; quia non ignorantia penitentis , sed
 Superioris Autoritas jurisdictionem
 tribuit.

Nec mea videri hinc potest applicari
 doctrina , quod error communis cum ti-
 tulo colorato , vel putativo à legitimo Su-
 periore collato , dat jurisdictionem , de

qua diximus lib. 1. cap. 9. n. 16. quia quam-
 vis in isto possit esse titulus à legitimo
 Superiore collatus , ut , vel Parochia , vel
 licentia audiendi Confessiones : tamen
 communis error non habetur , quia apud
 multos est manifestum , iptum esse ex-
 communicatum.

18. Sed quid , si sit excommunicatus , non
 denunciatus , & toleratus ?

Resp. Si penitens excommunicatio-
 nem ignoravit , validè absolvitur : quia , ex
 quo ignoret excommunicationem , acce-
 dendo non ponit obicem pro absolutio-
 ne , (si cætera non desint ,) & Confessa-
 rius , ex quo non sit excommunicatus de-
 denunciatus , vel Clerici percussor , non pri-
 vatur jurisdictione , juxta alleg. const.

19. Sed quid , si excommunicationem
 Confessarius non ignoret ?

Resp. Si cum causa , necessitate , vel
 utilitate ab ipso petat absolutionem ,
 validè absolvitur : invalidè verò , si sine
 causa ; ratio est , quia excommunicatis
 toleratis non conceditur ad cujuslibet
 requisitionem administratio Sacramen-
 torum , sed solum , dum justa causa fue-
 rint requisiti ; aliàs illud idem possent
 post incarsam excommunicationem ,
 quod poterant ante ; quod indecens
 apparet , cum id cedat in contemptum
 censuræ.

Itaque , ut non peccet mortaliter pæ-
 nitens , requirens talem Confessarium
 excommunicatum , toleratum , pro abso-
 lutione , ejusque sacrilegio non coopere-
 tur , necesse est , ut ex justa causa ipsum re-
 quirat ; & ut Confessarius mortaliter
 non delinquat , exigitur , ut , nisi requisitus ,
 se ingerat sacro Ministerio ; immò , nec
 etiam requisitus , absque justa causa , uti-

(Eeee) 2 litate,

litare, aut necessitate: quæ non debet esse extrema, sed sufficit communis. Engel. colleg. jur. canon. lib. 5. tit. 39. §. 2. num. 64. & 68. Vide etiam Campion. cit. cap. 12. num. 9.

20. Nota, denunciationem non esse de substantia excommunicationis; quia excommunicatio secum trahit executionem, cap. Pastoralis §. verum de appellat. Hinc sequitur, excommunicatum, etiam non denunciatum, teneri se divinis non ingere, nisi, & quatenus iusta de causa fuerit requisitus: etiam si de excommunicatione dubitet, ex cap. Illud de excommunic. minist. quia in dubiis via tutior eligenda est: tutius autem est abstinere, etiam si quis de excommunicatione dubitet, ut ibi Text. expressè.

21. Queritur, an Confessarius proferens formam absolutionis possit conditionem addere?

Resp. Videas dicta cap. 18. num. 16. & nota ibi dicta.

22. Queritur, Petrus obtinuit literas parentes, cum facultate excipiendi confessionem ad annum: petitur, an expleto anno, priusquam litera prorogentur, validè absolvat?

Resp. Negativè, quia, dum taxatur tempus, quo debet durare collata jurisdictio per clausulam presentibus ad annum valituris: eo elapso & ipsa cessat: ideo ex defectu jurisdictionis invalidè absolvit.

Felix in casu num. 3269 tradit, Sacerdotem graviter peccare absolvendo, validam tamen esse absolutionem datam, etiam anno elapso; & movetur, quia concurrunt necessaria, ut Ecclesia suppleat, conferendo jurisdictionem: ut, bonum commune ad favorem Fidelium,

nè innumeri pereant; & titulus parvus, vel coloratus, quia Sacerdos ad annum jurisdictionem accepit; ac communis error, cum communiter ignoretur, quod annus sit completus. Verum talium supponit, titulum nimirum, quem in casu non invenio; nam jurisdictionem accepit pro anno, non ultra, ergo post annum jurisdictio non est. Quemadmodum, si Sacerdos communiter creditur Confessarius, & nunquam jurisdictionem accepisset, invalidè absolveret, quia à legitimo Superiore titulum nunquam habuisset, ergo, qui ad annum accipit, & non ultra, post annum titulum non habet, quantumvis ignoretur, quod annus expletus sit: ergo post annum invalidè absolvit.

23. Queritur, in litteris patentibus, quibus Eminen. Urbis Vicarius facultatem impertitur Regulari Sacerdoti audiendi confessiones, proponitur clausula: ut, quoties ad Confessiones infirmorum, in eorum propriis domibus audiendas accesserit, statim ibi fidem auditæ Confessionis, proprio Parocho, & Medico supervenientibus, sub pena suspensionis ab audiendis Confessionibus, donec iterum examinatus, novam à nobis in scriptis licentiam obtinueris, dimittere tenearis: petitur, an, si quis oblivisceretur fidem relinquere, suspensionem incurreret?

Resp. Crederem esse negandum, si inculpabiliter, propter inadvertentiam, vel distractionem naturalem id testari omitteret. Ratio eadem videretur, ac probans ignorantiam excusare à Censuris, per DD. communiter juxta tenet in cap. Animarum de cons. 6. ubi hæc legi-

legimus : ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis, legari nolumus ignorantes : dum tamen rerum ignorantia crassa non fuerit, & supina. Et in cap. si vero in 2. do sent. excom. ubi hæc sunt : si vero aliquis in Clericum nutrientem comam manus iniecerit violentas, propter hoc non debet Apostolico presentari conspectui : nec etiam excommunicatione notari, dummodo ipsum esse Clericum ignoraverit. Et in c. Apostolica de Cler. excom. ministr. Sed inadvertentia, & distractio naturalis, qua quis nunc non recordatur, aut mens eius abstracta non advertit, æquivaleret ignorantia inculpabili ; & de sic omittente non potest dici, quod voluntariè omittat, vel, quod sit contumax formaliter, & legi inobediens, ergo. Et hæc verisimiliter præsumitur esse mens Legislatoris. Vide Cabasut. lib. 5. cap. 13. Felicem num. 4332. aliosque.

24. Queritur, an in foro Sacramentali prius à censuris, quam à peccatis penitens absolvendus sit ?

Resp. Sed pro responsione advertendum est ex communi DD. Confessarium, qui caret potestate ordinaria, vel delegata absolvendi ab excommunicatione reservata, etiam in casu necessitatis, non posse ab ea absolvere, nisi necessitas sit extrema, propter periculum mortis ; in quo quisvis Sacerdos potest absolvere, non modò à peccato, verum etiam ab excommunicatione reservata, juxta lib. 1. c. 8. num. 15. & cap. 33. n. 46.

Quibus suppositis, ad quæsitum dicimus I. Quod, si excommunicatio sit publica, absolutio ab ipsa debet præcedere absolutioem à peccatis : nam scanda-

lum non esset, si penitens non confiteretur, aut non communicaret, sed potius si communicaret, & confiteretur.

II. Quod, si excommunicatio sit occulta, regulariter, & per se loquendo, absolutio ab ipsa debet præmitti absolutioem à peccatis, ut penitens capax sit recipiendæ absolutionis ab istis.

25. Dixi regulariter, & per se loquendo, quia per accidens potest obtineri valida absolutio à peccatis, non obtenta illa à censuris : ut, si censura ignoretur : vel, si sit reservata, & non sit Confessarius cum facultate super illa, atque necessitas sit communicandi, & confitendi, ita ut sine scandalo, & nota infamiae non possit Confessio, & Communio omitti. Ratio est : lex jejunii, & audiendi Missam non obligat, cum jejunari, & Missa audiri non potest sine gravi damno ; ergo, nec lex, quod absolutio excommunicationis occultæ præmittatur absolutioem à peccatis, obligat, dum vel cum scandalo, & nota infamiae omittenda esset perceptio Eucharistiæ, vel ista percipienda foret sine absolutione Sacramentali. Omnes enim, & quod jejunetur in vigilia S. Matthæi, & audiat Missa die Festo, ac, absolutioem à peccatis præmittatur absolutioem à censuris, sunt leges Ecclesiasticæ.

Confirmatur. Lex Divina de Confessione materialiter, & formaliter integra, non obligat in circumstantia, in qua quis propter grave damnum imminens, est impotens physicè, vel moraliter ad Confessionem integram materialiter, sed tunc sufficit, ut Confessio sit formaliter integra juxta communem DD. & per dicenda cap. sequen. ergo etiam lex, quod

(Eccc) 3 ablo-

absolutioni à peccatis præmittatur illa ab excommunicatione reservata, occultata, non obligat in circumstantia, in qua non adest Confessarius facultate præditus, & Confessio sine nota infamiae, & scandalo omitti non potest. Consequentia sequitur, quia est præmittenda solum ex obligatione legis humanæ, ergo in aliquo casu, non ficto, sed reali necessitatis, non libertatis, licite accipitur absolutio à peccatis, non recepta illa à censuris occultis. Vide Illung. tract. 6. disp. 6. quest. 4. art. 8. §. 1. nu. 137. Joan. De la Cruz, de excom. art. 2. num. 6. Gobat. tract. 7. cas. 3. num. 168. aliosque allegatos lib. 1. cap. 33. num. 45. & infra cap. sequen.

26. Queritur, an possit absolvi moribundus, qui quædam signa doloris peccatorum dedit, vel Confessarium petiit, super quo homines fide digni testantur, sed ob defectum loquelæ, præsentem Confessario, nullum peccatum in particulari potest confiteri?

Resp. Affirmativè, ex cap. Is qui in infirmitate 26. quest. 6. Immo debet, ut habet Rituale Rom. tit. de ordin. ministrandi Sacrament. Pœnit. verba sunt:

„ Si inter confitendum, vel etiam, antequam incipiat confiteri, vox, & loquela ægro deficiat, nutibus, & signis quoad fieri poterit, peccata pœnitentis conetur cognoscere: quibus, utcumque, vel in genere, vel in specie cognitis: vel etiam, si confitendi desiderium, sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus. Idem dixit Arausic. pri. can. 12. apud Bail. sum. Conc. ubi subito obmutescens, prout statutum est, baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimoni-

„ monium aliorum verbis habet aut præsentis in suo nutu. Ratio est. Quia tunc salvatur materia proxima, & remota Sacramenti, prout necessitas permittit, et pœnitens illis sensibiliter declarat, & excuset in genere se peccasse, & simul ostendat peccatorum dolorem in ordine ad absolutionem. Quæ est sententia magis pia, & utilis præfatis moribundis, ut DD. communiter. Quinimmo Confessarius ex lege charitatis, ut observat Suarez, obligatur in tanto de ægroti salute periculo absolutionem conferre, saltem sub conditione, si es dispositus: sub qua etiam danda esset, si dubitaret, an signa procederent ab acerbitate morbi, an verò data essent ad exprimendum dolorem de peccatis, & in ordine ad absolutionem, quia conditio vitat irreverentiam Sacramenti: & aliunde in ea necessitate adhibetur egentibus remedium, in futurum in remissionem peccatorum, eo modo, quo tunc est possibile.

Nota, Confessarium totum in eo debere esse, et taliter infirmi signa doloris adhibeant in ordine ad absolutionem. Propterea interrogare debet, an de peccatis, & se Deum summum bonum offendisse doleant: an proponant non peccare amplius: an velint à peccatis absolvi, &c. Et dum, vel manum ipsius strimunt, vel capite, aut oculis annuunt, vel Crucem Æosculantur &c. censere debet dari in ordine ad Confessionem.

27. Dices, Confessio debet esse coram Confessario, sed Confessio facta ab infirmo vocante Confessarium, vel optante Confessionem (super quo adstantes testantur) non est facta coram Confessario, sed in absentia Confessi-

rii : consequenter contra decretum Clement. VIII. qui damnavit : *licere per literas , vel internuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri , & ab eodem absente , absolutionem obtinere.*

Resp. Negando Confessionem eo modo ab infirmo factam comprehendi sub decreto Clement. Nam non fit in absentia Sacerdotis , cum adstantes sint , veluti inter pres moribundi : quos ille , ut tales eligit , ut ejus voluntatem , accedenti Confessario exponant , & per eos officium Judicis implorat.

Nec moribundus debet à Confessario absente absolvi , sed dum absolvit , præsens esse debet. Formam enim absolutionis : *ego te absolvo* , denotat , tam Sacerdotem , quam Pœnitentem debere esse præsentes. Immo in præsentia pœnitentis , & Confessarii testes debent deponere. Quod non est confiteri per nuntium , aut literas , absenti Confessario directis.

28. Sed quaeritur , *an Confessio debeat esse vocalis ?*

Resp. Affirmativè , per se loquendo , sed per accidens esse potest non vocalis : sed per literas nunquam. Vide infra num. 32.

29. Sed quid , *si nulla signa praecesserint peccata Confessionis , aut doloris , nec in presentia testium infirmus Confessorem vocaverit , nec in ea Sacerdotis possit illa edere ?*

Resp. Homobonus , Tambur. cum Felice num. 3108. absolutionem , saltem sub conditione , dandam esse tradunt ; maxime , si Christi no more vixerit , quia vita , more boni Christiani acta , habet rationem signi , manifestantis desiderium absolutionis ; cum verisimile sit eum , qui in vita bene usus est Sacramentis , ea in

articulo mortis petere , & recipere velle. Cui ex lege charitatis in eo extremo periculo succurrere debemus modo possibili , & tutiorem viam sequi.

Du-hamel verò *dissert. 3. cap. 5. à n. 4. Ilfung , cit. n. 144. Cabasut. lib. 3. cap. 11. num. 10.* & alii plures negant ; ratio est , quia forma absolutionis applicari nequit nisi , ubi materia clavibus sensibilibus exponitur , sed tunc nulla , nec explicitè , neque implicitè clavibus exponitur ; nam , nec contritionis signum sensibile , nec Sacerdotis postulatio praecessit. Et eo , vel maxime , quod nullus Judex potest , vel contra , aut in favorem rei sententiam pronunciare , nisi accusatio aliqua explicita , vel per signa sensibilia praecedat , ergo &c. Propter posteriorem sententiam , ut probabiliorè , & tutiorem sequimur , & magis conformem dictis supra *capit. primo.*

30. Nec rationes pro altera adductae urgent. Periculum hominis moribundi non dat Sacerdoti jus , ut Sacramentum praeter Christi institutionem administret : alias omnia essent licita ; & posset , etiam baptismus in vino ministrari , si necessitas aliqua urgeret , & aqua naturalis deesset : quod nullus Catholicus dixerit.

Neque vita praeterita ritè & optime instituta est sufficiens pro valida absolutione , cum ad istam exigatur signum externum , sensibile , quo pœnitens activè manifestet , saltem in genere , sua peccata , & desiderium , ac intentionem absolutionis : alias non se ipsum accusat de peccatis ; sed vita praeterita illius non est signum , quo id activè manifestet : quia in eo solum passivè se habet , & patitur ,
ut

ut homines ex illa in cognitionem de-
fiderii conjecturaliter veniant, & cōfetur-
rant. Quo modo sæpè contra nostram
voluntatem ex actionibus nostris exter-
nis patimur iudicia hominum de inter-
nis. Præsertim quia, si sufficiens signum
ab Ecclesia præsumeretur, frustra pro
absolutione Sacramentali moribundi
Rituale exigeret aliud: ut, vel, quod
ipse Sacerdos viderit, vel quod aliis te-
stentur.

31. Queritur, quibus sit neganda, &
quibus differenda absolutio?

Resp. Iudicium super hoc relinquitur
prudentiæ Confessarii juxta occurrentes
circumstantias. Sed neganda est indis-
positis: & accedentibus, non præmisso
examine conscientiæ, & cum obice pec-
cati: cum ignorantia mysteriorum, quæ
sunt necessaria necessitate mediæ, juxta
dicta supra cap. 14. & dicenda infra cap.
ult. cum voluntate non parata, & ne-
gligentia addiscendi necessaria necessi-
tate præcepti: cum debito restituendi,
& non restituentibus, dum restituere
valent. Item, existentibus in occasione
proxima peccandi juxta dicenda cap. 38.
non habentibus propositum non pec-
candi, nec contritionem, vel attritio-
nem de peccatis; nec volentibus obe-
dire Confessario præscribenti remedia,
ne relabantur. Item, casu aliquo, vel
excommunicatione reservata ligatis,
dum facultate Confessarius caret. Item,
cum nulla est spes emendationis, & si-
milibus: in quibus nulla sit injuria pæ-
nitenti.

Differenda verò est illis, qui, licet cum
proposito, dolore, & cæteris necessariis
ad validam absolutionem accedant, ha-

beat tamen consuetudinem peccandi la-
thaliter. Cum consuetudo, & frequentia
lapis sit argumentum, ex quo Confessa-
rius possit prudenter dubitare de vero
proposito Pœnitentis; idcirco ei est ali-
gnandum aliquod tempus pro experi-
mento veri propositi emendationis, ut
sic Confessarius iudicium moraliter cer-
tum de certa illius dispositione efformare
possit; & maxime procedit, si alius emen-
dationem promiserit, & nulla sit, nec ap-
pareat, de qua re cap. sequen.

Ponderent Confessarii, scientesque ab-
solutions inconsideratè, & nimia facil-
itate indignis collatas, nutrire Pœni-
tentes in peccatis. Qui, si interrogan-
tibus Confessariis ad effectum videndi,
an eis neganda, vel differenda sit abso-
lutio, respondeat recusant; absolventi
non sunt.

32. Queritur, an sit valida absolutio
data pœnitenti, qui extra casum necessitatis
potens ore suo peccata singulatum in Confessione
aperire, tradit Confessario præsentem in scri-
ptis suam Confessionem, ab eo legendam?

Resp. Affirmat Poncius cir. num. 48. cum
Leandro, modò, vel immediate ante lec-
turam pœnitens dicat: *accuso me de pec-
catis, quæ legis in illa charta*; vel immedi-
tè post lecturam, subdat: *accuso me de
omnibus illis peccatis, quæ legisti in ea scrip-
tura*. Idem Arsdekin. tom. 2. pag. 231. af-
firmat in casu, quo puella pudore nequeat
confiteri peccatum; ratio eorum est,
quia tunc implent præceptum Confessio-
nis vocalis, dum voce fatentur peccata
scripta esse sua.

Sed graviter esse illicitam, adeoque
invalidam extra necessitatis casum, di-
cimus cum Maltrio *disq. 21. quest. 7.*

num. 168. allegante Fabrum, & Brancarum; quos sequitur Felix num. 3157. asserentes adesse præceptum divinum Confessionis vocalis, nec excusare erubescientiam, sed solam impotentiam, ut in ræutis, aut moribundis, usu linguæ privatis. Habetur ex cap. quem penitet, de penit. dist. 1. ubi hæc sunt: præcipit Dominus mandandis, ut ostenderent ora Sacerdotibus, docens corporali præsentia confitenda peccata, non per Nuntium, non per scriptum manifestanda. Dixit enim (ora monstrate) Et ex Florent. in Decreto union. annuente inter partes materiales Sacramenti. Pœnitentiæ oris Confessionem. Quæ regulariter, per se loquendo, semper debet esse vocalis, nisi impotentia aliqua naturalis loquendi excuset.

Maximè, quia affirmativa sententia occasionem affert non paucis, ut nunquam, aut rarò vocaliter confiteantur; nam semper possent præsumere suam vecundiam esse tantam, ad se reputandos excusatos à Confessione vocali.

33. Sed quid, an valeat Confessio illius, qui Confessario scienti penitentis peccatum, dicit, me accuso de peccato illo, quod tu scis me heri commississe?

Resp. Negativè, quia ex Trid. sess. 6. cap. cit. ad integritatem Confessionis necesse est confiteri omnia, & singula peccata, quæ, examine præmissq. memoriae occurrunt, secundum speciem, numerum, & circumstantias; unde cum quis potest aperire speciem peccati, debet; Felix cit. num. 3458.

34. Quæritur, an sicut non est valida absolutio à peccatis data absenti, sic nec valida sit illa data à censuris?

Resp. Negativè, nam absolutio à censuris Matthæucci Castela Confess.

luris potest etiam dari absenti, & per literas, Nuncium, aut alio facto, quo exprimeretur intentio absolvendi; pro ut patet ex rescriptis, & Bullis Pontificum ad aliquos directis; in quibus formula est eos absolvere à censuris, quoad effectum &c. ratio est, quia excommunicatio est pœna Ecclesiastica, quæ etiam absenti infligi potest, ergo etiam remitti. Hinc sequitur Confessarium, qui pœnitentem absolvit à peccatis, quibus est conjuncta censura, à qua absolvere non poterat, deinceps poterit, obtenta de novo facultate, eundem, etiam absentem, ab illa excommunicatione relaxare. Layman. lib. 1. cit. cap. 6. num. 9. Cabasut. prax. lib. 5. cap. 14. num. 7. Du-hamel tom. 3. disert. 3. de conf. num. 10.

35. Quæritur, an Confessarius Ordinarius possit absolvere recipientes munera à Regularibus contra decreta Clement. VIII.

Resp. Vide dicta lib. 1. cap. 33. in fine.

36. Sed quæritur, an possit absolvere vendentem terram pro sepultura?

Resp. Negativè, si terra illa sit Sacra, & Religiosa, existens vel in Cæmeterio, vel Ecclesia, aut in ea aliàs quis sepultus sit: id enim, prohibetur c. Abolenda de Simonia tamquam Simoniacum: ut optimè ibi Gloss. in verb. Sepultura, & D. Thom. 2. 2. quest. 100. art. 4. ad 3. Nulli igitur vendendæ sunt Sepulturae, nec alteri tradendæ, aut in pactum deducendæ, per quod transferatur dominium, & concedantur in jus, & proprietatem; sed solum concedi in eis debet jus fabricandi & sepeliendi, salvis juribus Parochialibus. Nil potest exigi: verum, si aliq. id spontè, vel juxta consuetudinem laudabilem detur, potest recipi.

(F f f)

recipi, quia multa inhonestè petuntur, quæ honestè recipiuntur, juxta *allegat. Glos. & cap. de Eulogis dist. 18.* Idem dicitur, dum conceduntur Cappellæ, in quas conceditur non jus proprietatis, sed solum jus fabricandi, & ornandi. Quod non est alienare bona Ecclesiæ, prohibitum *cap. Ambitiose de reb. Eccles. non alienan. inter com.* sed potiùs Ecclesiæ acquirere. De qua re dixi *Official. Cur. tom. 1. cap. 11. num. 16.* Neque hic potest applicari distinctio ponderata supra *cap. 26. num. 24.* de rebus annexis spiritualibus anteedenter, quia lex Canonica resistit, sicut resistit, ne vendantur, & emantur Ecclesiæ, *cap. Querelam de Simonia.*

37. Quæritur, an Confessarius Ordinaris possit absolvere Pœnitentem Beneficiatum qui Beneficiatum acquisivit per Simoniam, ab ejus Consanguineis, ipso ignorante, commissam?

Resp. Negativè, nisi post notitiam ipsum dimiserit, vel à Sacra Pœnitentiaria dispensationem ad retinendum obtinuerit. Lege *const. Innoc. XI. Incipit. Romanus Pontifex: edit. super facult. Majoris Pœnitentiaris: ubi hæc sũnt, at scilicet (Simoniam) contracta fuisset ignoranter, etiam ignorantia juris inculpata, possit major Pœnitentiaris in occultis, & in Foro conscientie tantum dispensare, & Beneficiorum post Simoniam obrentorum titulos convalidare. Modò Orator de eadem Simonia certior factus, quam primum commodè potuerit, petierit dispensationem. Vide *cap. cit.**

38. Quæritur, Pœnitens perit à Confessario, an licitus sit usus medicamenti seu pulveris Sympathetici, cujus auctor fuit Paracelsus: quid à Confessario dicendum?

Resp. Debet ipsum instruere non posse eo pulveris tuta conscientia ad curationem uti, ab eo que ut superstitioso debere abstinere, ita Frassen. *Philosoph. tom. 2. de caus. efficien. art. 3. qu. 2. conc. 1. obj. 1.* Cum sanatio, non virtute naturali pulveris, sed arte Dæmonis contingat, ut dicunt Doctores medici Lovanienses, & Duarenses apud Garciam *tom. 2. cit. Philosoph. dist. 2. q. 7. art. 3. § 3. num. 262.* Ratio est apud Dinam. *coord. 10. §. tract. 10. resolut. 109. num. 3.* quia, dato etiam spirituum, & corpusculorum effluxu, & fluxu, cum aer sit plenus corpusculis omnino diversis, non potest intelligi quomodò spiritus sanguinis recerent, & vegetati spiritibus vitrioli redeant liberè ad hominem vulneratum distentem, nec ab aliis spiritibus occurrentibus extinguntur, & impediuntur; aut non impediatur sphaera activitatis ejusdem pulveris panno lineo applicati, & contactus virtualis ejusdem per varia objecta interposita, & per multos parietes, in quibus panni linei, quibus remedium applicatur, clausi detinentur; sicut per medium interpositum impeditur magnes, ne attrahat ferrum, & sol, ne liquefaciat ceram. Tum quia Torpedo non stupescit manuum piscatoris, nisi reti conjunctam. Atque ita sanatio non est ab unguento, ut causa, sed ut signo, quo posito, ex vi pacti taciti cum Dæmone ininitas sequitur. Unde vir probata vitæ, cui pulvis ille offerebatur ad medelam, respondit: *mede se, Deo jubente, mori, quam, Diabolo jure, vivere.*

Nonnulli excusant utentes eo pulvere, si sincera voluntate profectionem aliquam præmittant, nolle se effectum

consequi, si ex aliquo pacto cum Dæmone virtus, & sanatio proveniat. Ceterum, ut ait Mayol. *sum. tom. 1. exposit. prim. præcepti quæst. nunc. art. 2. §. 8.* hoc non procedit, quando certò constat, aut probabilissimum est actum esse superstitiosum, seu rem esse prorsus vanam, & inutilem, ad talem effectum, ut in casu nostro videtur certum; tunc enim malitia superstitionis intervenit; & protestatio non prodest, cum sit contraria factò. Quinimò quando applicaretur, ad expectandum effectum, & adhiberetur, ut habens vim ad talem effectum interveniret superstitio, & factum protestationi contrarium esset. Proinde ea etiam protestatione præmissa abstinendum est ab applicatione eorum, de quibus dubitatur, an virtutem naturalem habeant, ut ibidem allegatus Mayol. & diximus *lib. 1. cap. 4. num. 11.*

CAPUT XXXVI.

Prop. LIX. ab Innoc. XI. &c.
Confessio dimidiata.

1. PROP 59. Licet Sacramentaliter absolvere dimidiatè tantum Confessos, ratione magni concursus penitentium, qualis v. g. potest contingere in die magna alicujus festivitatis, aut Indulgentiæ.

Propositio tribuitur Marchantio Tribuni. *Sacram. tom. 1. tract. 2. tit. 7. quæst. 2.* ut refert Cardenas, *disert. 38. cap. 1. n. 5.* Contra quam emanavit decretum Innoc. Nobis, ejusdem occasione, agendum hic erit de causis excusantibus ab integritate materiali Confessionis. Quam dupliciter integram esse posse diximus

lib. 1. cap. 7. num. 3. materialiter scilicet, & formaliter. Materialiter integra censetur, cum, præmissò examine, omnia peccata in Confessione Sacramentali exprimuntur, quæ quis ex præcepto Christi exprimere tenetur: Est verò formaliter integra, cum penitens, præmissa discussione conscientie, ob aliquod impedimentum, vel inculpabilem oblivionem, aliquod peccatum omittit: vel omnia dicit, quæ hic, & nunc potest, cum animo dicendi aliqua suo tempore, & cum dolore universalis de omnibus, de illis etiam, quæ omittit.

2. Quæritur, an Confessio materialiter integra sit sub præcepto?

Resp. Affirmativè, per se loquendo. Ita, qui post discussionem conscientie, omnium peccatorum recordatur, tenetur per se loquendo, omnia, & singula, sive diversa secundum speciem, & circumstantias, sive plura secundum numerum, quæ nunquam confessus est, aperire Confessario. Dixi per se loquendo, quia per accidens, vel propter inculpabilem oblivionem, aut impedimentum physicum, vel morale contingere potest, quod hic, & nunc omnia non narret, nec narrare possit; quo casu Confessio est solum integra formaliter, & non materialiter. Utroque autem modo integra est, dum post discussionem conscientie, & cum dolore formali, & universalis omnium peccatorum, penitens in Confessione exponit omnia, & singula peccata, tam quoad speciem, & numerum, quam quoad circumstantias, speciem mutantés, & aggravantes notabiliter. *Legè Trid. sess. 14. cap. 5.*

(FFF) 2

3. Quæ-

3. Quæritur, an dentur cause excusantes ab integritate materiali Confessionis, sic, ut ad validitatem absolutionis sufficiat sola integritas formalis?

Resp. Affirmativè, sic DD. communiser, afferentes per accidens, aliquando licitè dimidiari Confessionem, cum nimirum datur justa, gravis, & rationalis causa.

4. Sed quæritur, quænam sint cause seu casus, in quibus quis excusatur ab integritate materiali Confessionis?

Resp. Plures DD. assignant, alios propter impotentiam physicam penitentis, & alios propter impotentiam moralem: ex quibus aliquos subnectimus.

I. Propter impotentiam physicam, excusatur infirmus in mortis articulo constitutus, qui ob infirmitatem, qua usu linguæ privatur, non potest ore confiteri, sed solum, vel expressè Sacramentum penitentiae petit, vel implicite, per signa doloris de peccatis exhibita.

II. Qui incipiam Confessionem propter gravitatem morbi perficere non potest, & nisi, uno, vel altero peccato narrato, absolvatur, periculum est, ne morte præventus sine absolutione decedat.

III. In mortis imminente periculo, aut incendio, naufragio, periculoso conflictu, ruina, &c. Es tunc potest Sacerdos, audito à singulis uno peccato, omnes simul absolvere, dicendo: *Ego absolvo vos, &c.* Layman, lib. 5. tract. 6. cap. 3. num. 10. Cabanis, lib. 3. cap. 11. Du-hamel, Felix, Antonius à Spiritu Sancto, & alii.

IV. Dum mutus, vel vir valdè balbu-

tientis linguæ, signis confitentur eo modo, quo possunt.

V. Dum, qui, morali adhibita diligentia, & debito examine præmissi, inculpabiliter alicujus peccati obliviscuntur.

5. Propter impotentiam moralem excusantur:

I. Puella, quæ rationabiliter, & non levi fundamento timet à Confessario sollicitari, si peccatum carnis ei in Confessione aperiat. Fundamentum judicandū esset nota malitia, & proclivitas Confessarii ad Venerem.

II. Si certò prævideretur, Confessarius violatus sigillum, propter quod grave malum in bonis vitæ, honoris, & fortunæ irammineret. Sed hæc duo pericula non debent ita facile fingi. Quilici qu. 3. art. 1. num. 15.

III. Necessitas servandi sigillum Confessionis alienæ: ut, si Confessarius, qui audivit Confessionem alterius, non possit sine violatione peccatum suum confiteri.

6. In his casibus licet dimidiare Confessionem, sed tria debent concurrere.

I. Ut alius Confessarius haberi non possit, nec Confessio differri.

II. Si malum, quod prudenter timetur, certum sit, & indebitum, ac extrinsecum Confessionis, Propterea non est satis timor, quod Confessarius timeat penitentem pro peccatore; nec damnum, quod penitens timet subire ex sibi imponenda à Confessario obligatione restituendi, famam, vel rem furto ablatam; quia primum non est extrinsecum Confessionis: nec secundum
ind

indebitum, sed obligationi integritatis anaexum.

III. Quod Pœnitens proponat omnia confiteri, cessante periculo.

7. Sed quaeritur, *urget necessitas, ut Sacerdos celebret, vel Laicus communicet, non adest alius Confessarius, quam cum ordinaria jurisdictione sine facultate super reservata; petitur, an possint licite dimidiare Confessionem, & confiteri solum non reservata, omissis reservatis, quorum etiam sunt rei?*

Resp. Negativè, sed debent eidem, tam reservata, quam non reservata confiteri: præceptum enim de integra Confessione per se obligat, non modò ad eam formaliter, verum etiam ad materialiter integram. Omitto, quod confiteri omnia, pertinet ad dignitatem Sacramenti Eucharistiae. Dixi per se, quia per accidens propter impotentiam physicam vel moralem, à materiali quis excusari potest ex dictis.

Verùm dâmnnum, aut infamiam, quæ certò imminet, debet prudenter timeri ex Confessione: ex Confessione autem reservati, infamia, aut scandalum non timetur, sed ex omissione celebrationis, aut Communionis, ergo non habetur causa, excusans ab integritate materiali Confessionis, sed debent aperiri tam non reservata, quam reservata. Et ita ab omnibus absolvuntur: directè à non reservatis: indirectè à reservatis: & ita non dimidiatur Confessio.

8. Sed quaeritur, *de quo peccato verificatur esse directè absolutum, & de quo indirectè?*

Resp. Illud dicitur directè absolutum esse, quod cum dolore, &c. exponitur Confessario, habenti legitimam facultatem in illud: illud verò indirectè, quatenus absolvitur ratione concomitantiae cum peccato directè absoluto. Quod solet contingere.

I. In peccatis inculpabiliter oblitis: habet Petrus tria peccata, confitetur duo, obliviscitur tertio: non, quia examen sufficiens non præmiserit, sed, quia non recordatur: absolvitur à tertio indirectè, ex vi absolutionis, directè cadentis super duo explicitè Confessa, cum non possit unum peccatum sine alio remitti; nam gratia sanctificans omnia expellit: habetur ex Trid. sess. & cap. cit. constat enim nihil aliud in Ecclesia à penitentibus exigi, quam, ut postquam quisque diligentius se excusserit, & conscientia sua sinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum, & Deum suum mortaliter offendisse meminerit: reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum, eadem Confessione inclusa esse intelliguntur. Sed onas habet confitendi oblita, cum ipsorum recordatur, ut ab eis directè absolvatur; aliàs novum peccatum committit.

II. Cùm, urgente necessitate celebrandi, vel communicandi, quis confitetur Confessario ordinario, tam non reservata, quam reservata, nam tunc à reservatis absolvitur, non directè, quia ea non cadunt sub jurisdictione Confessarii, cum ad ea facultatem non habeat, sed indirectè, ex vi absolutionis datæ à non reservatis, cum onere, ut postea accedat ad habentem facultatem super reservata, ut ab eis directè absolvatur; cui solum sufficit, ut confiteatur ipsa re-

servata, non verò alia: à quibus fuit directè absolutus.

9. Sed quid, si casus sit annexa excommunicatio reservata, & non est tempus obtinendi facultatem, nec differri potest Confessio propter grave scandalum, & infamiam?

Resp. Pariter tunc Confessarius potest absolvere directè à peccatis non reservatis, & indirectè à reservatis, sed à censura absolvere nullo modo potest (excipio articulum mortis), quia absolutio à peccatis est diversa ab absoluteione à censuris, exigens diversam jurisdictionem: ideo in casu penitens remanet à peccatis absolutus, à non reservatis directè, & indirectè à reservatis, sed censura ligatus.

Et ita à peccatis absolutus potest in circumstantia scandali, & infamiae licitè celebrare, aut communicare, quia est ex isto capite rectè dispositus; nam absolutio à peccatis, & infusio gratiae potest per accidens haberi, remanente censura: cum gratia non sit inconspicibilis cum censura: ut, si ex inculpabili ignorantia penitens censuram non confiteatur: vel Confessarius ex oblivione, aut aliter, solum à peccatis absolvat. Ergo etiam, si in casu urgentis necessitatis celebrandi, aut communicandi, penitens confiteatur Sacerdoti impotenti absolvere à censura reservata: quia lex Ecclesiastica censuram imponens, non praesumitur obligare cum tanto detrimto. Quo casu celebrans non fit irregularis. Felix tom. 3. nu. 291. lib. primo. sup. 33. num. 44.

10. Sed dices, ergo excommunicatio non privat usu, & perceptione Sacramentorum.

Resp. Negando consequentiam, per se loquendo; illis privat ex cap. cum illorum & cap. Si quis de sent. excom. Per accidens autem potest non privare, ut, cum sine scandalo, & infamia non potest celebratio, & communicatio omitti. Ecclesia enim per excommunicationem (si sit occulta) non intendit privare peccatorem bonis famae, vitae, & honoris, ut dicit Illung. tract. 6. disp. 6. quest. 4. ap. 2. 1. num. 137. Sed, si, cum urget necessitas celebrandi, & communicandi, & hoc non possunt sine infamia, & scandalo committi, non possent penitens confiteri, ut communicaret, propter defectum Sacerdotis potentis solum à peccatis absolvere, non verò ab excommunicatione reservata, privaret bonis, famae, & honoris, quandoquidem penitens non confitendo, & non communicando incurreret jacturam famae, & optimè estimatiois apud adstantes. Propter hoc De la Cruz de excom. art. 2. num. 6. dicit, quod excommunicatus occultus, in Confessione integrè, & cum dolore se accusans, in illis casibus reciperet Sacramentum, & gratiam, sed non reciperet de Indulgentiis: extra verò necessitatis casum nec communicare, aut celebrare posset, sed remaneret sacris privatus, licet antea.

Sed advertas: 1. Haec non vertitur in censura sit publica, quia potius foret scandalum, si celebraret, vel communicaret juxta dicta cap. prac. num. 23.

II. Debere Confessarium, absolventem à peccatis penitentem, censura reservata ligatum, priusquam absolvat, ab eo exigere promissionem, vel juramentum juxta dicta cit. lib. 6. 2. n. 13. de comparatione.

do per se, vel per alium, coram Superiore, quam primum potest, de stando mandatis Ecclesiæ, & satisfacienda parte, si censura lata est ob casum, quo fuerit pars læta: ut ab ipso recipiat absolutionem directè à casu, à quo fuit indirectè absolutus, & à censura, à qua absolutus nullo modo fuit.

11. Quæritur, pœnitens habet casum ignorans esse Reservatum, confitetur ipsum Confessario ordinario, tamquam si non foret reservatus, deinde intelligit esse Reservatum, quid post notitiam agendum est?

Resp. Si pœnitens aliud peccatum non exposuit, sed solum ignoratum reservatum, ab eo nec directè, nec indirectè absolvitur ex defectu jurisdictionis, & materiæ, super quam cadat absolutio directæ: bona fides ipsum excusat à sacrilegio, non verò, quin, ad præ notitia reservationis, debeat ipsum iterum exponere coram Confessario habente facultatem. Vide dicta lib. 1. c. 8. n. 11.

12. Quæritur, die Dominico ad lucrandam Indulgentiam frequens pœnitentium copia adit Templum S. Francisci, in quo non est nisi unicus Confessarius, qui, si velit omnium confessiones materialiter integras audire, plures erunt in necessitate discedendi inconfessi, & quin Indulgentiam lucentur, immò cum periculo non redeundi ad confessionem per multum tempus: petitur, an Confessarius possit ad satisfaciendum singulis, eorum Confessiones dimidiatas audire, imposito onere, quod postea redeant re-qua confessuri?

Resp. Negativè; nec circumstantia adjuncta de periculo non redeundi est causa sufficiens ad dimidiandam Confessionem, quæ semper verificatur, quod

dimidiatur Confessio propter concursum, & multitudinem pœnitentium, & ne ceteris desit occasio confitendi, quod non licere dixit Innoc. in suo decreto. Maxime, quia periculum non redeundi ad confessionem, oritur à prava ipsius pœnitentis voluntate, nullus autem dicitur, quod quis possit confessionem dimidiare propter suam depravaram voluntatem; aliàs plurimæ confessiones dimidiarentur, & sacrilegè, ac invalidè fierent: quia plures, & præsertim illi, quibus durum est occasiones peccandi relinquere, capta occasione, illis diebus ad Confessiones accederent, in quibus Confessarii non possent eos interrogare, & cognoscere, quomodo à tempore ultimæ confessionis se gesserint, an meliores, an deteriores facti fuerint, an peccandi occasiones effugerint, quandiu in peccato perstiterint, an propositum non peccandi habeant, &c.

13. Quæritur, an causa dimidiandi confessionem reputetur manifestatio complicitatis, cum scilicet non potest Pœnitens suum peccatum explicare, quin complicem manifestet; casus est: mulier peccat cum Sacerdote in loco, in quo alius Sacerdos non est, quam is, cum quo peccavit, & Parochus, qui, si illa significet se cum Sacerdote peccasse, in cognitionem complicitatis devenit?

Resp. Vide lib. 1. cap. 18. n. 25. Ubi diximus teneri pœnitentem ad confitendum tale peccatum, dum præceptum Confessionis, vel Communionis instat, & non adest alius Sacerdos, cui complex ignotus sit, (nam si adesset, teneretur illum Confessarium adire, atque ita consulere æstimationi complicitatis, & simul integritati materiali confessionis)

Est

Est sententia communior cum D. Bernar-
do cap. ult. de formul. honesta vita : de nullo
prorsus, ait, sinistre loquaris, quantumcumque
sit verum, vel honestum, nisi in confessione :
& hoc, ubi aliter non potes manifestare pec-
catum tuum. Et Durandus scripsit : ho-
mo in confessione debet famam alterius custo-
dire, quantum potest, suam tamen conscien-
tiam tenetur purgare, quantum debet. Ideo,
si nullum aliud grave damnum complici
immineat, quam sola notitia, & infamia
apud Confessarium, peccatum taceri
non potest. Cabasur. lib. 3. cap. 11. num.
3. Du-hamel de panit. disert. 3. cap. 5.
Felix tom. 1. num. 3110. Maltr. disput.
II. num. 185. Maximè, quia majoris
momenti bonum est conservare integri-
tatem Confessionis, à Christo Domino
præceptam, & necessariam ad valorem
Sacramenti, quam non infamare pro-
ximum apud solum Confessarium, sigil-
lo confessionis obstrictum ; si tamen
infametur, quod negamus per dicta
loco cit.

CAPUT XXXVII.

Prop. LX. ab Innoc. XI. &c.
Propositum emendationis.

1. Prop. 60. Penitenti, habenti consuetu-
dinem peccandi contra legem Dei, natu-
rae, aut Ecclesiae, et si emendationis spes nulla
appareat, nec est neganda, nec differenda abso-
lutio, dummodo ore proferat, se dolere, & pro-
ponere emendationem.

Quod habenti consuetudinem peccan-
di, ubi nulla spes emendationis appareat,
non sufficiat, ut ei non negetur, aut non
differatur absolutio à peccatis, quod ore

dicat, doleo, & propono in futurum à
peccatis abstinere, est certum ex decreto
Innoc. Juxta quod pro praxi non pauca
sunt resolvenda, respicientia peccatis
consuetudinariis patrata, dolorem ab eis
exhibitum, & propositum non peccatis
verbis expressum.

2. Quæritur, quid sit propositum, quid sit
promissio?

Resp. Propositum est voluntas facien-
di, aut non faciendo aliquid pro futuro.
promissio autem est voluntas se obligan-
di alteri ad aliquid faciendum, vel omitt-
endum. Prout latè DD. ubi agunt de
voto. De quo lib. 3. cap. ult.

Hinc observa: 1. Quod promissio in-
volvit propositum: quia nunquam fit
promissio vera, quin sit voluntas facien-
di, vel non faciendo, quod promittitur,
aliàs, si promitteres sine animo facien-
di, mendax esses, & peccares contra verita-
tatem: voluntas autem faciendo aliquid
non includit promissionem, seu volunta-
tem se obligandi.

2. Quod, qui promittit aliquid facere,
& simul habet animum faciendo, non
mentitur, quia contra mentem non lo-
quitur; sed, si postea non implet, peccat
contra fidelitatem, & datam fidem.

Ex quibus sequitur, penitentem, qui
ore dicit se habere propositum, & volun-
tatem amplius non peccandi, si volunta-
tem illam non habet, falsum dicere, &
mentiri; nam verba menti non respon-
dent, cum ipse cognoscit se ea volunta-
te carere, quam verbis habere affirmat;
consequenter mortaliter peccat, & facta
confessionem sacrilegam: de quo se-
culari debet in sequenti.

3. Quæ-

3. Quæritur, in quo consistat consuetudo peccandi?

Resp. DD. non concordant. Anton. à Sp. Sancto *tr. 5. de penit. disp. 3. sect. 3. n. 129.* duplicem consuetudinem distinxit, proximam, & remotam; hanc dixit illam esse, quæ fundatur in habitu ex actibus pravis acquisito, ad actus consimiles inclinante; illam verò, in intrinseca fragilitate hominis. Cardenas *disfert. 37. cap. 2. num. 8.* tradit ad consuetudinem concurrere multitudinem actuum, & habitum per consuetudinem acquisitum, ipsamque peccatorum multitudinem esse consuetudinem peccandi: post quem id docuit. Felix *tom. 1. exam. num. 3663.* Frequens itaque reincidentia in idem peccatum, seu repetitio præteritorum peccatorum est peccandi consuetudo. Idque ex eo patet, quod de eo dicitur habere peccandi consuetudinem, qui in idem frequenter relabitur, non verò de habente præcisè habitum ex pravis actibus genitum; nam justificatus potest talem habitum habere, & de ipso non verificari, quod habeat consuetudinem peccandi, nisi eadem peccata repetat, & frequentet.

Unde consuetudinarii illi reputantur, qui in eadem peccata frequenter relabuntur, & ipsa frequentant. Quod si in ipsa relabuntur ex habitu acquisito, quem non velint actibus contrariis extenuare: vel, quia nolunt occasionem proximam relinquere, cum possint, dicuntur peccare ex malitia; & ex passione, dum ex propria infirmitate, & fragilitate eadem peccata repetunt: sed non contendas de nomine.

4. Sed quæritur, quot actus requiruntur, Martineaucci *Cautela Confess.*

ut quis dicatur assuetus, vel ex consuetudine peccare?

Resp. Alii duos exigunt, alii tres, & quidam quinque requirunt, ut Carena *de offic. Inquisit. p. 2. tit. 7. §. num. 20.* Sed tu in praxi pondera frequentiam lapsus, tempus, à quo penitens non est confessus, quoties eadem Confessario exposuerit: & juxta occurrentes circumstantias prudenter resolvas.

5. Quæritur, an consuetudo, & occasio proxima peccandi sint diversa?

Resp. Affirmandum videtur. Nam occasio proxima dicit circumstantiam extrinsecam, vel impulsam ab extrinseco proveniente, ex dicendis cap. sequen. Consuetudo autem peccandi sive in habitu radicata, sive ex fragilitate oriatur, ab extrinseco non provenit, quia, tam habitus, quam fragilitas sunt peccanti intrinseca. Verum possunt in eodem conjungi, & idem existens in occasione proxima peccandi, potest eadem peccata repetere, de quo sequen. cap.

6. Quæritur, an ad validam absolutionem requiratur in penitente propositum, seu voluntas non peccandi?

Resp. Affirmativè, prout expressè Trid. *sess. 14. cap. 4.* ubi hæc sunt. *Contritio, quæ primum locum inter dictos penitentis actus habet, animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de casero; & infra: declarat igitur Sancta Synodus hanc contritionem non solum cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odium continere.*

7. Sed quæritur, an propositum non peccandi

(Gggg)

candi

candi debeat esse formale, & expressum, an sufficiat virtuale, & implicitum?

Resp. Formale, & expressum optimum est. Hinc rectè agunt Confessarii exigendo illud à penitentibus, & quatenus renuant expressè proponere vitam emendare, & peccata vitare, absolvi non possunt. Verum per se, & necessariò non requiritur expressum, sed sufficit virtuale, & implicitum; quod virtualiter continetur in vera detestatione, & dolore peccatorum ex motivo supernaturali, & universalì: sic, qui verè dolet de peccatis ad effectum justificationis, & non cogitat actu, propter inadvertentiam, de emendatione vitæ, & peccatis vitandis, censetur virtualiter, & implicitè proponere peccata vitare, & emendare vitam; quod expressè proponeret, si ad id reflecteret: aliàs non verè, & ex animo doleret de peccatis commissis: cum impossibile sit, ut quis sincero animo doleat efficaciter de peccatis, ut sunt offensa Dei, quin implicitum saltem, habeat non peccandi propositum; aliàs per unum actum nollet offensam gravem Dei, & per alium illam vellent, quæ sunt contradictoria, DD. communiter. Layman. lib. 5. tract. 6. cap. 4. num. 6. Du-hamel rom. 3. de panit. disert. 2. cap. 1. num. 4.

Et deducitur ex verbis Trid. ubi supra describentis contitionem, in quibus dolor in recto importatur, est animi dolor &c. propositum verò in obliquo, & tamquam dolori annexum cum proposito &c. per quæ satis insinuat magis requiri dolorem, & detestationem formalem, quam formale propositum.

§. Sed quæritur, an propositum debeat

esse ita efficace, ut extendatur non modo ad ipsa peccata, verum etiam ad vitandos occasus proximas, & consuetudines peccandi?

Resp. Affirmativè, ratio est, quia, qui efficaciter vult vitare peccata, vult etiam removere omnia, quæ sunt peccatorum occasiones, & adhibere omnem diligentiam, quæ necessaria est ad evitanda media, & illicita, quæ ad peccandum conducunt.

9. Quæritur, an Confessarius tenetur credere penitenti assentente habere verum propositum non peccandi?

Resp. Negativè, nisi circumstantiæ sint tales, ut possit illi prudenter assentiri: sæpe enim concurrunt conjecturæ, & præsumptiones, in quibus Confessarius prudenter dubitat de vero penitentis proposito, & dolore, quo casu certè non potest ipsum absolvere, sed debet absolutionem differre, ipsumque per aliquod tempus experiri, an verè non peccandi propositum habeat, nè se exponat periculo peccandi, faciendum ritum Sacramentum, absolvens cum dubio de dispositione penitentis, quod extra casum necessitatis non licet: & nec tunc, nisi sub conditione: si es dispositus. Hinc advertas, tunc solum standum esse confessioni penitentis pro se, & contra se, cum in contrarium aliquid rationabiliter non occurrit. Quilicij quest. 12. art. 2. à num. 3.

10. Sed quæritur, quænam sint circumstantiæ, ex quibus Confessarius possit prudenter colligere infirmum, & non sincerum propositum penitentis?

Resp. Variæ possunt occurrere, quarum judicium in praxi relinquatur prudentiæ Confessoris: exemplum pono in

Cajo, habente consuetudinem luxurians, & assueto ad se frequenter polluendum: saepe is confitetur, & in eadem peccata frequenter relabitur: quis ei, asserenti se habere verum non peccandi, & emendationis propositum, fidem prudenter dabit: cum impossibile sit, moraliter loquendo, hominem saepe confiteri, & ex animo, ac sincerè proponere non peccare, & semper in eadem relabi, nulumque asserre emendationis signum? Præsumptio est in oppositum.

Præsumendum itaque est, eum, qui ita confitetur, & post repetitas confessiones, sic relabitur, non habere efficac propositum non peccandi, propterea est differenda absolutio, & per aliquod tempus experiendus, nec absolvens quoad usque in totum, vel competenter emendatus redeat.

Idem practicandum cum otiosis, profluentibus quotidie ludum, ebrietatem, crapulam, amorem inhonestum, blasphemias, verba inhonesta, murruratioes, detractiones, &c. quia, quamvis emendam proponant, Confessarius tamen verisimiliter putat eos in eadem peccata relapsuros.

11. Queritur, an differenda etiam sit mulieribus, superflue, & vane se ornantibus?

Resp. Affirmativè, dum ornatus est mortaliter peccaminosus: nec eis promittentibus illum deponere, credendum.

12. Sed queritur, quando talis reputatur?

Resp. Quando se ornant ob finem mortaliter peccaminosum; cum scilicet assumitur intentione, ut videntes provocentur ad libidinem, & inhonestum

amorem, aliisque placeant, quam suis viris.

II. Quando ornatus ex fine operis, seu ex se, vel ex hominum acceptione ad libidinem provocat.

III. Quando in se ornando violant, vel sunt causa, ut alii violent præcepta Dei, vel Ecclesie: ut, si laborent, vel laborare faciant diebus festis, vel in eis omittant, aut omittere faciant audire Sacrum.

IV. Si casent marito sumptus supra vires, propter ornatum excedentem honestam conditionem sui status.

V. Si verisimiliter præsumant, ornatum præbere familie occasionem blasphemiarum, & lucrorum illicitorum.

VI. Si propterea, legata pia, vel debita non solvantur.

VII. Si operarii fraudentur debita mercede. In his circumstantiis usus pomparum, & vanus ornatus est peccatum mortale, nec absolvenda sunt mulieres, nisi se corrigant: alias erit veniale, si nimirum ex vanitate, vel levitate assumatur. *Campion. 2. p. instruct. cap. 36. num. 31.*

VIII. Regula pro præxi generalis sit. Et Confessarius ponderet: 1. Quod, ut statim penitens absolvi possit, non sufficit ipsum esse rectè dispositum coram Deo, sed necessarium etiam, ut ipse Confessarius, qui absolvere debet, sibi satisfaciatur de recta dispositione penitentis, per iudicium moraliter certum, prudenter iudicando de vero ipsius proposito, & dolore, ad conferendam absolutionem necessariis.

2. Item: Quod, dum ex aliquo capite, aut circumstantia constat, aut prudenter

(Gggg) 2

degener

denter timeretur penitentem non esse sufficienter dispositum, & in eadem peccata relapsurum, nec ex animo, sed ore dumtaxat dolere, & emendationem proponere, quantumvis dicat se dolere, & propositum habere, non est ei credendum, nec absolvendus est statim, sed in aliquod tempus est absolutio differenda, ut Confessarius ita melius de futura emendatione, & præsenti ipsius propositum se certificet, juxta communem Doctorum sententiam cum Carena, ubi supra §. 19. num. 104. contra Joannem Sancium.

13. *Quaritur, quomodo se gerere debeat Confessarius cum penitente, qui repetita juramenta in confessione affert, & de præteritis dolere, ac propositum abstinendi in futurum dixerit habere?*

Resp. Ex eo deducere debet eum habere consuetudinem jurandi. Quo casu inspiciendum est, an sit assuetus jurare indifferenter, tam verum, quam falsum: & tunc est certum peccare, quoties jurat, quia quamvis juret verum, id tamen est per accidens, cum se exponat periculo pejerandi; & se accusare debet de ipsa consuetudine cognita, hoc est, quod advertens se habere consuetudinem jurandi, quidquid in buccam venit, & sine examine veritatis jurat, nec diligentiam adhibuit, ut eam à se tolleret; quod est distinctum peccatum ab juramentis. Et quamvis pro prima vice posset absolvi, dum proponeret illam à se tollere, & spes emendationis appareret, tamen tutissimum esset, eum per aliquos dies de veritate propositi experiri.

14. *Sed quid, si propter consuetudinem non adverteret, quando juraret?*

Resp. Tunc juramenta sunt peccata, non in se, quia, dum jurat, non advertit se jurare (quamvis debeat advertere) sed in causa, in ipsa nimirum consuetudine jurandi sine advertentia: quam retinendo peccat, sicut concubinaris retinendo concubinam; teneturque confiteri ipsam, dicendo: laboro tam inveterata consuetudine pejerandi inadvertenter, ut, si offerretur in die dæmonis, vel vicies occasio, ea consuetudine abuterer; nec absolvi debet, nisi post experimentum de veritate propositi.

Cæterum, dum proponit eam extirpare, & totus in eo est, ac diligentiam revera adhibet, ut à se eam tollat, si postea inadvertenter rursus pejerat, non videtur in hoc formaliter delinquere: quia perjurium in casu, in se formaliter non est peccatum, quia sine advertentia prolatum: nec in causa, quia consuetudinem in penitentia retractavit, & cum effectu fecit, quod potuit, ut eam à se tolleret, & periculum vitaret, Gobat. tract. 7. cas. 8. num. 536. Summa Leandri. verb. consuetudo num. 6.

15. *Sed quid, si consuetudinem habet jurandi scienter verum, ita ut nunquam jureret, nisi prius examinaret, an res esset vera, & justa, an falsa?*

Resp. In casu videtur non peccare. Sed cum communi nota, & pro præxi observanda, quod consuetudo jurandi, quæ incipit cum advertentia jurandi semper verum, paulatim, laxata conscientia, solet crescere sic, ut exponat hominem periculo pejerandi. Quemadmodum discurritur de consuetudine maledicendi, seu dicendi verba execratoria (quæ communis solet esse famulo iracundis)

Hæc

Hæc solet incipere repetitione eorum verborum sine desiderio damni ore prolata, sed paulatim solget crescere ex laxitate conscientia; ita ut constituat peccatorem in periculo proximo maledicendi ex animo. Et de consuetudine detrahendi, quæ licet incipiat circa levia, crescere solet usque ad periculum detractionum gravium. Propterea Confessarius totus esse debet in eis evellendis, & quatenus penitentes nolint acceptare media in remedium adhibenda, vel recepta non impleant, incapaces absolutionis reputantur.

16. Quæritur, an qui confitetur aliquod veniale, debeat habere propositum illud iterum non committendi?

Resp. Affirmativè; ratio est, ut remittatur veniale, requiritur, ut quis efficaciter de illo doleat, sed in dolore efficaci virtualiter includitur propositum, ergo debet habere propositum vitandi venialia, quæ confitetur: alias nec de illis doleret.

17. Sed quæritur, quam sit differentia inter propositum requisitum ad remissionem peccati mortalis, & necessarium ad remissionem venialis?

Resp. Hæc est. I. Quod, sicut homo non potest justificari cum affectu actuali, aut habituali non retractato, ad peccatum mortale, si nec, nisi habeat voluntatem excludentem efficaciter omnem talem affectum; sed non excluditur omnis affectus ad mortale, nisi cum proposito non admittendi ea in futurum, ergo. E contra verò, potest homo justificari, uno peccato veniali remisso, & non remisso altero, quia gratia sanctificans cum peccato veniali non est impossibilis,

ergo dolor, & propositum circa unum veniale, ad aliud non est necesse, ut extendatur.

II. Quod ad remissionem mortalium requiritur propositum vitandi omnia, non tantum in sensu diviso, verum etiam in sensu colectivo, ita ut voluntas sit, non tantum singula, verum etiam omnia simul cum Dei gratia vitare; ad remissionem verò omnium venialium, sufficit propositum vitandi singula in sensu diviso (nam nullum determinatè designari potest, quod voluntas cum Dei gratia vitare non valeat) quod si potest in sensu diviso vitare, potest habere propositum vitandi: non verò requiritur propositum vitandi omnia collectivè, ita ut omnia sit vitatura, hoc enim sine specialissimo auxilio Dei est moraliter impossibile, ut communiter docent Theologi. Vide Layman. cit. num. 19. & 20. & lege Trid. sess. 6. cap. 11. de justificat.

III. Sed nota venialia esse triplicis generis. Quædam sunt venialia ex genere, quorum materia non sufficit ad mortale, etiamsi deliberatè cum plena advertentia, seu iudicio de malitia objecti, & expedito interiorum sensuum usu committantur, ut mendacia jocosa, &c. Alia venialia ex defectu, & parvitate materia, ut furtum unius quadrantis. Licet enim materia furti secundum speciem sufficeret ad mortale, parvitas tamen in illa specie à mortali excusat. Alia tandem sunt venialia ex imperfecta deliberatione, & non plena advertentia de malitia objecti, vel existentia legis, & præcepti: quæ solent dici venialia ex subreptione, & in omni materia possunt contingere. Ad ista collectivè vitanda,

(Gggg) 3 spe-

specialissima Dei gratia est opus, sed cætera possunt cum auxiliis ordinariis gratiæ vitari.

18. Sed queritur, an, qui unico actu vellet omnia venialia committere, peccaret mortaliter?

Resp. Negativè, per se loquendo, bene verò per accidens, ratione nimirum periculi, cui se exponeret peccandi mortaliter; quia venialia, præsertim commissa ex voluntate determinata, nisi disponunt ad mortale. Quilici ex Sanchez qu. 5. art. unic. num. 9. Facit illud Eccles. 10. qui spernit modica, paulatim decidet. Mastrius disput. 15. num. 50. & Felix tom. 1. num. 3725.

19. Hæc distinctio per se, & per accidens, est à Confessario ponderanda. Nam plura, quæ per se, & ex genere suo non sunt mortalia, fiunt talia per accidens, & ratione alterius. Exemplum: avaritia per se non est mortale ex dictis supra cap. 28. num. 44. sed per se est veniale, cum sit volitio inordinata habendi divitias, & fit mortale per accidens, si ad eas acquirendas applicentur media illicita, vel omitantur ea, ad quæ quis tenetur ex præcepto, iustitia, vel charitate. Prodigalitas etiam, quæ excedit in dando, & deficit in retinendo, per se est veniale, & fit mortale per accidens, si nimirum prodigando quis se in tali statu ponat, ut non possit alere familiam sibi commissam, solvere debita, &c. Item, ambitio, quæ est inordinatus appetitus honoris, de se est veniale, & fit mortale per accidens: ut, dum appetitur cum damno proximi, vel ad consequendum applicantur media illicita. Item vana gloria, quæ est immoderatus appetitus laudis, de se est

veniale, & fit mortale per accidens: ut, dum quis vult laudari de opere mortaliter malo. Ita tandem, quæ est inordinata volitio vindictæ: ex parte modici scindi (etiam dum appetitur iusta castigatio) est veniale, si quis interius nimis exardescat, & exterius plura signa ite patefaciat, & fit mortale per accidens, addendo blasphemias, maledictiones, aut ob scandalum. Vide loco cit. & lib. 2. cap. 17. num. 3. 13. & ult. doctrinam huiusmodi utilem.

CAPUT XXXVIII.

Prop. I. LXI. LXII. LXIII. ab Innoc. XI. &c.

Occasio proxima peccandi.

1. Prop. 61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere; quoniam directe, aut ex proposito querit, aut ei se ingerit.

Prop. 2. proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut benevola non fugienda occurrit.

Prop. 63. Licetum est querere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

Propter connexionem, & identitatem materię, quam allatæ propositiones inter se habent, ipsas sub uno comprehendimus titulo, & sub ea plura Confessariis utilia discutimus, ad effectum, ut, quid in Tribunali Sacramentali agendum sit cum existentibus in occasione proxima peccandi, non ignorent.

2. Queritur, quomplex est occasio peccandi?

Resp. Duplex remota, & proxima; remota

remota est illa, qua proximè non inducit ad peccatum: seu, qua, attentis circumstantiis, non est frequenter coniuncta cum peccato; proxima verò illa est, in qua quis positus, sæpè sapius, & frequenter experitur se peccare. Poncius disp. 45. quest. 4. Cardenas dissert. 40. cap. 2.

Sed nota I. Quòd eadem occasio, v.g. conversatio cum muliere, quæ juveni ad venerem proclivi est occasio proxima, seni, vel juveni timorato, qui peccata carnis abhorret, erit remota.

II. Quòd frequentia peccati est intelligenda, etiam relativè: v.g. Petrus semel in anno accedit Viterbium ad nundinas, semper cum domina hospitii peccat, est occasio proxima relativa ad tale tempus, & locum, absolutè tollenda.

III. Quòd occasio proxima, licet sit frequentior in peccatis carnis, in aliis etiam in aeternis potest contingere, ut in materia ludij detractionis, &c.

IV. Quòd occasio proxima peccandi duo dicit, circumstantiam extrinsecam, & periculum formale proximum peccandi: non sola circumstantia extrinseca, nec solum periculum proximum est occasio proxima peccandi: non circumstantia extrinseca sola, quia, quod homo habitat in eadem domo, vel conversetur cum femina, non sufficit, ut sit occasio proxima peccandi; cum multi homines, & feminae ita habitent, & conversentur sine tali occasione; nec solum periculum proximum peccandi: patet in eo, qui ex propria fragilitate intrinseca habet diuturnam consuetudinem se poluendi: in quo sine extrinseca occasione est periculum proximum peccandi, ortum, vel à propria fragilitate, vel habi-

tu per consuetudinem acquisito, inclinante ad continuanda ea peccata: utrumque itaque est necessarium, & circumstantia extrinseca, & periculum proximum peccandi.

3. Sed quaeritur, quid sit periculum proximum peccandi?

Resp. Est motivum inclinans ad futuritionem peccati. Quòd aliquando est certum, certitudine morali inferens peccati futuritionem: ut, cum vir prudens certò sibi persuadet peccatum esse eventurum: expertus est Petrus, quòd ingrediens domum talis faminae, peccatum committit, & ex hoc certò sibi persuadet se lapsurum in peccatum luxuriae, si illius domum adierit: tunc periculum est certum. Aliquando verò est probabile, ut, quando sunt rationes probabiles, quæ suadeant lapsum futurum: ut, cum quis timoratus, fragilis tamen, probabiliter censent in occasione exercendæ luxuriae, se esse à sua fragilitate vincendum contra timorem Dei. Sed, ut Doctores notant, est ponderandum, atque advertendum, quòd ubi fragilitas, & occasio absque timore Dei possent esse motivum persuadendi sibi certò futuritionem lapsus, adjuncto timore Dei, mediocriter sibi insito, qui ad vitandum peccatum inclinatur, reddunt motivum illud solum probabile.

Periculum peccandi dividitur in materiale, & formale, materiale, seu remotum, est ipsa occasio, aut circumstantia extrinseca, quæ provocat, & inclinatur ad peccatum; formale verò, & proximum est illud, quòd, consideratis circumstantiis intrinsecis, & extrinsecis, ita inclinatur, & movet ad peccandum, ut in persona
fini-

similis conditionis solet esse frequenter cum peccato conjunctum.

Periculum denique formale: aliud est extrinsecum, ortum ex extrinseca occasione: & aliud intrinsecum, quod oritur ex prava conditione ipsius hominis, ut propria fragilitate, aut habitu vitioso; & aliud mixtum, quod oritur ex utroque.

4. *Quæritur, quotuplex sit occasio proxima?*

Resp. Duplex voluntaria, & involuntaria: voluntaria est, quam quis potest repellere sine scandalo, & infamia dimittere, & deserere: involuntaria verò illa, quam quis absque infamia, & scandalo, vel aliàs, deserere non potest.

Pariter alia est occasio proxima, quæ secundum se inducit ad peccatum, ut est profiteri ludum alearum, ad hujusmodi ludos, vel meretricium habere domum conductam, tenere ad suam dispositionem personam, cum qua peccatur, perseverare in colloquiis, aspectu, & familiaritate inhonestis, cum faminis, vitis, &c.

Alia verò, quæ per se ad peccatum non inducit, sed solum ratione talis personæ, quæ in illis taliter assuevit peccare, ita ut Confessarius prudenter animadvertat ex malo habitu non derelicturum peccatum, si perseveret in tali occasione. Hujusmodi sunt mercatura, militia, Chirurgia, medicina, &c. Officium Judicis, Advocati, Procuratoris &c. Per plures similia rectissime exercentur; sed, aliis in peccato habituatis, sunt occasio furtorum, injusticiarum, odiorum, fraudum, mendaciorum, perjuriarum, & similia criminum.

5. *Quæritur, an absolvi possit, qui est in occasione proxima voluntaria peccandi mortaliter, antequam eam deserat, dum potest eam deserere?*

Resp. Negative, contra Joann. Sencium asserentem posse absolvi ter, ut quater, antequam realiter occasionem deserat, v. c. concubinam expellat, dummodò habeat dolorem de peccatis, & firmum propositum expellendi; tunc est, quia indispositus est, propter defectum veri doloris, & propositi; cum impossibile sit, aliquem verè dolere, & habere voluntatem non peccandi, & peccatum velle; sed qui non deserit occasionem proximam peccandi, quam potest deserere, peccatum vult, quia cum velit periculum proximum peccandi, peccat, juxta illud, qui amat periculum, peribit in illo; idè nec semel absolvi debet, antequam occasionem deleat. Vide dicta lib. I. cap. 30. num. 4.

6. *Quæritur, quomodo se gerere debeat Confessarius cum penitente, qui est in occasione proxima involuntaria peccandi, quam deserere non potest?*

Resp. Debet differre absolutionem, quoadusque videat certa signa veræ emendationis. Vide lib. I. cap. 27.

7. *Sed quid, si absolutio differri nequeat absque periculo notabilis infamiae, & scandali?*

Resp. Si periculum verum sit, reale, & non fictum, & cognoscatur penitens verè contritus, dispositus, & paratus acceptare remedia proponenda à Confessario, & diligentiam adhibere ad superandum periculum proximum formale peccandi: debet ei ad hunc finem aptiora proponere, ex dicendis infra, & absolvere.

Hinc revocandum memoriæ ex dictis, occasionem proximam peccandi per hæc duo constitui, circumstantiam extrinsecam, & periculum formale proximum peccandi, ortum ab extrinseco, vel ab intrinseco, ut à propria fragilitate, vel ab habitu vitioso, quibus resistere cum Dei gratia homo potest; & idè in potestate libera ipsius est facere, quòd occasio non sit proxima, nimirum, si periculo proximo resistit, ipsumque conetur evertere; cui, si non resistit, occasio, quamvis ei voluntaria non sit, quoad circumstantiam extrinsecam: quia v. g. non potest è domo ancillam eiicere, est tamen voluntaria, quoad periculum proximum peccandi.

Hinc regula generalis est, quòd quotiescumque homo advertit in aliqua occasione esse periculum formale peccandi mortaliter, & transgrediendi præceptum, tenetur fugere periculum uno è duobus modis, vel desererendo occasionem externam, cum id est in sua potestate: vel, si non sit, dissolvendo periculum formale peccandi per actus à se cum Dei gratia elicitos, & media à Confessario imposita.

8. Sed quaeritur, *quoniam sunt remedia à Confessario prescribenda penitenti, existenti in occasione proxima involuntaria peccandi, quibus possit periculum formale peccandi extenuare, evertere, & superare?*

Resp. Regulariter assignatur: ut non reperiat solus cum sola in loco ullo, in quo haberet occasionem proximam tantum illicitorum: ut non ostendat ei reciprocantiam amoris: ut maximè detestetur peccatum: ut à Deo orationibus gratiam postulet pro victoria periculi: *Matthæucci Cautela Confess.*

ut firmiter proponat periculum peccandi vitare, & occasionem deserere, cum poterit, & cessabit impotentia moralis: ut frequentet Conciones, & sæpius confiteatur eidem Confessario. Optimum est, cum aliqua penitentiæ præservativa adversus lapsum munire, ut optimè Quilici *Confess. manud. q. 9. art. 1. num. 4.* & Cardenas loco cit. & nos diximus *lib. cit. n. 2.*

Et ex his constat filiumfamilias, qui non potest ex domo expellere concubinam, debet extenuare periculum formale peccandi per media à Confessario injuncta. Quod, si hæc media non apponat, vel apponere nolit, ipse se exponit periculo formali peccandi, sicut te exponit, qui, cum possit, non vult occasionem externam deserere; nec debet absolvi, nisi ea remedia acceptet, & diligentiam adhibeat per ipsorum executionem ad extenuandum periculum formale.

9. Sed quid, *Petrus acceptavit remedia à Confessario proposita, sed sine fructu, nam semper in eadem peccata relabatur, & nulla in eo sequitur emendatio, periturus, an absolvi debeat, dum ad Confessionem redit?*

Resp. Negativè: nisi actu occasionem tollat, vel emendatus accedat; ratio est, quia illa peccatorum frequentia sine ulla emendatione sufficienter demonstrat dolorem, & propositum non fuisse efficacem, sed fictitium, & non reale. Rotarius *app. Theol. part. 1. cap. 10. sect. 2. n. 6.* Campion. *instr. ad Confess. part. 1. cap. 11. nu. 30.* Contra Ant. à Sp. San. *tract. 5. de penit. disp. 12. & 13.* ubi legendus cautè, quia nimis laxè loquitur.

10. Sed quid, *si penitens repetat: Pater, si me non absolvas, scandalum imminet,*
(Hh h h) nisi

nisi communicem: casus potest praesertim contingere in Moniali, qua est in occasione proxima peccandi, vel cum devoto, aut cum amica religiosa?

Resp. Lugo apud Rotarium censet absolvendam esse, durante eodem periculo damni, infamiae, & scandali. Sed haec sententia in praxi satis periculosa reputatur, & apta ad fovenda peccata.

Alii dixerunt, posse paenitentem in eo casu elicere actum contritionis perfectae, & cum ea communicare, quasi non haberet copiam Confessoris. Campionus par. 2. cap. 67. num. 58. Et quamvis prudenter loquatur cum restrictione, si cognoscat coram Deo habere propositum efficaciter vitandi peccatum, vel relinquendo occasionem proximam extrinsecam, vel extenuando periculum proximum peccandi per executionem receptorum remedium. Tamen istud etiam paenitentibus significare periculosum existimo; nam occasionem praebet existentibus in occasionibus proximis peccandi, saepe sacrilegè accedendi ad Sacram Communionem: sic discurrere possent: *scio me dolere de peccatis commissis, & propositum habere non peccandi, ac posse cum isto dolore, & proposito ad scandalum vitandum communicare* (nam reputor, quasi sum destitutus copia Confessoris) *ideo, si me non absolvas, adhuc communicabo.* Quis non videat periculum semel, & iterum communicandi sacrilegè, & quod plures fingentes propositum habere, semper inconfessi communicent, & nunquam occasionem dimittant. Verum huic copia Confessoris deesse non praesumitur: nam tunc deesse dicitur, cum vel nullus est praesens, vel est solùm Sacerdos non approbatus,

vel, qui non vult absolvere: non vero, cum approbatus propter paenitentis dispositionem absolvere nequit. Si sequatur scandalum, si non communitur, sibi imputet: excusationes familiariter volentibus peccare.

Ideo, si nulla in eo emendatio appareat, absolvi non debet, sed differendi absolutio, quoadusque emendationem competentem afferat per executionem remedium, habiliū ad vincendum periculum proximum peccandi.

Curet ergo Confessarius Monialem instruere: nullum damnum aequiparari posse damno animae, & nihil magis infame, quam esse turpe coram Deo: & se alia vice non esse concessurum, etiam in ea circumstantia scandali, absolutionem (suppono, quod aliās non sit confessus, & non promiserit occasionem tollere) nisi se corrigat, ut hinc animetur, postea quocumque humano respectu, ad restituendam occasionem.

Quae proxima practicanda esse cum constituto in occasione proxima peccandi, extendi debent ad consuetudinarium, qui absolvi non debet, nisi curet tollere habitum; & cum obligato ad restitutionem, cui beneficium absolutionis impendendum non est, nisi restituerit.

11. Sed quaeritur, an absolvi possit semel, aut bis iā, qui retinet rem alienam, dum habet propositum restituendi?

Resp. Si potest restituere, & ex avaritia, vehementer sit pecunia non restituit, absolvi non potest ante actualem restitutionem, quia in tali casu illa retentio, cum illo inordinato appetitu pecuniarum, stat loco occasionis proxima; & quamvis ostendat propositum,

est tamen in periculo formalis illud infringendi. Quilici *qu. un. Miscoll. num. 8.* Idem practicandum cum eo, qui semel, & iterum, promisit restituere, & semper neglexit exequi, quia & is reputatur non habere propositum efficax restituendi. Si verò potens restituere, ex quadam negligentia restituere omisit, potest semel, aut bis absolvi. Quilici *cit.* Quod intelligo, si res sit minima, & facilis restitutionis, ac penitens fide dignus: non verò, si res sit notabilis, & summa gravis, quia semper erit penitenti solutio difficilis, ac grave, se illa re, & commo privare.

12. Sed queritur, an absolvendus sit moribundus, qui potest statim restituere, & illam faciendam vult heredibus demandare?

Resp. Negative; nam differenda non est restitutio, sed statim ac possumus, tenemur, quia nec uno momento possumus voluntas aliena retinere, invito domino. Quilici *quæst. 1. art. 2. num. 15.* Præceptum enim restituendi continet istud negativum, ne retineas, quod obligat pro semper per dicta *cap. 22. num. 4.*

13. Queritur, accedit Adonialis existens in occasione proxima peccandi cum suo devaro per tactus inonestos, quam Confessarius non vult absolvere, nisi occasionem dimittat, respondit eam deserere non posse? ne in ejus dimissione omitat aliquod notabile commodum, & lucrum temporale: petitur, an hæc sit causa sufficiens ad retinendam eam occasionem, & absolvi possit?

Resp. Negative: deciditur manifestè in Decreto Innoc. damnantis prop. 62. quæ dixit: proxima occasio peccandi non est

fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

Hinc observa. I. Quod sola impotentia physica, vel moralis deferendi occasionem proximam extrinsecam, est sufficiens causa excusans ab ea repellenda, quia hæc facit eam involuntariam: & non sufficit sola causa utilis, ut ex damnatione patet.

II. Quòd impossibilitas physica est in eis, qui non sunt sui juris: peccat Frater cum propria Sorore, & cum ancilla Patris, dicitur habere impotentiam physicam ad deferendam occasionem proximam, quia in ejus potestate non est Sororem, vel ancillam è Domo depellere. Impossibilitas verò moralis habetur, cum occasio extrinseca dimitti non potest sine gravi, & reali scandalo, atque infamia.

III. Quòd nulla omninò causa est sufficiens ad excusandum, ut quis non tenetur avertere periculum proximum peccandi lethaliter, quia in potestate Hominis, Deo auxiliante, semper est adhibere media, per quæ extenuetur tale periculum, ergo quamvis filius familias v. g. non possit occasionem proximam extrinsecam depellere, tenetur ad ea media, quibus extenuet periculum proximum peccandi, juxta dicta supra: semper enim tenemur hujusmodi periculum fugere.

14. Sed queritur, Petrus occasionem proximam v. g. concubinam deserens, amissurus est mille aureos, petitur, an ista reputetur causa sufficiens ad illam non dimittendam?

Resp. Post Joannem Sancium, Leandrum à Santissimo Sacramento, apud Cardenas *cit. cap. 7. art. 2. num. 1. 6. &*

(H h h h) 2

Pa-

Palam affirmavit Antonius à Spiritu Sancto *sect. 11. n. 159.* Contra quos sanè clamat Decretum Innocentii; nam prætracta causa est utilis; & quemadmodum non licet ad recuperandos mille aureos se exponere Leoni lævienti, & periculo mortis, ita nec propter eos recuperandos licet se exponere periculo proximo peccandi, cum major in nobis sit obligatio fugiendi periculum proximum peccandi mortaliter, quàm illud incurredi mortem corporalem; ex quo pejus, & infelicius sit incidere in mortem spiritualem animæ, quàm in mortem temporalem corporis.

15. Quæritur, an Confessarius possit permittere Penitentem, qui Concubinam dimisit, ut ejus Domum, accedat ad visitandos filios, quos ex ea genuit?

Resp. Negativè, propter periculum peccandi facti, verbo, vel delectatione, ex Clericato Felix *tom. 1. examen n. 3664.* Cui tamen in casu necessitatis, & cum vitis probis accessum permittunt: sed, vide ne sis laxus.

16. Quæritur, an possit absolvi penitens, qui ex rationabili causa domi retinet mulierem, cum qua solum quater in anno peccat?

Resp. Affirmant Navacrus, Grassius, & Bonac. *de Matrim. quest. 4. punct. 14. num. 12. & 17.* Et probant, ex quo non dicatur esse in occasione proxima peccandi; cum occasio proxima illa sit, quæ semper, vel ferè semper ad peccatum inducit; modò habeat firmum propositum non peccandi in futurum, & fiduciam, auxilio Dei nixam, non relabendi, & causam justam ipsam retinendi.

17. Sed crediderim videndum esse, an aliàs super eo fuerit confessus; & dum affirmat, absolvens non est, quia fructus propositi non apparet. Maxime, quia non potest Confessarius absolvere penitentem, dum prudenter timet de veritate, & efficacia propositi; sed in casu debet, prudenter timere, quia, si verum, & firmum propositum haberet, mulierem illam depelleret, cum quæ à pluribus annis experitur peccare. Nec causa adducta eum excusat ad non mittendum: obstat enim damnatio *prop. 61.* & urget periculum, quod occidit, quæ est remota, in proximam, propter circumstantiam simultaneæ cohabitacionis transeat. Quod est à Confessario verisimiliter præsumendum, & proponendum penitenti illud vulgatum: *non in pera, ignis in sinu, serpens in gremio, mala suos remunerant Hospites.* *Cap. de Judæ. & Saracen.*

18. Quæritur, an possit absolvi penitens, qui exercet artem per se licitam, ut negotiationem, militiam, & similes, quæ est illi occasio peccati, furti nimirum, injustitiæ, odii, calumniæ, detractionis, fraudum, mendaciorum, perjuriorum, & similitum?

Resp. Affirmat Antonius à Spiritu Sancto *sect. 10. n. 143.* Sum. Leander. *rev. occasio num. 18.* ratio est, quia, quod ei sit occasio proxima peccandi, est per accidens, non ratione artis, quæ ex se non inducit ad peccatum, cum à pluribus exerceatur rectissime, sed ratione talis personæ, & in peccatis habitata, juxta dicta supra à *n. 4.* Sed propter hoc ipsum absolvi non potest; nam dum Confessarius considerat, quod exercens artem, vel Officium, propter habitum

pravum, non sit peccatum derelicturus, sed in idem relapsurus, si in Officio perseveret, & exercitium non deserat, nequit prudenter judicare eum habere firmum propositum non peccandi in futurum (quod ad validam, & licitam absolutionem est necessarium) ergo nec debet absolvere, antequam exercitium deserat, vel debet absolutionem differre, quoad usque ipsum experiatur notabiliter, aut competenter emendatum.

Ex his manifestum est, quomodo Confessarius se gerere debeat, etiam cum Medico, & Chirurgo, quibus propria ars est occasio peccati, quatenus in medendis partibus occultis feminarum experiuntur voluntarias pollutiones; & cum Sacerdote, qui in audiendis Confessionibus mulierem frequenter experitur delectationes morosas, & voluntarias mollities, quibus omnibus est differenda absolutio, & experiendi in proposito. Et quando dilatio non proficiat: absolventi non sunt, nisi realiter, & cum effectu propria ministeria deserant. Quod extenditur, etiam ad famulos mulierum pulcherrum, experientes propter familiaritatem cum eis frequenter consentire in delectationes morosas, impura desideria, & voluntarias imputitates.

19. *Queritur, an absolvi possit, qui conduxit, & tenet domum ad ludum?*

Resp. Vel Domus est talis conditionis, ut in ea ludis prohibitis non ludatur, & ad ludendum recipiantur solum viri honesti, prudentes, habiles ad ludendum, & qui ludunt causa recreationis, ad vitandum otium, & sine periculo, ut prompant in blasphemias, juramenta, &

rixas, & quin fraudes, & furta in ludendo committant; vel talis, ut in ea indifferenter admittantur omnes, tam illi, quam viri perditii, vagabundi, pauperes, infimæ plebis, & qui ludere solent, cum irreverentia Dei, blasphemando, pejerando, omittendo Missam, solutionem debitorum, sustentationem familiæ, exponendo se, Uxorem, & Filios periculo peccandi mortaliter: si hujus generis sit, certè absolventus non est, nisi domum dimittat, vel ipsam cesser aperire, cum sit in malo statum, concurrente ad peccata ludentium, quorum ipsè causa moralis reputatur.

Idem dicitur de subministrante chartas, Mensam, &c. ludis prohibitis, & de ludentibus, qui vel ludis prohibitis ludunt, vel nonnisi cum periculo enunciatorum malorum, qui absolventi non sunt, nisi cessent: sed opus est experimento per aliquod dies. Tambur. in *Dealog. lib. 8. tract. 2. cap. 9. n. 31. De la Cruz 7. precept.*

20 *Queritur, quare illicitum sit quarere directè occasionem proximam peccandi?*

Resp. Quia id ab Innoc. cum *prop. 63.* proscribitur. Ratio autem esse potest, quia quarere directè occasionem proximam peccandi, est velle directè peccandi periculum: velle autem periculum proximum peccandi, est velle peccatum, quia in moralibus idem est, se exponere periculo proximo peccandi, ac peccare. Peccatum autem nullus potest velle; nam eligibile non est propter ullum bonum temporale, proprium, sive spirituale alterius; nam rectus rerum ordo exposcit, & recta ratio dicitur, ac ordo charitatis exigit, ut bonum spirituale

(Hhhh) 3

tuale

tuale animæ propriæ præferatur cuiumque bono temporali proprio, & etiam spirituali alterius.

21. Sed quaeritur, an exponens se voluntariè occasione proximæ peccandi id aperire debeat in Confessione, quando in ea constitutus, nec cogitatione, nec opere, aut verbo peccat?

Resp. Affirmativè, quia exponens se voluntariè occasione proximæ peccandi, peccatum est, & intrinsecè malum; nam est velle peccatum; cum necesse sit, quod velit effectum, qui vult causam, ad quam ille sequitur, quamvis hic, & tunc per accidens non sequatur: & propterea peccat peccato ejusdem speciei cum peccato, cujus occasione se exponit, quod est in Confessione explicandum. Qui se exponit occasione proximæ perdendi fidem, peccat contra fidem; & contra castitatem, qui exponit se occasione proximæ violandi castitatem, sive per actum externum pollutionis, fornicationis, &c. sive per internum delectationis morosæ, & desiderii impuri, quamvis in ea constitutus, nil desideraverit, sibi non complacuerit, & nihegerit.

Quod est à Confessariis ponderandum, ut interrogent, maximè rudes, qui in rebus veneris solent solum se accusare de actu consummato peccati, interno, vel externo; quinimò plures, nec de interno se accusant, putantes consentum non præbere, nisi, dum in externum prorumpunt. Vide cit. cap. 20. lib. 1.

CAPUT XXXIX.

Prop. LXIV. & LXV. ab Innoc. XI. &c.

Mysteria Fidei Divina credenda.

1. Prop. 64. Absolutionis capax est Homo quantumvis labore ignorantia Mysteriorum Fidei, & etiam si per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat Mysterium Trinitatis, & Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi.

Prop. 65. Sufficit illa Mysteria semel dididisse.

De hac materia egimus, etiam cap. 14. quibus hic alia plura ad uberiores Confessarii instructionem addimus. Sed

2. Notetur, quod duplex est ignorantia: una *invincibilis*, quæ etiam inculpata dicitur; & *vincibilis* alia, quæ culpabilis nominatur. Prima, est negatio cognitionis, quæ moraliter vincibilis, & expelli non potest. Hæc contingit, cum nulla præcessit cognitio, aut dubietas de obligatione, vel existentia legis, & præcepti, quæ pollicetur excusari, & moveri ad inquirendam legis, & obligationis notitiam; vel, si quibusdam oritur, adhibet moralem diligentiam, & facit, quod potest, ut notitiam acquirat, sed non adipiscitur. Exemplum lego Librum Hæretici, sed ipsum esse Hæretici non cognovi, nec audivi, & dum dubito, interrogo virum doctum & fide dignum, ut sciam, & accipio notitiam esse, cum sit.

Secunda, est negatio cognitionis, quæ vincibilis, & expelli moraliter potest. Hæc contingit, cum dubitas de obligatione legis

ad inquirendum de veritate moralem diligentiam, quam hic, & nunc potest, & debet, non adhibet: quæ propterea dicitur etiam voluntaria, & libera.

3. Hæc item est duplex, *crassa*, seu *superfina*, & *affectata*: *crassa* in eo est, qui negligens est ad eam repellendam: v. g. dubito, an liber sit Hæretici, & non interrogo peritos, quia mihi laboriosum videtur. Hæc dicitur voluntaria indirectè, in negligentia inquirendi. *Affectata* est, cum quis data opera, & ex proposito non vult veritatem indagare, ut liberior operetur, & peccet: dubito librum esse Hæretici, ex proposito non interrogo doctos, ne de veritate instruar, ut liberior illum legam. Hæc est directè voluntaria, quia directè est in se voluta; nam, ut liberior legam, volo ignorantiam.

4. Item, ignorantia alia est *antece-dens*, alia *concomitans*, & alia *consequens*. *Antecedens* est negatio cognitionis, ob quam fit actio, quæ, si adesset cognitio, non fieret. Hanc habeo, dum lego Librum, quem non legerem, si scirem esse Hæretici; vel, non legerem, si scirem penam excommunicationis impositam esse legenti Hæreticorum Libros. Et propterea hæc ignorantia dicitur causa actus.

5. *Concomitans*, est negatio cognitionis, quæ licet non adesset, sed cognitio haberetur, adhuc fieret actio. Habetur, dum lego Librum, ignorans esse prohibitum, quem adhuc legerem, quamvis id scirem.

6. *Consequens*, est illa, quam quis intendit, & vult, quam posset non ha-

bere, si vellet: coincidit cum *crassa*, & *affectata*.

Authores primæ propositionis censent esse capacem absolutionis eum, in quo est ignorantia Mysteriorum fidei, si-ve invincibilis, si-ve vincibilis, prout prima ipsius pars significat: *quantumvis Homo laboret ignorantia Mysteriorum fidei*. Ubi videtur abstrahere ab ignorantia invincibili, & vincibili. Sed in secunda parte per clausulam, & *etiam si per negligentiam, &c.* specificatur magis ignorantia vincibilis, & culpabilis, horum duorum Mysteriorum, Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis. Sed quoad utramque ab Innoc. reprobatur.

Capite *ut. num. 3.* diximus, quid sit credere explicitè, & implicitè: *num. 4.* quid sit aliquid esse necessarium necessitate mediæ, & necessitate præcepti; & *num. 5.* videas, necessitate mediæ esse explicitè credenda hæc mysteria. I. *Deum existere*. II. *Esse remuneratorem supernaturalem*, conferentem præmia celestis gloriæ decedentibus in gratia, & supplicia æternæ pænæ morientibus in mortali. III. *Mysterium Trinitatis*, quod consistit in unitate Naturæ Divinæ, & Trinitate personarum. Quatum prima est Pater, secunda Filius, tertia Spiritus Sanctus: & omnes tres sunt unus Deus. IV. *Mysterium Incarnationis*, hoc est, solum Filium Dei esse Incarnatum in utero B. M. Virginis. V. *Mysterium Redemptionis*, hoc est, Christum natum ex Maria Virgine, passum, & mortuum esse pro nobis, ac resurrexisse, sed videatur *loc. cit.*

8. Sed queritur, *an ad justificationem necesse sit necessitate mediæ explicitè*

ere-

credere Christum esse verum Deum, & hominem?

Resp. Affirmativè, juxta dicta alleg. cap. num. 5. & Poncium disput. 29. qu. 2. num. 15. asserentem commune esse, fidem explicitam Christi sub eo conceptu, post ipsum natum, & promulgatum Evangelium, esse necessariam necessitate mediæ ad justificationem. De quo certè Apostoli instruebant homines, dum prædicabant Christum: ut nimirum crederent ipsum esse verum Deum, & hominem, & quòd genus humanum sua passione, & morte redemerit, ac postea resurrexerit, &c.

9. Quæritur, quid agendum Confessario, qui vocatus ad excipiendam confessionem hominis rustici moribundi, præsumit eum esse ignarum horum Mysteriorum, & quia summè gravatus infirmitate, non potest se certificare, an notitia talium mysteriorum habeat, & infirmus non potest habere attentionem sufficientem, ut instruatur?

Resp. Quia in casu non est certum illum esse indispositum, sed solùm dubitat, an ea mysteria ignoret, debet ipsum absolvere sub conditione, si es capax; ratio est, quia in dubio tutior pars pro salute æterna moribundi eligenda est; maxime, quia ex adjecta conditione vitatur irreverentia Sacramenti, quod institutum est ad salutem hominis viatoris. Cardenas dissert. 41. cap. 3. num. 15.

10. Sed quid, si certus esset rusticum moribundum, qui contritionis signa edidit, & Confessionem postulavit, ignorare mysteria Trinitatis, vel Incarnationis, quem propter angustias morbi non potest instruere?

Resp. Cardenas ibid. num. 18. dixit debere absolvere, saltem sub conditione; & ex eo moveretur, quia non est certum illum esse indispositum; cum sit probabile apud Suarez, & alios, quos allegat cap. 1. num. 6. fidem explicitam eorum mysteriorum, quæ per se, & inter, necessaria est necessitate mediæ ad justificationem, per accidens, in casu nimirum ignorantia invincibilis, posse sufficere in voto: ergo est dubium: ergo absolvens est: quia in incertitudine tutior pars est eligenda, favens moribundo.

Resolutionem tamen non approbamus, & credimus comprehendi sub damnatione Innocentii; quia Innocentius damnat propositionem asserentem esse absolutionis capacem, qui ignorat mysteria fidei, sed id asserit data responsio, ergo, &c.

11. Quare dicimus, nullum adultum posse justificari, & salvari sine actuali fide explicita existentia Dei: & Dei rememoratoris: ac Mysterii Trinitatis, & Incarnationis, credendo solùm Filium Dei incarnatum fuisse: & Redemptionis, credendo Christum esse verum Deum, & hominem, ipsius Passionem, Mortem, & Resurrectionem juxta dicta loc. cit. Quibus, ad necessitatem credendi explicitè in Christum magis firmandam, addo testimonium Actor. 16. Quid me oportet scire, ut salvus fiam? & illi dixerunt, crede in Dominum Jesum, & salvus eris; ad Galat. 2. scientes, quod non justificatur homo, nisi per fidem in Christum, & nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi.

Hinc eſt certa, quòd ignorans, etiam invincibiliter, myſteria, vel omnia, vel unum ex neceſſariis neceſſitate medi ad juſtificationem, & incapax abſolutionis; aque adeò mortaliter peccat pœnitens; ſic ignarus petens abſolutionem, dum ſuam ignorantiam advertit (licet, cum id cognoſcit, non ſit invincibiliter ignarus) & Confefſarius ſcienter eum abſolvens.

12. Propterea Parochi, & Confefſarii toti ſunt in inſtituendis rudibus pœnitentibus, quòd ſine actuali fide explicita præſatorum myſteriorum ſalvari, nec juſtificari poſſunt; & quod præterea neceſſitate præcepti tenentur, ſaltem quoad ſubſtantiam, credere, & ſcire ea, de quibus diximus *cap. cit. num. 11.*

13. Doceant pariter eos teneri ſcire Orationem Dominicam, & quinque præcepta Eccleſiæ. Super quo obſervabis decretum editum in Prætorio SS. Inquiſitionis de anno 1636. Quæ interrogata; *utrum Miſſionariis, novis Chriſtianiſ Sinenſibus, quamprimùm baptizantur, debeant intimare jus poſitivum, tamquam obligatorium, ſub mortali, quantum ad jejunia, feſta ſervare, & confiteri ſemel in anno, ac communicare?* Reſpondit; *jus poſitivum Eccleſiaſticum, quoad jejunia, obſervationem feſtorum, Sacramentalem Confefſionem, & Communionem ſemel in anno, eſſe à Miſſionariis notificandum Sinenſibus Chriſtianiſ, ut obligatorium ſub peccato mortali: poſſe tamen ſimul explicare cauſas, propter quas excuſantur.*

14. Quantum ad prop. 65. poſſunt *Matthæi Cautela Confefſi.*

videri dicta *lib. 1. cap. 1. & hic cap. 11. num. 3.* & ea Confefſarius cum pœnitentibus ad praxim deducat, totuſque ſit in eis monendis ad eliciendum actum explicitum circa hæc myſteria Incarnationis, & Trinitatis, ac alia neceſſaria neceſſitate medi: ſi non frequentius, ad minus ſemel in menſe: vel, ut minimum, ſexies in anno. Nam, cum ſint omnia ſuo ordine credenda, & iſta ſint principaliora noſtræ fidei myſteria, ſine quorum explicita fide actuali non poſſunt adulti fideles juſtificari, & ſalvari, neceſſe eſt, ut explicitè credantur, quando & pro tempore, pro quo per ſe obligat præceptum fidei, ad actum fidei eliciendum.

Et pro iſdem temporibus, pro quibus tenentur præſata myſteria credere, tenentur per ſe, etiam ex præcepto Eccleſiæ, credere, & recitare Symbolum Apoſtolorum, in quo noſtræ fidei myſteria continentur. *Campion. p. 2. cap. 1. num. 19.*

15. Quoniam verò ad eliciendum actum fidei non ſufficit credere myſteria à Deo revelata, juxta notata ſupra *cap. 15.* per totum, ſed neceſſe eſt, ut ea credantur ex motivo formali fidei divinæ, ſub iſta nimiram ratione, & cauſali, *quia Deus ſummè verax revelavit, Eccleſiæ Catholica.* Ideò curabit Confefſor rudem pœnitentem monere de modo eliciendi actum fidei ex illo motivo, vel cum illa cauſali: tradendo formulam: *firmiſſimè credo, Deum eſſe Trinum, & unum, quia Deus ſummè verax revelavit, Eccleſiæ Catholica, & hæc nobis id proponit credendum.*

(lii)

16. Atten-

16. Attendant itaque Confessarii onus, quod in excipiendis confessionibus assumunt. Intelligentque unumquemque teneri ea seire, quæ ad proprium Officium exequendum sunt necessaria; adeo peccent gravissimè propter omissionem, vel negligentiam addiscendi. Et maxime, dum ex non recta muneris administratione notabile damnum imminet iis apud quos tale officium exercent.

Proprio itaque satisfaciant debito. Et in difficillimis, dum, vel ignorant, vel dubitant, consulant Doctos, & ne in reddendis responsis errent, utantur cautela, qua ipse Bartholus est usus. Qui consultus in manè, respondebat in vesperi: & consultus in vesperi, respondebat in manè.

17. Pœnitentes quoque de rebus fidei erudiant, & de spectantibus ad Christianam Doctrinam interrogent; ut pœnitentes Confessiones cum fructu frequentent, & ipsi cum merito audiant. Quibus proinde propono statuta in Conc. V. Mediolanen. part. I. Actor. Eccles. Mediolanen. tit. quo ad prædicat. verbi Dei: ubi hæc sunt. Ad salutem, cum omnibus fidelibus necessarium sit christiana fidei rudimenta seire, omnibus singulisque

animarum Curatoribus, & cæteris Confessariis, siue Secularibus, siue Regularibus in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, ut faciant, antequam confessiones audiant, Orationem Dominicam, Angelicam salutationem, Symbolum fidei, & decem præcepta Dei, quæ in Decalogo continentur, ut pœnitentes recitent, ac ipsi audientibus referant.

Quarum rerum, si quos ignorat, talesque offenderint; hæc eorum spirituales socordiam acriter reprehendant, ostendantque, quàm gravis esse debeat illorum conscientia ignorantia rerum ad salutem, quæ tantoperè necessariae sunt.

Cum autem eos absolvant præter alias pœnitentias, id etiam imponant, ut quatuor hæc saltem potissima doctrina christiana capita in posterum accurate ediscant, cetero illis pro arbitratu suo pœnitentia congruo tempore.

Quod tamen, ob necessariam aliquam causam, semel, aut ad summum iterum, prorogari liceat. Eo tamen temporis spatio confecto, si eadem adhuc illos ignorare viderint, tunc ne illorum confessiones audiant. Alia videas supra caput decemquarto. Et de secundo libro sunt factis dicta.

